SCRIPTORVM

PVBLICE PROPOSITORVM

A GVBERNATORIBVS

studiorum in Academia

VVitebergensi.

TOMVS QVARTVS.

COMPLECTENS AN-

num 1559. & duos sequentes vsq;

ad Festum Michaëlis.

VVITEBERGÆ

EXCVSVS AB HÆREDI-

bus Georgij Rhaun.

ANNO M. D. LXI.

C F.

A 394-60.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000003

Nutzungsbedingungen für Online-Angebote der Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

Die Online-Angebote der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek der Herzog August Bibliothek (http://digbib.hab.de) sind urheberrechtlich geschützt und unterliegen Nutzungsrechten. Soweit nicht anders vermerkt, stehen sie unter einer Creative Commons Namensnennung-Weitergabe unter gleichen Bedingungen 3.0 Deutschland Lizenz (CC BY-SA).



Unter diese fallen online frei verfügbare Imagedigitalisate, Strukturdaten, Volltexte, Daten aus Datenbanken (in der über OAI abfragbaren Form), Ton- und Videodokumente sowie aktuelle Publikationen. Bitte beachten Sie, dass für über die Webseiten der Herzog August Bibliothek angebotene Dokumente Dritter andere Rechte gelten können.

Erläuterung

Die Online verfügbaren digitalen Angebote der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek stehen allen Interessierten weltweit frei unter einer CC BY-SA Lizenz zur Nutzung zur Verfügung. Neben den in http://creativecommons.org/licenses/by-sa/3.0/de/legalcode ausgeführten allgemeinen Einschränkungen ist bei einer Nachnutzung Voraussetzung, dass a) der Urheber in der nachfolgend beschriebene Form genannt ist und dass b) das Angebot unter den gleichen Bedingungen, d.h. vor allem frei und unentgeltlich, erfolgt.

a) Bei der **Namensnennung** (BY) ist Folgendes zu beachten (vgl. CC BY-SA, Abschnitt 4.a und 4.c). In Digitalisaten angebrachte Herkunftsnachweise – typischerweise die Fußleiste - dürfen als Nachweis nicht entfernt werden.[1] Zugleich muss auf der Angebotsseite an geeigneter Stelle, in jedem Fall aber innerhalb der Domain des Angebotes ein Nachweis in der folgenden Form angebracht werden: Sofern ein eigener persistenter Link (PURL, URN, etc.) verwendet wird, muss der persistente Link der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek über, unter oder neben dem eigenen persistenten Link stehen.

Im Druck:

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <[Persistent URL[2]]>

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm> 

oder

© HAB Wolfenbüttel: 14 Astron. <http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm> 

[1] Beigefügte Maßtäbe unterliegen nicht dieser Beschränkung und dürfen entfernt werden.
[2] Zum Zitieren Wolfenbütteler Digitalisate s.: http://diglib.hab.de/?link=033

Im Internet (HTML Quelltext):

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <Persistent URL>

oder

© HAB Wolfenbüttel <[Signatur]> 

Z.B. Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <<a href="
http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm">14 Astron. 

Wenn sich auf der Seite eine zusätzliche Angabe zur Autorin oder Autor eines Beitrages findet, z.B. © [Autorname] ist folgende Form einzuhalten:

Im Druck:

© [Autorname]. Work originally *published by HAB Wolfenbüttel <Persistent URL>* 

Im Internet (HTML Quelltext):

© [Autorname]. Work originally published by HAB Wolfenbüttel <Persitent URL oder Signatur> 

Z.B © Flemming Schock. Work originally published by HAB Wolfenbüttel <<a href="
http://diglib.hab.de/edoc/ed000155/start.htm "> http://diglib.hab.de/edoc/ed000155/start.htm
> 

b) Bei der Bereitstellung unter **gleichen Bedingungen** ist zu beachten, dass das Werk *frei*, *unentgeltlich* und im Geiste der *Förderung der Kultur und Wissenschaften* zur Verfügung gestellt werden muss. Sofern dies gewährleistet ist, ist auch eine kommerzielle Nutzung, z.B. in der Wikipedia oder einem Open Access, unter CC BY-SA publizierenden wissenschaftlichen Verlag möglich. Nicht unter diese Lizenz fallen typische kommerzielle Produkte wie Verlagszeitschriften, die Nutzer kostenpflichtig erwerben müssen, zugangsbeschränkte Online-Angebote sowie Nutzungsarten, die ausschließlich auf Werbung oder andere nicht-wissenschaftliche Zwecke zielen. Für alle zuletzt genannten Fälle muss eine kostenpflichtige Sondernutzung vereinbart werden.

Nicht frei über die Homepage der Bibliothek verfügbare Angebote unterliegen gesonderten Nutzungsregeln, die von der Auskunft der Bibliothek (auskunft@hab.de) erfragt werden können. Im Übrigen gilt die Benutzungsordnung für Landesbibliotheken und die Gebührenordnung für die Bibliotheken des Landes Niedersachsen in der jeweils gültigen Fassung in Verbindung mit dem Niedersächsischen Verwaltungskostengesetz.

Der Direktor (2013-03-01)

HERZOGL. BIBLIOTHEK WOLFENBÜTTEL

AMPLISSIMIS VIRIS, PRVDENTIA, DOCTRINA, VIRTVTE, ET fide præstantibus, Consulibus & Senatui Inclytæ vrbis Norlingæ, Dominis & Patronis suis perpetua fide & obseruantia colendis S. D.

ANNVS hic est vicesimus, quando mihi puero adhuc & impuberi, patreq; orbato, & egestate atq; alijs domesticis calamitatibus in exilium extruso, liberale hospitium præbuit vrbs Norlinga. Veneram eo discendarum literarum gratia, Scholæ celebritate inuitatus, sed nullo instructus sumptu, nec vlla re alia nisi sola fretus ciuium humanitate ac beneficentia, quam talem postea priua-

tim publicéq; ſum expertus, vt ſpem opinionemq; meã longè uicerit. Nam & Senatus autoritate locus mihi tributus eſt inter eos, quos alit publica beneficentia, & quod inde non ſuppetebat, id cumulatè explebat pia & larga ciuium liberalitas, vt rebus ad vitam neceſſarijs abundarem, & beneuolentia erga me fuit inſignis piæ memoriæ doctiſs. viri, M. VVolffgangi Vogleri, qui tum adoleſcentiæ ſtudia regebat ac formabat. Hæc quanquàm talia ſunt, vt prædicari à me ſatis nequeant, acceſſerunt tamen alia longè maiora poſtea, cum morbo correptus difficillimo penè de ſalute et vita piclitarer. Tumor penè inſenſilis, ſed non admodum durus ſiniſtræ auris radicem obſederat ex defluxu humoris Melancholici à capite, quem etſi

etſi me nullo inſigni dolore infeſtabat: tamen quod inſurgendo augeretur, ac ſerpendo dilataret ſeſe indies magis magisq;, et conceptæ intus putredinis notas præſe ferret, videreturq; aut reſpirationis organis intercluſis periculũ ſuffocationis allaturus, aut acredine putrefacti humoris circũſitas et ſubiectas partes eroſurus eſſe, viri boni, ac honeſti deq; mea ſalute ſolliciti minime negligendum eſſe cenſebant. Inter hos erat Rector Scholæ, qui ad fidem ſuam etiam pertinere ratus mei curam tanquàm exulis & egeni, apud Conſulem vrbis, virum optimum & integerrimum Iohannem Rötingerum, conditione mea expoſita, non tantum locum mihi in Xenodochio, cum rerum fruendarum copia impetrabat, ſed hoc etiam perficiebat, vt

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000005

medicis commendarer, et vt Senatus se, quidquid in me insumeretur, liberaliter soluturum reciperet. Sed medicis frustra conantibus & de curatione tandem desperantibus, quod iudicarent, Cancrum esse exulceratum, qui medicamentis irritaretur, Tumor enim ruptus in vlcus sanioſum ſordidumq; ac rodens degenerarat. His ergo absistentibus à tentata medicatione, cum aduenisset ex vicinia Chirurgus, qui considerato malo confidebat ac profitebatur se opitulari mihi posse: Senatus nullis parcens sumptibus hunc conducebat, promisso præmio honorifico, si quod confidenter polliceretur, præstaret. Interea & ex Senatu aliqui & ciues frequentes non tantum inuisebant me crebrò, sed & præter ea, quæ ex publico

blico decreta erant, singuli indies aliquid in meos vsus conferebant, ne vllius rei necessariæ penuria laborarem. Opera Chirurgi diuino auxilio tandẽ restitutus, cum de verè paternis beneficijs Consuli gratias, quas tunc per ætatem poteram, egissem, discessi Norlinga, & VVitebergam profectus, Ibi reliquum vitæ meæ huc usq; traduxi apud viros seculi nostri summos, partim studijs, partim ministerijs officijsq; scolasticis, primum priuatis apud virum reuerendum Casparum Crucigerum sacræ Theologiæ Doctorem, in huius familiam et consuetudinẽ domesticam ascitus, postea publicis apud Senatum Professorum huius Academiæ, quib. Doctor Cruciger moriturus me commendarat, quæ quomodo obiuerim & quo præ-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000006

ſtiterim ſucceſſu, etſi pronunciare alio rum eſt: tamen ſi conſequutus id quod cupiui non ſum, fidem me meam ac diligentiæ conatum præceptoribus meis perpetua fide atq; obſeruãtia colendis probaſſe confido. Ab hac commemoratione ſummi beneficij veſtri viri ampliſſimi & Patroni de me optimè meriti, hanc compellationẽ veſtri debui ordiri, quam oſtendendi memoris & grati animi cauſa huic editioni præfigere volui. Vobis enim ſecundũ Deum et vitam conſeruatam & valetudinem reſtitutam, et iacta qualiacunq; in bonis literis fundamenta debeo, Veſtro effectum beneficio eſt, vt progredi in ſtudijs potuerim, vt innotuerim plurimis poſtea & admiſſus ſim etiam ad conſuetudinẽ interiorem ſummorum ſeculi noſtri hominum, vt horum

horum ſpectarim conuictum atq; conſuetudinẽ, cognouerim propius uitam pietatis, ſanctitatis, et honeſtatis plenam, audierim ſermones eruditiſſimos & dulciſſ. colloquia. His me agnoſco et confiteor vobis ad æternam gratitudinem obligatum eſſe. Etſi aũt ſcio nunquàm poſſe me conſequi magnitudinem horum beneficiorum aut referenda aut habenda gratia, tamẽ ſilentio diſſimulare me ea nõ patitur penitus inſita atq; infixa animo meo, neq; vnquã apud me interitura debitæ vobis gratitudinis memoria, cùm ſcriptum ſit: Non recedet malum à domo ingrati. Huius vt extet argumentum aliquod & monumentũ, mitto ad vos cum nominis veſtri inſcriptione librũ ſcriptorũ publicè in Academia VVitebergenſi propoſitorũ, qui complecti-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000007

tur, ceu historiam gubernationis scholasticæ & studiorũ, quibus his proximis annis Pater et Præceptor noster atq; huius scholæ Rector vnus omniũ optimus ac fœliciss. Philippus Melanthon postremum absoluit et clausit vitæ ac vocationis suæ cursum, consumptis docendi scribendiq; labore in eadem statione annis 42. Recitantur et initia illius mutationis, quã primo anno obitus eius Academiæ attulit. Causas consilij, cur hoc uos remunerer libro, qui opera collectionis atq; descriptionis meus, compositione meorũ est præceptorũ, habeo grauissimas. Nam plurimi facere constanterq; colere atq; obseruare, & tanquã ducem atq; gubernatricem sequi hanc Academiam, deq; tranquillo eius ac florente statu libenter cognoscere ac lætari, & eidẽ benè

benè precari vos scio, et cupere conseruatam cum ea omnium doctrinarum luce, quã ceu sacrosanctũ depositum, hi qui supersunt Lutheri & Philippi Melanth. partim πασασάται fidissimi, partim ἀκροάται καὶ διάδοχοι diligentissimi, custodiunt & propagant. Ab huius enim societate atq; coniunctione, nec illo perturbatissimo belli tempore vllæ minæ, vlli terrores, vllorúmue periculorũ conspectus, nec postbellũ ij clamores leuissimorũ hominum auellere vos potuerunt, qui Ecclesias nostras horribiliter concusserunt, distortis dogmatib: turbato consensu de doctrina, distractis animis et odio mutuo incẽsis, disciplina labefactata, inuectis in Ecclesiam artibus pessimis & ab analogia fidei ac pietatis Christianæ norma alienissimis, derogata fide

fide et autoritate præcipuis doctorib. viris innocentißimis: Aduerſarios vero auctos animis atq; in optimam ſpem erectos, nouo armarunt contra nos Sophiſticorũ telorum genere, de quib. tantopere nunc geſtiunt ac triumphant, vt faſtidiant ac repudient præ illis veteres Eccij præſtigias, & his ſe iugulaturos nos confidãt, ſed vt mea fert opinio, ſpe falſa & inani, & ridicula admodum ac ſtolida. Eorum ergo vociferationes falſæ et impudentes, quæ aduerſarijs & occaſiones in nos inſiliendi, & rationẽ feriendi demonſtrarũt, nunq; veſtrũ de hac Academia vt iudiciũ mutaretis, permouere vos potuerunt. Id vero certiß. eſt & conſtantißimæ uoluntatis veſtræ et affectionis optimæ erga Academiam argumentum. Habetis etiam in Acade-

Academia natos in vrbe veſtra Profeſſores celeberrimos ſocerum & generum, inter quos eſt & fuit per annos 40. et erit Deo adiuuãte diutius inſigne ornamentum ſcholæ ac ſtudiorum publicorum ſingulare præſidium Melchior Fendius artis medicæ Doctor, qui & docendo & medicando ſumma fide ac diligentia frequentiã & celebritatem ſcholæ plurimum auxit. Et veſtigijs ſoceri inſiſtit magna cum laude gener Doctor Iohannes Hermannus. Altera cauſa eſt quod delectari vos non dubito lectione, & lætari ſeriò dedicatione ſcriptorum Philippi Melanth. quem viuum omni veneratione proſequuti eſtis, & extinctum luxiſtis cum pijs omnib. ubiq; locorum grauiſſimè. Edidit autem horum ſcriptorũ plæraq; ille non multum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000009

tum ante mortem cum Spritu ſancto plenus vere Cygnea voce, nihil niſi quod ſanctum, quod pium, quod fidei analogon & rectum, quod conſolandis conſcientijs accommodatum eſſet, ſonaret. Quare non de ſola ſtudiorum & gubernationis forma hic liber vos monebit, ſed cum multarū ſententiarum copioſas explicationes cōtineat, multas recitet hiſtorias, ſæpè gentiū origines, mores, regiones deſcribat, de rebus grauiſſimis vos erudiet, conſolabitur, et delectabit atq; exhilarabit argumentorum varietate, ſententiarum concinnitate, venuſtate coniecturarum, vt propter præcipuum autorem etiam & propter res optimas non dubitarim fore librum vobis gratiſſimum. A vobis ergo viri amplißimi, qua poſſum reuerentia peto conten-

contendoq;, vt hoc μνημόσυνον debitæ vobis à me gratitudinis ea beneuolentia ſuſcipiatis, qua me ante aduenam atq; exulem recepiſtis, hoſpitem foueſtis, egentem ſubleuaſtis, et fœdè grauiterq; decumbentem refeciſtis ac ſeruaſtis, quod mihi de ſumma humanitate veſtra & reipſa explorata bonitate certò polliceor.

Oro autem Deum æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, crucifixi pro nobis & reſuſcitati, toto pectore, vt ſeruet ac protegat Eccleſiam ac Rempub. veſtram, et largiatur vrbi veſtræ ſalutarem gubernationem & ocium ac tranquillitatem neceſſariam ad ſtudia & exercitia veræ pietatis, honeſtatis & rerum aliarū communi vitæ neceſſariarum. Bene ac fœliciter valete Patroni perpetua

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000010

petua obſeruantia colendi. Datæ VViteber gæ 4. Calendas Octobris, quo die magnus Chriſtianorum exercitus à Baiazete primo ad Nicopolin diſſipatus eſt, Gallis, qui longius progreſſi hoſtem temere inſequuti erant, cæſis ac deletis, Sigiſmundo Imperatore ægrè in fuga ſeruato, anno Chriſti 1395. ante cladem Varnenſem, quæ vrbs Dionyſiopolis eſt, annis 49. Hunc hoſtem vt à nobis auertat Filius Dei ἀρχηγὸς & cuſtos Eccleſiæ ſuæ ardenti pectore precor.

V. amplitudini
addictiſs.

Michaël Maius Noribergenſis Academiæ VVitebergenſis Miniſter.

VITVS VVINSEMIVS DOCTOR.

ADoleſcentes ſæpe ex nobis audiunt, Tragœdiam eſſe imaginem uitæ illuſtrium hominum, quorum fortuna in ſublimi poſita loco, maioribus periculis expoſita eſt, & plærunq; durius quaſſatur. Nam cum diræ cupiditates, id genus hominũ magis infeſtent, Sicut in Medea Euripidis dicitur: δειναὶ τυραννων λῆμαται &c. Et Satanæ inſidijs quoq;, qui omni eminenti uirtuti, & præcipuè ordini diuino infenſiſſimus eſt, crebrius, atq; acerbius urgẽtur, unde fit, ut facilè, niſi præſenti auxilio Dei aſſiduè ſuſtententur, in immania ſcelera præcipites ruant, atq; ita horrendas pœnas diuinas ſibi accerſant. Quid Dauidi regi ſancto, & ita diuinitus exornato acciderit, ſacræ literæ ſatis nos docent, Qua uerò parte contra Deum delinquunt homines, eam partẽ plærunq; pœnæ feriunt, qui fœda libidine peccant, hi in ſobole puniuntur. Hinc inceſtuoſi raptus ſororũ, & fraternæ cædes inter filios, ſedicio à filio excitata contra patrẽ, coniugũ patris ab eodem fœda contaminatio, exiliũ regis, et miſerabilis interitus Abſolonis, tam longa tela flagitiorum, & pœnarum ex uno peccato à Satana texitur. Hæc exempla propterea

nobis proponuntur, ut timorem Dei nos doceant, & in nobis curam, ac diligentiam in regendis moribus acuant, Vere dictum est, Qui uitat occasionem peccandi, is peccatum uitat, Qui Deum timent, & illius auxilium implorant, atq; sibi, ne ruant, diligenter cauent, hi ab insidijs Satanæ tuti esse possunt.

Hæc doctrina Legis diuinæ nobis, qui in explicatione Tragœdiarum Euripidis uersamur, subinde repetenda est. Medeæ interpretationem nuper absoluimus, Restat nunc Hippolytus coronifer, post quam Alcestis sequitur, Et mirabilis Oeconomia est harum fabularum. Proponuntur ex ordine tres imagines Coniugij. In Medea delinquit maritus, contra quem incenditur ira mulier sæua, & barbarica, ea totam domum euertit, proprios liberos interficit, seseq;, ac maritum in æternos luctus, & mœrores conijcit. Tragica hæc sunt, à quorum cogitatione etiam mens humana abhorret. In Hippolyto delinquit uxor, & dat pœnas, plectitur miserrimus Theseus propter ingratitudinem erga Ariadnem, crudeliter interficitur præstans adolescens propter fiduciam propriæ uirtutis, & numinis contemptum. Hic enim cum castitatis dono diuinitus ornatus esset, ad superbiam & fastum eo abusus est, & coniugium damnauit, quare diuinitus punitur. Est uero in hac fabula

fabula præcipuè insignis locus, de castitate, quod ea contingat solius naturæ beneficio, & comes illi uerecundia adiungitur, Cura tamẽ et cultura, sicut hortos, aut uernantia prata hanc excoli, conseruariq; Poëta statuit. Nos etsi rectius hæc Dei dona esse dicimus, tamen curam, & diligentiam in ijs conseruandis, excolendis, & augendis requirimus. In Alcestide proponitur exemplum dulcissimi Coniugij, in quo maritus optimus, & optima coniunx amanter unà, & coniunctissimè uiuunt. Sustinent illi quidè communes uitæ humanæ miserias, quibus omnes homines subiecti sumus, Sed tamen diuinitus liberantur, & quidem præter spem, Sæpè enim in Euripide hæc sententia repetitur: Bonos Deo curæ esse, & ex multis periculis, ac miserijs, non ope humana, uel consilio, sed à solo Deo liberari. Hæc doctrina de prouidentia diuina ubiq; in his fabulis inculcatur. Deniq; cum à sacris Biblijs discessimus, uix aliud scriptum est, in quo tantum sit doctrinæ, & sapientiæ, nam de orationis uenustate, & eloquentia, hic non uacat dicere. Quare Scholastici, quibus studia doctrinæ serio curæ sunt, ubi tantum gustum aliquem huius authoris perceperint, haud dubiè ipsum amabunt, & præ omnibus discendum sibi deligent. Precor Deum, ut nobis clementer adsit, & pacem, ac tranquillitatem ad hæc studia Ecclesiæ Christi

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000012

atq; reipublicæ neceſſaria, largiatur per Chriſtum redemptorem noſtrum, Amen. Poſtridie Calend. April. Anno 1559.

SEBASTIANVS
THEODORICVS VVINSEMIVS LECTORIBVS S. D.

MVltæ graues cauſæ ſunt, quare Elementa doctrinæ de circulis, & motibus cœleſtibus, omnibus literarum Studioſis debeant eſſe familiariſſimè nota: Etſi enim non continent integram artis explicationem, tamen de præcipuis eius partibus auditores erudiunt, quæ non ſolum aditum patefaciunt ad integram artem facilius cognoſcendam, uerum etiam alias plurimas, & maximas habent utilitates. Deducunt enim homines eò, Vt ſtatuere, uelint nolint cogantur, non naſci res caſu, ſed eſſe mentem Architectatricem infinitæ ſapientiæ, & bonitatis, quæ propter utilitatem animantium, & præcipuè hominum, hoc domicilium, mundum uidelicet, condiderit, & tanta uarietate motuum & corporum cœleſtium, quæ uicißitudinis temporis, utilis animantibus, & omnibus rebus naſcentibus, cauſa eſt, ornarit, & adhuc conſeruet.

Quanta

Quanta Barbaries eſt, & ingratitudo erga Deum, non conſiderare anni metas, & quorum ſyderum periodico motu, tam illuſtria temporis interualla conſtituantur? Cum tamen in hunc præcipuè uſum condiderit DEVS Solem & Lunam, ut ſint in tempora, ſigna, ſicut Geneſis nos monet. Adferunt etiam lucem hæc elementa ſcriptis Poëtarum, & aliorum autorum, quæ profecto ſine ijs intelligi non poſſunt, ut res ipſa oſtendit. Quare etſi qui immorari ſtudio doctrinæ de motibus cœleſtibus non uelint, tamen hæc elementa magnifacere, & diſcere debent, cum ut aſſenſionem de Deo, eiuſq; prouidentia in animis confirment, tum ut ſua aliquando opera alijs quoq; proſint.

Sed tanta eſt hoc tempore multorum ignauia, & tam deteſtanda oſcitantia, ut hæc dulciſſima teſtimonia de Deo & ſuam ipſorũ utilitatem negligant, ſpretis, & contemptis his diſciplinis. Hi furioſius Deo bellum inferunt, quam olim, ut in fabulis Poëtarum eſt, Gigantes fecere. Sed ut illi Ioui pœnas dederunt, deiecti fulminibus in tartara, Ita hi uero Deo, & ſæueriori operarum inſpectori, pro defoſſo talento pœnas grauiores luent. Hos autem, ut ceu peſtem adoleſcentes honeſtis ingenijs præditi fugiant, magnopere eos adhortor, & inſuper obteſtor, ut exemplis, & iudi-

eijs magnorum Regum, & Principum, quorum hæc noſtra ætas multos habuit, qui his ſtudijs uehementer, etiam inter grauiſſimas gubernationis occupationes, delectati ſunt, ut Carolum Imperatorem, Regem Galliæ Franciſcum, Imperatorem Ferdinandum, & alios, admoniti hæc elementa diſcant, præſertim cum & facilia ſint mediocrem adſiduitatem præſtantibus, & mira ſuauitate, multiplicibuſq; utilitatibus ſuos cultores impleant. Ea autem iterum enarrare inchoabo, cras, Deo iuuante, hora prima in loco conſueto, & hanc prælectionem continuabo per quatuor ſeptimanæ horas, ut eo citius, & maiore cum fructu auditorum abſolui queat.

Datæ 4. Nonas Aprilis
Anno 1559.

AD TVRRIM TEMPLI IN OPPIDO MARIAEBERGHI VERSVS ADSCRIPTI SVNT PHILIPPO MELANTHONE AVTORE.

AVguſtus patriã cum dux Elector haberet
Hanc urbem auius condidit ante pater,
Hoc templum extructum eſt, ſonet hic ut maxime
Vox Euangelij tempus in omne tui. (Chriſte
Et

Et ſincera ſonet quam tradit & unica Chriſtus,
AEterno natus de genitore λόγος.
Hac tibi gnatæ Dei doctrina collige cœtum,
Iuſtifica ani ſint corda renata fide.
Et fac templa Dei nos ut uiuentia ſimus,
AEternæ uitæ lætitiamq; dato.
Da Soboli noſtræ pacem, moresq; guberna,
Et ſint qui uera te pietate colant.
Argenti uenis etiam da ſemina larga,
Id quoq; nam donum nouimus eſſe tuum.

FINIS.

STVDIOSIS PHYSICAE.

HOminem ad duas res intelligendum, & agendum, natum eſſe ex Ariſtotele retulit Cicero, id eſt, ut idem explicat, Virtutem hominis, qua præſtat ille cæteris animantibus, uel ſcientia, uel actione cerni, etſi Peripatetici his duabus partibus mirabiliter intexuerunt πραγματείαν λογικὴν, id eſt, ratiocinandi, atq; diſſerendi quandam faultatem, quæ ὄργανον ſit, & σύνεργος ad utramq; harum. Inde triparita Philoſophiæ diuiſio extitit, qua Theoricen, Practicen, & Logicen partes huius faciunt, cum

in consideratione exquisita non tam pars sit huius λογικὴ quam ὄργανον, et ὄργανον quidem πρὸ ὄργανων. Vnde & manum Philosophiæ appellarunt. Illa uero rerum contemplatio, quæ ueritatem, & scientiam inquirit occupatur in ijs omnibus, ut semel dicatur, quæ cœlum ambitu suo includit, & terra continet. Hoc enim pulcerrimum mundi opus in cœlo primum lumina, & stellas ipsas ostentat, & in sideribus distinctionem, ordinem, æquabilitatem motus, & conuersionis admirabilem. In terra autem animantium genus, & stirpium, & quæ sinu suo præterea illa complectitur, & ex hac enascuntur multiplicia, hoc totum est καλὸν ποίκιλμα Τέκτονος σοφοῦ, ut de cœlo Euripides fecit. In his igitur, etsi alius aliud considerat, & sunt distributæ, quasi operæ sapientiæ humanæ, ut alia sibi sumat ea quæ prima Philosophia appellatur, aliud illæ disciplinæ, quæ καθ' ἑξοχὴν μαθήματα appellatur, aliud Physiologici, quorum omnium munera, et tanquã fines distinguit, & constituit ἀκριβολογια τῶν τεχνολογοῦντων, & nos suo loco de his quæremus. Tota tamen rerum, de qua diximus, uniuersitas, quæ in sensus nostros incurrit, τῆς Φύσεως μυσεῖον est, ut Alcidamantem appellasse legimus, metaphora illustri, quam & Aristoteles laudat, hoc naturæ musæum præcipuè occupat ea, quæ Physicè

Physice appellatur, & Physici sit μυσεῖον naturæ, in cuius contemplatione omne studium huius consumitur. Hæc scientia, & uniuersitatem rerum distinguit, & singula considerando, uim, facultatem, effectiones harum scrutatur, & ex his de causis rerum, partim demonstrationes conficit, partim eruditas rationes excogitat, & quemadmodũ Aristoteles scribit πᾶν τὸ Φευακὸν θαυμαστὸν εἶναι, ita coniecturæ etiam in hoc genere, non tantum non sunt expertes doctrinæ, sed eruditionem, & doctrinam etiam singularem, quasi examinant, Causarum autem in natura inquisitio, & scientia, necessaria ad uniuersam uitam res est, de cuius utilitate non potest breuibus disputari, Neq; dubium est Salomonis sapientiam, in Physicis maximè enituisse, qui non ut Socrates Apollinis, sed ueri Dei elogio, sapientissimus est pronunciatus. In presentia tamen hoc satis sit, medicinam ab his uniuersam existere, & scribit Aristoteles de Medicis, et Physicis, Οἱ μὲν τελειοντως εἰς τὰ περὶ ἰατρικῆς, οἷδ' ἐκ τῆς περὶ Φύσεως ἤρχονται πρὸς ἰατρικῆς, & alibi συνορὸν εἶναι τὸν πραγματείαν utriusq; professionis scribit. De usu uero Physicæ in Philosophia, & uita communi, initijs doctrinæ nostræ dicere cœpimus, & sæpe feret occasio, ut dicatur deinceps. Hoc certè unusquisq; intelligit, ijs qui doctrinæ,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000015

trinæ, & eruditionis, uel intelligentes, uel ſtudioſi haberi uelint, & in cœtu horum nomina ſua profitentur, turpiſſimum eſſe, & terræ imperitos eſſe, quam calcant, & cœlum ſuſpicere atq; intueri ijs oculis, quibus una quæq; beſtia, & quæ in hac rerum uniuerſitate fiunt, ijs ita affici, ut ex uulgo unuſquiſq;, quales neceſſe eſt & negligentes eſſe in operum Dei, & ſapientiæ huius conſideratione, quæ à pietate Chriſtiana ſunt alieniſſima. Qui tamen, uel per ſe intelligunt, uel de aliorum ſubiectionibus credunt operæ precium fieri, in cognoſcendis rationibus humanæ ſapientiæ, de naturæ rebus, & operibus, ijs de ſententia Collegij noſtri, deinceps explicabimus libellum D. Philippi Melanth. præceptoris noſtri uiri clariſſimi, quem ex doctrina Ariſtotelis de Phyſica collegit, quæ in hoc erudite explicatur, cum Ariſtotelica legere minimè ſit expedita res, etiam non uulgari doctrinæ, & in tanto numero Philoſophantium, & uerſantium ſcripta Ariſtotelis, qui uere illa, & utiliter, atq; erudite explicare poſſint, non eſt ualde magnus numerus. Hunc igitur libellum præceptoris noſtri, qui me in publica, & ordinaria doctrina explicantem audire uoluerint, ij deinceps eo loco, & tempore, quo hactenus tales operæ à me, & alijs exerceri conſueuerunt conuenire poterunt, & cum de eximia ſcientia aliqua mea

mea in his rebus, quibus non maximã partem ſtudiorum meorum impendi, policeri non poßim, diligentiam tamen, & fidem præſtabo auditoribus noſtris, quæ hactenus me probaſſe ijs, qui mihi operam dederunt, confido. Hanc explicationem meam, quando ſim inchoaturus alio tempore ſignificabo, cum, quo minus id facere hactenus potuerim, impedimenta mihi quædam obiecta fuerint, quæ nunc etiam me inuitum ab operis noſtris abſtrahunt. Die 9. April. 59.

Eſromus Rudinger
Pabepergenſis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO A STARHEMBERG &c.

HOC anno 1559. die Aprilis 21. erit annus ab initio urbis ROMAE 2310. Anteceßit enim natalem filij DEI, inchoatio urbis Romæ 751.

Confertur enim in annum primum ſeptimæ Olympiadis, quo tempore in Iudæa regnauit ACHAS, & Templum clauſit, & idolorum cultus inſtituit, decennio antequàm SALMANASSAR

NASSSAR *abduxit decem tribus Israel, & Samariam triennio circumsessam cepit.*

De his maximis rebus cum nos dies conditæ Romæ admoneat, pœnas & earum causas consideremus, & flectamus animos ad pœnitentiam, & ad inuocationem DEI. *Creuerat impietas in Israel. Ideo plurimæ urbes deletæ sunt. & maxima pars populi, & quidem ex stirpe* IOSEPH *abducta est in exilium, & dissipata. Talia nunc fiunt in uicinia Austriæ, ubi* TVRCI *grassantur, & in Liuonia, ubi Turcis crudeliores Mosynœci tristissimas uastationes faciunt. Hæc spectacula iam in limitibus Germaniæ intuentes, expauescamus cogitatione iræ Dei, & non confirmetur petulantia inhonestis exemplis. Sancita est autem & tunc initio urbis Romæ lex, ne quis in ualle, aut mœnibus tumultuetur.* REMVS *enim transiliens muros, interfectus est.*

Cum igitur audiamus quosdam ascendere in aggerem, & interdiu impedire operas, & noctu ibi armatos uagari, & extructam molem dissipare: Audiamus etiã quosdam alibi in plateis tumultus excitare, petere homines saxis, & conijcere lapides in alienas domos, hoc edicto nos de legibus nostris commonefacimus, ac seuerè præcipimus, ne quis interdiu, seu noctu in aggerem ascendat.

Manifestè iniusta sunt hæc, & maximè pugnantia cum iure hospitali, operas impedire, quæ fiunt publicæ utilitatis causa, & dissipare molem ingenti sumptu extructam. Ideo si non uolent auditores nostri obtemperare edictis nostris, Sciant iusta seueritate usurum esse Virum clarissimum, nobilitate generis, iustitia, & fortitudine præstantem, Adrianum à Steinberg, *cui hæc præfecturæ commendata est. Quid autem similius est latrocinio? quàm noctu uagantes gerere gladios, & machinas ad emittendos globos, ad trucidandos homines & ad inflammandas domos, item lapidibus petere homines, & lapides in alias domos conijcere. Hæc omnia seuerissimè prohibemus, & Deo iuuante, tales grassationes non solum Scholastico more puniemus, Sed etiam curabimus à magistratu politico maiore seueritate puniri. Scimus hæc latrocinia displicere ijs Scholasticis, qui non solum Academiæ, Sed etiam Ecclesiæ ueri ciues, & uera membra sunt, quos non dubitamus et Ecclesiæ causa dolore adfici. Hos scimus non indigere his edictis, quæ tamen proponimus, ut si qui sunt ex alijs sanabiles, commonefacti flectantur ad modestiam. Qui uero nolunt sanari, hi experientur, & Deo, & magistratibus pœnas se daturos esse. Precamur autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & re-*

susci-

ſuſcitatum, cuſtodem pij agminis, ut nos gubernet, & protegat. Datæ die 16. April. 59.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO A STARHEMBERG &c.

IN Salinis proximis docuit Euangelium in quadam Eccleſia, uir ingenio, eruditione, & uirtute excellens Magiſter Iohannes Schloſſer non procul à Vratislauia natus. Huius uiri Socrus matrona nata in familia Nobili, quæ eſt mater nobilium uirorum, qui iam reipublicæ ſeruiunt, Stammerorum, heri ex hac uita in inuocatione ueri Dei deceſſit. Doctrinam Euangelij ſtudioſè didicerat, & ſæpe in hoc morbo repetiuit conſolationes, quas filius Dei tradidit, quibus ſe in agnitione & fiducia filij Dei confirmauit. Hortamur autem Scholaſticos ut ad pias funeris ceremonias hodiè hora duodecima paulum infra ædes honeſti uiri Typographi Iohannis Lufft conueniant, & ibi ſeſe & Eccleſiam Deo pijs precibus commendent, quæ quomodo colligatur inter horribiles confuſiones generis humani etiam exempla duorum Apoſtolorum oſtendunt, quorum recordatio cras celebratur. Iacobus Alphæi filius, cum eſſet

eſſet Epiſcopus Ieroſolymæ, poſt reſurrectionem filij Dei ſpectator fuit adſiduarum ſeditionum & crudelium latrociniorum, annos triginta. Philippus in Hierapoli Phrigiæ magna urbe, quæ uicina fuit Coloſsis & Laodiceæ, in quibus locis aliquoties collocutos eſſe Paulum & Philippum propter uicinitatem conſentaneum eſt. Et multum fuiſſe horribilium idolorum in Hierapoli adparet, quia ibi uenenati ſpecus fuerunt, & Typhon ibi ſepultus dicebatur perpetuo ardens fulmine, quo in pugna Titanum percuſſus ferebatur. Hæ fabulæ ſignificant multum ibi ſuperſtitionum fuiſſe, Ideo narrant Draconem ibi à Philippo necatum eſſe, qui colebatur. Inter talia portenta cum tunc Eccleſia defenſa ſit, ſeruabit eam nunc quoq; filius Dei, etiamſi undiq; multi hoſtes eam oppugnant, aduerſus quos, ut filius Dei nos protegat, toto pectore eum precamur. Pridie Calend. Maij Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO A STARHEMBERG &c.

ANte menſes quatuor conuocauimus uos ad funus honeſtiſsimæ matronæ Dorotheæ coniugis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000018

coniugis uiri excellentis eruditione & uirtute Hieronymi Stehelin artis medicæ Doctoris, cuius filia matri cognominis Dorothea uirgo pietate & castitate præstans in pia confessione & inuocatione filij Dei heri decessit, sicut post matris mortem dixerat se illam paulo post subsecuturam esse. Meministis autem quæ tunc de patre huius Doctoris Hieronymi Stehelin, VVolfgango Iuris utriusq; doctore indicauimus, quod fuerit huc accersitus ex Tubingensi Academia, una cum Doctore Hieronymo Schurf, & Volando, ut Iuris doctrinam hic iuuentuti traderet. Qua in functione diu utiliter seruijt, in legum interpretatione, & in iudicijs fidem, & integritatem præstans, & quod in primis iureconsultos decet, doctrinam iusticiæ, etiam morum iusticia exornans. Cumq; coniunx ipsius Dorothea nata in familia amplissima Alpekiorum omnibus uirtutibus matrona honesta dignis ornata esset, etiam filia Dorotheæ earum ingeniosa, & studiosa imitatrix fuit, & in primis pietatem suam declarauit, patientia in diuturno morbo, & ardenti inuocatione filij Dei, & recitatione insignium consolationum ex uerbo Dei, quibus se erexit, & sustentauit in luctu acerbissimo, quem ipsi matris mors attulit, & postea in agone subinde orans filium Dei, Sponsum suum, ut ipsam quam primum ad se in æternam

nam consuetudinem, & amplexum piæ matris, ac patris traduceret. Vt igitur testemur nos uirtutem magnifacere, & meritorum huius honestissimæ familiæ memores esse, hortamur Scholasticos, ut ad sunus conueniant hora quarta, ante ædes Domini Bartolomei Vogelij Bibliopolæ, Vbi simul singuli se se, & Ecclesiam pijs precibus Deo commendent. Die 21. April. Anno 1559.

RECTOR ACAD[illegible]
MIAE VVITEBERGENSIS [illegible]
RICVS BARO A ST[illegible]=
HEMBERG &c.

GRata, & necessaria consolatio pie menti proposita est, in professione dicti: Credo esse Ecclesiam Catholicam. Quid enim dulcius est, quam scire in tantis confusionibus, non prorsus abiectum uniuersum genus humanum, & sine Deo esse, Sed excerpi ex tam dissimilibus agminibus illam partem, quæ uocem filij Dei audit, discit, & amplectitur, ut ipse inquit: Oues mea uocem meam audiunt. Hæc cogitantes, simul in eam nos uelut in arcem, quæ diuinitus tegitur, includamus, iuxta dictum: Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt,

C bunt,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000019

bunt, & ut fideles ciues, dirigamus laborum nostrorum consilia, ad Ecclesiæ conseruationem, sicut præcipitur: Rogate, quæ ad pacem sunt Ierusalem. Prosperitas diligentibus eam.

Cum autem necessaria sint Ecclesiæ doctrinarum studia, amemus & foueamus cœtus Scholasticos, & sciamus eos non debere similes esse exercitui Titanum aut Cyclopum, Sed ordinis, & disciplinæ amantes, quos protegat, & erudiat filius Dei, & in quibus sint castorum angelorum excubiæ. Intuemur in nostro agmine gradus ætatum, qui simul inuocant Deum in agnitione filij, Adolescentes, de quibus scriptum est: Talium est regnum cœlorum, & Senes, qui & uoce, & honestis exemplis erudiunt Iuniores, & magnos dolores circumferunt, propter Ecclesiæ uulnera, & assiduis gemitibus precantur Deum, ut sanet, seruet, & gubernet Ecclesiam, sicut Daniel precatur: Non propter iusticias nostras, Sed misericordia tua exaudi nos Deus, propter Dominum intuere uastationem tui templi. Hanc precationem, & reliqua multitudo cum senioribus sonet. Pertinet autem ad conseruationem Scholastici cœtus, ordo magistratuum. Quare cum, Deo iuuante, Senatus Academiæ eras Rectorem electurus sit, hortamur Scholasticos,

cos, ut cras manè hora sexta in auditorio maximo conueniant quia indictio debet esse publica. Simul autem adferte pia uota, pro tota Ecclesia, pro uobis, & pro hoc cœtu, ut & huic nostro congressui, & omnibus nostris laboribus, adsit filius Dei, Sicut inquit: Vbicunq; sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Adsuefacite etiam animos uestros ad amorem & reuerentiam politici ordinis, quem uerè scitis esse opus Dei, & conseruari à Deo, quantum manet tranquillitatis, ne totum genus humanum dissipetur. His cogitationibus uos ad modestiam, & precationem inuitetis. Nec est exigua sapientia, harum rerum consideratio. Datæ pridiæ Calend. Maij Anno 1559.

Finis hyëmalis Rectoratus.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000020

ANNO 1559.

RECTORATVS ÆSTIVVS NOBILI-TATE, SAPIENTIA, ERVDI-tione, & uirtute excellentis, Generosi Domini, CHRISTOPHORI Burggrauij à Dhona Baronis &c. à Festo sanctorum Apostolorum, Philippi & Iacobi, Anni 59. usq; ad Festum diui Euangelistæ Lucæ eiusdem anni &c.

STVDIOSIS DIALECTICES.

Diuinus Plato, ingenij & sapientiæ princeps prudenter ut cætera omnia in Republica statuit, ferendam esse legem, quæ iubet adolescentiores, quorum ætas ad ea studia uidetur imprimis apta, eam potissimum disciplinam capessere, ex qua interrogare, contrà; respondere scienter possint. Ac in Parmenide utilem commonefactionem proponit, ne solidæ eruditionis studiosi, reiecta arte Dialectica, ad grauiora, & superiora studia contendant, ac properent. In hanc enim sententiam loquitur: Præclarus est, & diuinus

diuinus impetus, quo ad discendas optimas artes incensus es, retrahe uero te paululum, & exerce te magis in Dialectica, quæ multis uidetur inutilis, & inanis garrulitas, idq; facies dum adhuc iuuenis es, quod si neglexeris, semper te ueritas effugiet. Quid potuit dici sapientius, aut rectius, quod magis nobis hanc dicendi artem commendaret: quam cum Dialecticam constituit lucem omnium doctrinarum, quæ sola nobis fontes ueritatis, & certitudines omniũ artium demonstrat, et imposturas erudite cõuincit, ac refutat. Politioris igitur doctrinæ studiosi omnia sua studia, omnes cogitationes ad hanc artem dirigant, quæ omnium cæterarum artium, si formam spectes, ornamentum, si firmitatem, murus quidam aheneus, firmissimumq; propugnaculum est. Veteres sapientiæ autores, Philosophiam animanti similem finxerunt, Dialecticam autem ossibus, ac neruis, significantes, hanc artem ducem, directricem, atq; stabilitricem esse cæterarum artium omnium, neq; sine huius præsidio, reliquas fines suos posse tueri. Ac manifestum est nobis in Ecclesia Dei huius artis cognitionem maximè necessariam esse, quod & diuus Paulus ostendit præcipiens ὀρθοτομεῖν λόγον θεοῦ. Nec eget disputatione, cum inter omnes constet, nõ posse dogmata de æterno patre, filio, & spiritu sancto explicari, nisi doceatur, quid sit ἀγεννησία, quid ὑποστάσις,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000021

ſuerit, quid λόγος, in doctrina iuſtificationis quid imputatio iuſticiæ, quid iuſticia, quæ eſt qualitas, ſignificent, & inter ſe differant. Hæc ſine Dialectica nemo dextrè, & concinnè explicare poteſt. Quod ſi ullo unquam tempore, huius artis cognitione opus fuit, nunc in tantis concertationibus, & controuerſijs eam requiri certum eſt, ut doctrinam Eccleſiæ, quam in hac Academia rectè à præceptoribus noſtris traditam accepimus, tueri, & furores ac impetus aduerſariorum propulſare poſſimus. Quantæ controuerſiæ mouentur hoc tempore, de quibus Dialecticam conſuli neceſſe eſt. Sine huius artis præſidio, quæ ab alijs acutè, & ſubtiliter ſcripta ſunt, neq; intelligere, neq; ſine hac, tanquam regula, quid rectum ſit, quid adulterinum, poſſumus dijudicare. Experientia teſtatur, quàm turpiter ſæpe in grauibus cauſis hallucinentur ij, qui hac arte non ſunt inſtituti. Cum igitur manifeſta ſit eius utilitas, uis, & præſtantia, in omni genere doctrinarum, amemus hanc artem, eamq; nobis familiarem reddamus. Precepta huius artis, ut ſpero, Deo ſtudia noſtra gubernante, ea perſpicuitate illuſtrabo, ut ſtudioſi artem Dialecticam mediocriter intelligant, & uſum cernant. Cras autem hora duodecima in domo Oeconomi, non procul ab ædibus uenerandi ſenis Domini Magiſtri Sebaſtiani

ſtiani Froſchelij Dialectices enarrationem inchoabo. Deus ſtudia noſtra, & totius uitæ curriculum gubernet, ac regat ad æterni nominis ſui gloriam, & pacem nobis ac tranquillitatem ad has operas ſcholaſticas Eccleſiæ, atq; Reipub. utiles & neceſſarias clementer largiatur. Die 4. Maij. Anno 1559.

Albertus Lemeigerus
Hamburgenſis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Chriſtophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

SEnonum uirtus inter uetuſtas Teutonum gentes, præcipue celebrata eſt. Nec dubium eſt Senones in ea ora nobis uicina fuiſſe, ubi nunc eſt uetus Marchia, & urbs Brandeburga, quæ multis officijs nobiſcum coniuncta eſt. In ea urbe Brandeburga, natus eſt uir honeſtus, eruditus, et officioſus, Magiſter Martinus Simon. Huius coniunx honeſta matrona Eliſabeth, filia honeſti ciuis Laurentij Geſneri in octauo partu heri extincta eſt, in coniunctione Solis,

Lunæ, Saturni, Veneris, & Mercurij, quibus omnibus, & Mars oppositus fuit. Viuit infantula, quamuis languida, Sed mater, labore partus superata est, Cum quidem & antea & in ipso agone ardentibus uotis se Deo commendauerit, in agnitione, & fiducia filij Dei. Cumq; talis fuerit, qualem Paulus describit, inquiens: σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης, *Fulsit eius fides in quotidiana inuocatione, dilectionem erga maritum, & sobolem, omnibus iustis officijs ostendit, fuit & casta, & modesta. Quare ad Ecclesiæ cœlestis consuetudinem eam translatam esse non dubitemus, ubi uidebit multas sanctas matres, quæ in hac uita expertæ sunt, multò tristiores casus: Euam, quæ uidit filiorum parricidia, Rebeccam, & alias multas.*

Multis magnis miserijs, totum genus humanum subiectum est, quas, ut leniat nobis filius Dei, qui nostrã massam induit, assiduè precemur. Id fiat etiam hodie in funere, ad quod conueniant Scholastici hora quarta ante ædes magistri Martini Simonis, & singuli sese, & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent.

Die 8. Maij, anno 59.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Christophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

VVIt Deus historiam Iob nobis omnibus commonefactionem esse, & de ærumnis communibus, & de consolatione, quæ Deus ipsum, & omnes inuocantes cum erigit. Ingentibus ærumnis subiecta est hæc hominum natura, Et in Ecclesia uult nos Deus conformes fieri imaginis filij, Nec ullius dolores tanti sunt, quanti sunt filij Dei, qui sentit iram Dei aduersus nostra peccata. Sed uult Deus nos non extingui dolore. Sicut scriptum est: Velle eum in mœstis & afflictis habitare. Nec uelle eum calamum quassatum confringere. Amissis omnibus consolationibus tamen à Deo non deficiamus, Sicut Iob inquit: Etiamsi occidet me: tamen sperabo in eum. Amiserat Iob septem filios, & tres filias. Vir reuerendus Georgius Maior, Theologiæ Doctor, amisit sex filios præstantes ingenijs, Sed Dei beneficio, adhuc habet sex filias. Sed parentum σοφγὴ non potest esse sine ingenti dolore, postquam tot filijs orbati sunt. Sed habent consolationem hanc firmam, quod rursus uidebunt, & complectentur eos in consuetudine cœ-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000023

leſtis Eccleſiæ, quia hæc dicta ad omnes pertinent. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, Non eſt uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis iſtis. Filius CHRISTOPHORVS quia rectè didicit doctrinam de filio Dei, in hoc longo morbo oſtendit fidem aſſidua inuocatione Dei, in agnitione, & fiducia mediatoris, & repetiuit multa dicta filij Dei, & non ſolum ſeſe, ſed etiam parentes, & ſorores, & Eccleſiam uniuerſam Deo commendauit, & ſentiens uoce Euangelij ſe confirmari, non dubitabat ſe ad cœleſtis Eccleſiæ, & dulciſſimum filij Dei conſpectum accedere. Hæc in filio teſtimonia Spiritus ſancti conſolentur parentes & nos, quia hæc exempla oſtendunt præſentiam Dei in hac Eccleſia. Hortamur autem Scholaſticos, ut hodie hora quarta conueniant ante patris ædes, & ueris gemitibus ſeſe, & Eccleſiam Deo, commendent. Datæ die 9. Maij Anno 1559.

quo die ante annum frater huius Chriſtophori Georgius Maior ſepultus eſt.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Chriſtophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

CElebram eſt natio Rhetica, quæ inde uſq; ab Alpibus ſedes tenuit, uſq; ad fluuium Altmylam, & res magnas geſſit. Cito etiam amplexa eſt doctrinam filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ibi & Epiſcopi ſedes conſtituta eſt, in oppido Eichſtat. In eius oppidi uicinia, in Talmeſſingen pago, id eſt, Valle Meſſiæ, natus eſt Iohannes Tolingerus, cuius extant Poëmata digna laude, quæ non ſolum bonitatem ingenij, & eruditionem eius, ſed etiam honeſtam & piam uoluntatem oſtendunt, Hiſtoria Ionæ, in qua complectitur præcipuam doctrinam Eccleſiæ, quia Ionas & Chriſti typus eſt, & exempla proponit periculorum Eccleſiæ, & mirandæ liberationis, & perſpicuè reddidit uerba precationis Ionæ.

Qui meritis operum fidit, ſpe fidit inani.
Sed fœlix Chriſtum ſtatuit qui ſoluere λύτρα,
Et tribui gratis æternæ gaudia uitæ.

Alter labor fuit, latino carmine redditus Theognis, in quo oſtendit ſe delectari uir-

tutibus

tutibus ciuilibus. In Patria ægrotare cœpit, deinde reuersus paulatim contabuit, & mens firma quotidie se pijs sententijs & inuocatione filij Dei erexit. Si uixisset, multum Ecclesiæ Dei prodesse potuisset, cui profecto opus est bonis ingenijs, quæ rectè exculta sunt. Nam & hodie huc literæ allatæ sunt de quodam indocto, & temulento præstigiatore, qui turbat Ecclesiam insulsis sophismatibus, quibus ludit propter ingenij prauitatem, & insciti am. Precemur igitur filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, sedentem ad dextram æterni patris, & dantem dona hominibus, ut Ecclesiæ tribuat & seruet bona ingenia, dat autem petentibus ὡσὶ οὕτω νεύσει, ut Nazianzenus piè loquitur. Has preces in iunctim repetamus, quod fiet iam hora quarta. Ad id, ut tunc conueniatis in Collegio, uos hortamur, ubi singuli sese, & Ecclesiam Deo pijs uotis commendent. Datæ die 11. Maij Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Christophorus Burggrauius
à Dhon Baro &c.

EFfundam flatum, dicis, Dauidis in agmen,
Christe, Euangelij qui solet esse comes.
Gratia

Gratia magna Dei docili ut notissima fiat,
Vtq; prece accedat non dubitante Deum.
Mentibus & petijsse iubes hoc munus anhelis,
Teq; auidis iuras hoc dare uelle bonum.
Ergo uoce tua confisi Christe precamur,
Aura Euangelij sit comes ista tui.
Luceat in nobis, & iustæ pectore nostra
Adsimilet legi quæ data uoce Dei est.
Te uere æternumq; patrem ut cognoscere possint,
Et motus habeant quos tua uerba docent.
Hæc nos flamma tibi iungat summoq; parenti,
Ipse sit in nobis iam noua uita Deus.
Non sine doctrina uenit hæc in pectora flamma,
Discere igitur, studijs & pia uota iuues.
Eximia est ergo pietas, uelle esse docentes,
Sic homines seruet filius ipse Dei.
Quare hodie gratæ mentis tribuantur ad aram
Exemplo multis signa futura pijs.

IN Pentecoste anni 1559. quæ est ab exitu Israëlitarum Pentecoste 3068. Cogitemus autem grati ingentia beneficia Dei. In priore Pentecoste Lex promulgata est singulari consilio Dei. In altera missus additis illustribus testimonijs Spiritus sanctus, qui est flamma ὑφ' ἁλὸς, ab æterno patre, & filio, Domino nostro Iesu Christo, in eos qui ad Deum conuertuntur missa, & accendit

accendit eorum pectora, ut uerbo Dei adſentiantur, & Deum rectè inuocent, & adſimilat corda legi Dei. Et gratiſſimus Deo cultus eſt petere, ut Spiritu ſancto regamur, ſicut inquit Chriſtus: Quanto magis pater cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus. Anno 1559. Anno ab exitu Iſraëlitarum ex Aegypto 3068.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS MEdicæ, Iacobus Milichius, artis medicæ Doctor.

SIngulari conſilio Paulus iubet honorem haberi corpori. Cum enim uideretur ſatis eſſe dictum: Non adfligite corpora in utramq; partem, inedia, nimijs uigilijs, immodicis laboribus, mœſticia, aut intemperantia, crapula, illuuie, neglectione ordinis, contemptu remediorum. Sed fouete ea conueniente cibo, potu, ſomno, meditatione, mediocri labore: Complexus hæc omnia Paulus, addit aliud longè maius, uidelicet, ut honore adficiantur corpora. Honos autem proprie propter uſus diuinos tribuendus eſt, quaſi dicat: Eò fouete corpora, quia non ſunt ueſtra, ut pecudes, Sed ſunt templa, & organa Dei. Vult lucere Deus in cerebro & in cordibus ueſtris,

ſtris, uult accendere cogitationes de ſeſe, & ſua ſapientia, uult flammas in corda ſpargere, quæ ſint ardentes motus uirtutum omnium, dilectio Dei, caſtitas, miſericordia, indignatio aduerſus hoſtes Dei, uult Spiritui ſuo ſancto miſcerī ſpiritus in corde tuo, & cerebro. Hæc miranda ſocietas impeditur, cum noſtra corpora quoquo modo debilitantur turbato ordine. Itaq; & noſtræ ualetudinis cauſa, & ut Deo conſeruemus domicilium, foueamus corpora, amemus ordinem, grati etiam cibis, potu, remedijs utamur. Doctrinas etiam conſideremus & amemus, quæ ordinem, & remedia monſtrant. Ideo ſcriptum eſt: Honora medicum, Et additur cauſa: propter neceſſitatem enim creauit eum Deus. Audis teſtimonium prouidentiæ Dei, & amoris erga nos, Deus ſollicitus pro nobis, dat uictum, remedia, & medicos. Agnoſcamus igitur & autorem, & hæc bona. Cum autem decretum ſit, ut die Maij uiceſimo quinto uir clariſſimus eruditione, & uirtute excellens, Magiſter Iohannes Moninger natus in oppido Francia Onoltzbach, ornetur honeſtiſſimo gradu Doctorum in arte medica, Petimus ut omnes Doctores, & Magiſtri, & auditores omnium Eruditorum in hac Academia in Templo arceis ad publicam de gradu teſtificationem conueni-

conueniant, quia multæ graues cauſæ ſunt, cur publicè tribuenda ſint hæc teſtimonia. Audiant ibi etiam Iuniores commnefactiones utiles, & coniungant precationẽ cum Senioribus, ac orent Deum, ut ipſis, & poſteritati ſeruet Eccleſiam, politias, & doctrinas diuinitus traditas. Nam hæc bona non poſſunt humanis uiribus ſine auxlio Dei conſeruari, Sicut ſcriptum eſt: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat, qui cuſtodit eam. Vult autem adeſſe nobis filius Dei, & hæc bona largiri, & tueri, iuxta dictum. Ego etiam in ſenecta geſtabo uos. Vult autem agnoſci, & in inuocatione peti omnia bona, Sicut inquit: Petite, & accipietis. Sciatis igitur ad honeſtiſſimos congreſſus adferendas eſſe cogitationes de Deo, de conſeruatione Eccleſiæ, politiarũ, et doctrinarum. & pia uota & præcationes. Datæ die Maij 25. Anno 1559.

THEOLOGIÆ STVDIOSIS.

HOdierno die uiceſimo nono Maij, Anno Chriſti ex Virgine nati milleſimo, quadringenteſimo, & quinquageſimo tertio. Ante annos centum, et ſex Conſtantinopolis urbiam toto orbe terrarũ celeberrima, non ſolum ſedes, & arx

& arx Græci Imperij, Sed etiam doctrinarum domicilium, & uetus Eccleſiæ hoſpitium, poſt obſidionẽ dierum quatuor et quinquaginta à Mahometo Turcarum Imperatore ui capta eſt. Cum ad obſidionem urbis adducta eſſent quadringenta millia hominum, & præter urbanam multitudinem intra mœnia tantũ ſex millia Græcorum militum, et auxiliarium Venetorum, & Genuenſium tria millia eſſent, quæ exiguæ copiæ ad defenſionem contra tantam multitudinem, diu ſufficere non potuerunt. Capta urbe Imperator Conſtantinus in ipſa porta trucidatus eſt, & eius caput Mahometi iuſſu amputatum, & haſtæ affixum, per urbem, & tota caſtra ad ludibrium geſtatum eſt.

Cædes ingens edita, ſæuitum in omnem ſexum, & ætatem, urbs direpta, & præda ex omnium ædibus, & templis quæſita, conceſſa eſt militi: pueri, uirgines, cum maribus ad ſtuprum rapti: in templis picturæ Chriſti contumelijs adficiuntur, & fiunt omnia ſcelera toto hoc triduo, quæ gens Barbarica, impia, libidinoſa, auara & crudelis in capta urbe regia, opulenta, & ornatiſſima facere audet.

Quare metuamus nos quoq; & Turcica, & alia bella, & emendatis morib. ſuo quisq; loco rectius faciat munera ſui officij, & aſſiduis gemitibus,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000027

bus, & uotis petamus, ne ſinat Deus Eccleſias deleri, & fieri talem Barbariem & uaſtitatem, qualis nunc Corinthi, in Galatia, Epheſi, Philippis, Coloſsis & Theſſalonicæ eſt, ubi Paulus docuit, & ad quos eius Epiſtolæ extant, quæ urbes cum antea templum Dei fuerint, nunc diabolorum Cloacæ, & Turcicorum latronum ſpeluncæ, & ſtabula ſunt.

Vt igitur noſtræ uocationis munus faciamus, cras hora ſecunda enarrationem Epiſtolæ ad Epheſios à Paulo ſcriptæ, Deo iuuante, exordiemur.

Georgius Maior.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Chriſtophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

PVlcherrima regio, quæ nunc Auſtriæ nomen habet, citra montem Cetium, olim pars Noricæ regionis fuit. Vltra Cetium Pannonia eſt. Vt autem πάϊωρ græcè prorſus idem ſignificat, quod Cethim, ita & mons Cetius à Cethim adpellatus uidetur. Adeo enim celebres fuerunt Cethim, ut gentes in Europa præcipuas nominarint Prophetæ Cethim. Legimus autem in Geneſi

Geneſi filiũ Iaphet fuiſſe eum, qui nominatur Ion, unde ſunt Iones, quod Ionis filij fuerũt. Eliſa unde ſunt AEoles. Tarſis unde eſt Tarſus. Cethim unde ſunt Macedones, & Pæonij. Dodanim unde ſunt Dodanei. Ac nunc fluuius quoq; , qui dirimit Macedoniam et Illiricum, retinet nomen Cethim. Hæc conſiderare ad intelligendos Prophetas utile eſt. Et confirmatur autoritas Sacrorum librorum, cum uidemus cum eis congruere monumenta, & hiſtorias græcorum. Sunt autẽ nouæ adpellationes ortæ, à diſtinctione regni Germanici, Occidentalis pars, nominata eſt VVeſtrich, Orientalis Oſtrich. Inde eſt nomen Auſtria, non ab Auſtro,

Cumq; Hungaros ex ea regione expuliſſet Albertus, frater ducis Sueuorum Erneſti, tempore Imperatoris Cunradi Franci, qui ſucceſsit Imperatori Henrico Bombergenſi, Hic Albertus nominatus eſt dominus Marchiæ Orientalis. Tunc primum Auſtria proprios principes habuit, cum antea eam aliàs noſtri Imperatores, aliàs Hungari tenerent. Erat autem tunc ea uirtus germanicorum Principum, ut externos hoſtes à patria depellerent, non ut domi tumultuarentur. Eſt autem oppidum Auſtriæ Hegenburg à Comite Hegone dictum. In eo oppido natus fuit Pangratius Trincelius, adoleſcens modeſtus, amans ueræ doctrinæ, & Deum rectè inuocans,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000028

qui longa Phthisi contabuit. Declarauit autem animi pietatem adsidua inuocatione Dei, Et in hoc extremo agone se filio Dei sæpe commendauit, gratias agens, quod in his Ecclesijs ueram doctrinam didicisset. Quare cum in eo cœtu esse statuamus, de quo dicitur: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Hortamur igitur Scholasticos, ut hora quarta conueniant ante uicum Cupreum, ad pias funeris ceremonias, & ibi singuli Ecclesiam & sese Deo pijs uotis commendent. Die Iunij 2. Anno 59.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Christophorus Burggrauius
à Dhon Baro &c.

QVanquã urbes et regna ruunt, et nulla uidetur
Doctrinæ sedes firma futura piæ. (tur,
Non tamen ha. inter Christus perijsse ruinas
Agmina quæ discunt dogmata uera, sinet.
Sed dabit hospitium nobis, donoq; modeste
Hoc inter iußit tanta pericla frui.
Sic patris æterni dicunt dulcißima uerba,
Nos omnes semper quæ meminisse decet,
Doctorem uerum, panesq; undasq; salubres,
Munera sed uobis cum cruce tanta dabo.

Non

Non tamen ærumnæ uestræ sine fine manebunt,
Mox aderit cunctis meta statuta malis.
Æterni gnatum patris tua lumina cernent,
Lætus & æterni luce fruere Dei.
Hæc spes discenti tribuat solatia certa,
Irrita non fient uota laborq; pij.

Cum igitur Deus uelit nos hospicijs modeste uti, seuere præcipimus, ut peregrini, qui huc ueniunt, dent nomina Rectori, ne sine certo magistratu hic uagentur.

Præcipimus etiam ne discedant, cum Rector eos aresto, id est, decreto suo manere iubet, & sciant infames esse, qui hunc neruum iurisdictionis nostræ uiolant.

Seuere etiam natationes in Albi prohibemus, quas periculosas esse plurima exempla ostendunt. Deus uitæ nostræ custos est, Sed non uult petulanter accersi exitium, Scriptum est enim: Qui amat periculum peribit in eo. Cogitent adolescentes de mandato Dei, Non occides, de insidijs diabolorum, de parentum doloribus. Nec fiant parricidæ suorum corporum, & parentum. Hæc edicta proponimus optima uoluntate, & filiũ Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, doctorem nostrum precamur, ut nos, & iuuentutem gubernet

& Eccleſiæ reliquias, & nos in ea ſeruet. Datæ die Iunij 4. Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Chriſtophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

SCriptum eſt: Non eſt uoluntas æterni patris, ut pereat unus de paruulis iſt, Item Simite paruulos uenire ad me, quia talium eſt regnum cœlorum. Hæc uera & ſumma conſolatio leniat ingentem dolorem honeſtiſſimis parentibus adoleſcentuli Nicolai Reimholt, patri uiro clariſſimo, Nicolao Reimholt, doctori Iuris, & matri honeſtæ, & ſanctæ, orbatis unico filio. Adfert autem ingentem dolorem σοργὴ diuinitus inſita, præſertim in morte unici filij, ut ingentem mœſticiam denunciat Deus, cum inquit: Faciam luctum unigeniti. Fuitq; parentibus eò dulcior filij uita, quia non ſolum indoles ingenij, Sed etiam ſigna Spiritus ſancti in eo cernebantur: auidè didicit initia doctrinæ Chriſtianæ, ſingulari intentione, dicebat precationes, Iam in agone ſæpè ſeſe filio Dei commendauit. Et nuper cum uentum eſſet ad uerba: Fiat uoluntas tua, quaſi tunc in ſeipſo luctã ſentiens aliquoties repetiuit ea uerba: Tuæ

Tua Domine Ieſu Chriſte, Tua uoluntas fiat, quæ uoce non ſibi tantum, ſed parentibus & Eccleſiæ ſalutem mens ardens Spiritu ſancto petiuit depelli rabiem diabolorum à ſeipſo, à parentibus & ab Eccleſia. Ita commonefacti huius adoleſcentis agone ardenter petamus, ut fiant grata filio Dei, Sit ipſe uictor in nobis, depellat diabolos, qui iam noua ſæuicia in belgico declarant odium aduerſus Eccleſiam. Etſi autem dolor parentum non poteſt ſubito leniri, tamen hac cogitatione ſeſe utcunq; erigant, quod talem filium ſciunt iam cœleſtis Eccleſiæ ciuem eſſe, & coram intueri filium Dei, ubi aliquanto post & ipſi rurſus eum læti complectentur. Vos autem hortamur, ut ad funeris ceremonias ante ædes patris hora duodecima conueniatis, & ibi ſinguli ſeſe, & Eccleſiam Deo pia precatione commendent. Die quarto Iunij. 59.

IN PRÆLECTIONEM ILIADOS HOMERI

REx Macedum, cuius fortunæ ceſſit et armis
Omnis, in Europa, uis, Aſiaq; potens.
Ditatus uaria uictor Babylonide Gaza
Inſpicit ut partas fortè ocioſus opes.
Arcula cum primis profertur eburnea, cuius
Paſſim auro & gemmis fabrica tota nitet.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000030

Sed manus Artificis pretio certabat, & illi
Dædalea nullus par erat arte labor,
Mirantur proceres, quos Rex iubet ordine fari,
Araula conueniens cui foret illa rei.
Et dubitatis adhuc? Rex protinus interpellat
Sit ne aliquid nostras dignius inter opes.
Ilias hac docti theca ponetur Homeri,
Quæ mecum in castris inter & arma cubet.
Ergò operi inclusus Regali doctus Homerus,
Emeruit tanti Regis honore coli. (Achillis?
Quid? quod & hic, tumulum propè cum uenisset
Hac una es iuuenis, parte beatus, ait.
Quod te diuini celebrauit Musa Poëtæ,
Virtutisq; manent hæc monumenta tuæ.
Censuit hoc regum quo non sapientior alter,
Non armis belli fortior alter erat.
Quĕ μύθων ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρα δὲ ἔργων
Erudijt quondam doctus Aristoteles.
Sic Plato sic coluit quæ te scelerate Sophista,
Præcipitem saxo Græcia docta dedit.
Sic coluit docti carmen uenerabile uatis,
In ueteri sapiens Hellade quicquid erat,
Quorum iudicium q; sequi factum q; probare,
Nos potius, tua, quam Zoyle probra decet.
Vt carmen ueræ speculum uirtutis Homeri,
Voluamus uigili nocte die q; manu.

Ergò

Ergò quæ monitis nunquam parere reausas,
O æui fœlix flore iuuenta bonis.
Doctrinæ postquam sua debita tempora Christi
Sunt data, qua sola stat q; cadit q; salus.
Stat q; cadit q; salus etiam post funera uitæ
Præsentis, fallax quæ uelut, umbra fugit.
Tum uerò & castis tribuantur tempora Musis,
Ipse Deus uitæ quas dedit esse decus.
Et Paulum priscos uates legisse uidemus,
Et uersus scriptis inseruisse suis.
Sed ne delineam patulas ambagibus aures,
Propositi tandem summa sit ista mei.
Vtilia ingenijs & moribus apta pudicis
Discere, res homine est digna placens q; Deo.
Qualia Græciloquus cum plurima monstret Ho-
In nostri merito parte laboris erit. (merus,
Ne pro Mæonide, cuius dulce ἔργα uidere est,
Vt faciant multi, stulta πάρεργα legas,
Aut ueluti stupor est nostri q; insania secli,
Vtilibus missis liuida scripta legas.
Hoc igitur solitã Gnomon cum ostenderit horam,
Ilias est nobis continuanda die.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000031

AVDITORIBVS QVINTI LIBRI ILIADOS Homeri, S.

Corpora Dardanios Mauortia fusa per agros
Membraq; mirificis dilaniata modis.
Ilias, ut prisci memorat doctißima uatis,
Quarta diem quando traxerit hora, legam.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN Academia VVtebergensi.

DVm ruit in pœnas fatales efferus orbis,
Accelerans fatis ultima damna suis,
Et Scyticus patriæ supra caput imminet hostis,
Et iaculo et sæuus fulmine Acinacio,
Et gelida uastat gens Mossynœa sub arcto,
Quod rigat infœlix Rußica Duna solum.
Iras insidiasq; graues dum nectit Erynnis,
Implacabilibus pernicioſa modis.
Nec fas, nec sinit esse decus, non pacta fidemq;,
Grassanturq; odij dira uenena mali.

In sua conuersus dum sæuit uiscera ciuis,
Et sequitur fatuæ classica uana tubæ.
Nec prodest pietas, meritum, sapientia, uirtus,
Protegit insontem nec pia causa reum.
Religioq; perit, uerum superante profano,
Vipereoq; dolo, sanguineaq; manu.
Talia dum uasto patrantur plurima mundo,
Venturosq; pauent anxia corda metus.
Nos tua Christe manus, sociat quos Musicus ordo,
Atq; Melanthoniæ congregat ora scholæ,
Præbemus studijs aures uocemq; probatis,
Dum sibi mandatum quisq; tuetur opus.
Scrutantesq; tui promissa fidelia uerbi,
Discimus his prona sidere posse fide.
Atq; tuas canimus laudes, te nostra celebrant
Pectora, te maius ducimus esse nihil.
Gloria dum constet tibi, te firmante, feremus,
Quicquid erit, nec erit sustinuisse graue.
Ocia tu studijs tu das bona commoda nostris,
Nec sinis aduersis succubuisse malis.
Dum nos missa petunt damnantis fulmina charta
Et farcit diras turba maligna nouas.
Tu bonus es placidusq; tuis, & nostra secundans,
Disijcis in tenues hostica uota Notos.
Doctoresq; pios, tua munera magna, tuemur,
Nec desunt sanctis panis & unda tuis.

Quanta

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000032

Quanta tuam quoties, mala tentauere Sareptam?
Vidit & armati militis illa minas.
Hanc dextræ tamen umbra tuæ protexit egenam,
Munere nec ceſſat uincere uicta tuo.
Nunc quoq; tot, memores, inter diſcrimina rerum,
Auxilio freti pergimus eſſe tuo.
Te nitente, fide ſecurus quisq; futuri
Officij peragit munera iuſſa ſui.
Fallere credentes nam tu fidiſſime neſcis,
Nec de promiſſis uox perit ulla tuis.
Sic etiam nomenq; tuum laudesq; canebant
Fœta Deo uirgo, ſeraq; mater anus.
Sit licet ergo omnis facies triſtiſſima mundi,
Vltima dum præceps in ſua fata ruit.
Nos tamen & pietas iuſſos urgere labores
Imperat, & firmos in ſtatione tenet.
Hinc Muſas colimus, ſophiæq; extendimus artes,
Relligio famulas relligioſa tuas.
Nam quæ grata Deo, populo quæ commoda Chri-
Virtutisq; ferunt ingenijq; decus. (ſti,
Talia ſemper agi laus eſt, & talia ſemper
Res iubet, & pietas cum ratione facit.
Victor Agenorides ſparſit ſerpente peremto,
Vipereos dentes, Pallade doctus, humi.
Hinc armata ſeges medijs excreuit in aruis,
Et ſubitum uerſa prodijt agmen humo,

Haud

Haud mentes etiam doctas ſic germine tellus
Producit, ſubitæ nec ſationis opus.
Longa dies animos, uſus, ſtudiumq; laborq;,
Excolit, & curæ peruigilantis onus.
Mollicie uitioq; infractum robur ab omni,
Abſtineat placitis & quod acerba ferat.
Ergo laboriferis Muſis reparamus honores,
Quos ſchola præcipuos publica ferre poteſt.
Doctrinæ teſtes titulos, inſigne, magiſtræ,
Auratamq; manum purpureumq; caput.
Hæc quibus eſt cordi doctarum gloria laudum,
Quem iuuat & ſtudium ſeq; probare bonis,
Nobis ſi fuerit nomen de more profeſſus,
Quam decet & fas eſt experietur opem.

Eſromus R. P.

PP. VI Non VLis.
Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Chriſtophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

ET præſentium temporum ea facies eſt, & is impendentium calamitatum metus, ut omnibus

nibus illis, qui piè ex hac ærumnosa uita emigrant, & nos in Academiam cœlestem præcedunt, beatitudinem suam inuidere non debeamus, Sed potius gratulari, quod à Deo sublati sint, ne uideant uentura mala. Dolemus tamen Ecclesiæ & posteritatis causa, adolescentes eruditione, & pietate instructos, quales multos his proximis annis amisimus, à quibus, si diutius uixissent, in propagãda doctrinæ Ecclesiæ utilis opera nauari potuisset, ante tempus hinc eripi. In quorum numero fuit Iohannes Frisch, natus honestis parentibus in oppido Minden, qui cum triennium in hac schola uixerit, mores honestè rexit, & doctrinam Ecclesiæ fœliciter discere cœpit, hoc consilio, ut in ea docenda, uel patriæ, uel Ecclesiæ Dei, ubicunq; opus esset, postea seruiret. Sed correptus ardenti febre, qua octiduo ferè decubuit, cum sese, & suam salutem adsidua inuocatione filio Dei Domino nostro Iesu Christo commendasset, & subinde repetita promissione dulcissima: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis, animum confirmasset, tandem superata natura ui morbi in cœlestem Academiam euocatus est, ubi iam non exiguos doctrinæ riuulos, Sed coram ex ipso fonte filio Dei sapientiam cœlestem pura mente haurit. Sed parentum luctu adficimur, quos optamus tenere hanc firmam consolationem, quæ est expressa in dicto: Non est uoluntas patris

patris, ut pereat unus de paruulis istis. Fiet autem funus hodie hora tertia, cuius deductioni ut scholastici intersint, et ad ædes uenerandi uiri domini Michaelis Fausti conueniant, hortamur. Cogitemus singuli de nostra etiam mortalitate, et ad emigrationem nos præparemus modestia uitæ, sobrietate, & meditatione doctrinæ de uita æterna, memores dicti filij Dei: Sobrij estote, & uigilate. Nescitis enim qua hora dominus uenturus sit. Die 27. Iunij. Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Christophorus Burggrauius
à Dhon Baro &c.

CVM Christus dicit: Sinite mortuos sepelire suos mortuos, docere uult cum, cui hoc dicit, ne quid sibi prius aut potius esse patiatur hac cura, ut sequatur uocantem Christum, aiẽ curæ ut humana postponi debent omnia, ita neq; officiosa & pia erga parentes uoluntas, siue uiuos, siue mortuos, remorari eam ullo modo debet, etsi illius ui hoc dicitur studium, ideo etiam magis erat peruersum, quod non tantum à salute ipsum sua auocaret atq; remoraretur, sed daretur etiam ijs, qui neq; in

Messiam

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000034

Meßiam præsentem crederent, ut placere illi Deo, atq; ita in morte manerent, quod inde apparet, cum Christus eos adpellet mortuos. Sed nos Dei benignitate, neq; mortui sumus, sed membra uiuentis Ecclesiæ Iesu Christi, neq; officio nostro quod deductioni mortuorum nostrorum præstamus, à pietate abducimur, aut impedimur, sed summum & præcipuum caput sanctissimæ fidei nostræ hoc modo confirmamus, quo profitemur nos credere resurrectionem mortuorum. Nam quale hoc sit officium, & cur, & quomodo detur, Christiana pietate institutum, latet neminem. Cum igitur hoc tempore expetatur hoc officium deductionis funebris nostræ à propinquitate honestæ matronæ Catharinæ Rabin, negare hoc ei non debemus. Fuit ea nupta cum honesto ciue huius oppidi Valentino Raben, & amisit maritum ante annos quatuordecim, atq; uidua educauit quinq; filias, & ex nostro ordine aliqui cum hac familia affinitatem contraxerunt. Fratrem autem habet Senatorem huius urbis, Bartholomeum Vogelium. Hortamur igitur Scholasticos, ut hodie hora quarta in platea noua ad deducendum funus conueniant, Ita & quod expetitur à nobis benigne præstabunt, & de propinquitate hac uniuersa bene merebuntur. Die 10. Iulij. Anno 1559.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Christophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

NOti sunt uiri honesti domini Matthiæ Carpophori, Senatoris huius urbis erga Ecclesiam et Scholam nostram iam multis annis plurima officia, propter quæ illi gratitudinem nos debere agnoscimus. Huius filia Anna coniuncta matrimonio Iohanni Schadeuualt, nato ex uiro itidem honesto, & Senatore huius oppidi, beri in assidua inuocatione filij Dei ex hac misera, & mortali uita ad consortium cœleste est euocata. Quare non dubitamus eam in numero esse, de quo dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hac consolatione pater senex mœrorem leniat, & sciat uelle Deum utrunq;, & ut doleamus, & ut dolorem moderemur, Iuxta dictum Syracidæ: Defleas mortuum uno atq; altero die, Sed quia iam mortuus quieuit, modereris dolorem, & admittas consolationem.

Hortamur autem Scholasticos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora duodecima ante ædes Iohannis Schadeuualt conueniant, & ibi singuli suam uitam, & Ecclesiam & Ecclesiæ ho-

ſpiritu Deo commendent. Die 15. Iulij. Anno 1559.

MATHEMATVM STVDIOSIS.

NON utar excuſatione intermiſſæ à me hactenus prælectionis, quod aut id factum ſit, omnibus conſtat, ſed Deo patri æterno Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt fons uitæ, & ſalutis noſtræ, gratias ago per & propter filium coæterũ Ieſum Chriſtum, quod longa me ac difficili febre aliquantulum leuatum, uoluerit ad operas commendatæ mihi profeßionis reuerti. Has ipſas operas ut diu faciam, cum uero auditorum fructu, cum doctrinarum, quas pro uirili excolere ſtudeo, ornamento & augmento, cum gloriæ diuinæ, cuius certißima & gratißima fama præcipuè in Mathematicas diſciplinas ſparſa eſt, celebratione, Deum toto pectore ipſe ut præſtet ac perficiat, oro.

Cum autem hactenus in ea Aſtronomiæ parte, quæ de Planetarum motibus pertractat, prima principia hypotheſium Aſtronomis aptatarũ tradiderim, et Geometricè demonſtrarim, exigit tractationis ordo ad ipſas ut Theorias Planetarum accedam. In quibus primo φαινόμενα cura atq; induſtria

induſtria artificum exploratã recenſebo ordine: deinde motuum uarietatem ac leges, quam φαινόμενα oſtendunt, accommodatis Eccentricorum & Epicyclorum hypotheſibus explicabo, & rationes adiam, cur in alijs aliorum circulorum cogamur uti hypotheſibus. Tertio aſſumptas & τοῖς φαινομένοις congruentes hypotheſes Canonibus Copernicei & Prutenis adaptabo, ut cum fuerit opus harum ductu & adminiculo ex Canonibus motus elici poßint, ac depromi. Ordiar autem à Theoria Solis, cras ſeptima Deo iuuante. Die 23. Iulij.

Caſpar Peucerus.

GRÆCÆ LINGVÆ STVDIOSIS.

CRas hora octaua, Deo auxiliante, incipiam interpretari Tragœdiam Euripidis, cui titulus eſt Alceſtis. Pingitur in ea exemplum amoris coniugalis & philoſtorgiæ optimæ coniugis erga optimum maritum. Domus honeſta, tranquilla, hoſpitalis, atq; benefica. Sed ſubiecta tamen communibus humanæ uitæ miſerijs, à quibus liberatur & recreatur tandem diuinitus. Sunt in hac fabula expreßi illi leniores ac dulciores affectus, quos ἤθη uocant, omnia ſunt remiſ-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000036

ſiora, minuſq; turbulenta, quam in alijs Tragœdijs, & Cataſtrophe ipſa niſi arte Poëtæ ſupprimeretur, plane Comica foret. Oratio uero omnium dulciſſima eſt, & figuræ & ſententiæ ex communi uita petitæ, eoq; uenuſtiores ac gratiores. Amabunt hanc ſcio Scholaſtici, ubi cognouerint. Deus nobis ſit placatus, & pacem, ſanam pietatis doctrinam, atq; honeſta ſtudia noſtra clementer tueatur, per Chriſtum redemptorem noſtrum, Amen. Heſiodum poſt paucos dies prælectioni Euripideæ adiungemus.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, M. ESromus Rudiger Pabebergenſis.

SAEpè de militiæ noſtræ dignitate, laboribus, perialis, ærumnis, & euentibus cogitare nos neceſſe eſt, eaq; cogitatione confirmanda eſt diſcendi cupiditas, & excitanda mens ad inuocationem, iuxta dictum: Commenda Deo uiam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. Etſi magnitudo difficultatum, & miſeriarum deterrent animos à doctrinæ ſtudijs, tamen hæ duæ ueræ cauſæ nos in acie retineant: mandatum Dei, & ſpes auxilij diuini, quo gubernantur & ipſi labores, & dan-

& dantur ſalutares exitus. Vult Deus eſſe docentium & diſcentium coetus, ut plane dictum eſt: Sis aſſiduus, & attentus in lectione. Et triſtis comminatio proponitur negligentibus doctrinam: Quia ſcientiam repuliſti, repellam te. Ardeant igitur in diſcendo animi, ut Deo alacriter obediant. Sciant etiam Deum fontem ſapientiæ lucere in mentibus, & ſalutares euentus dare, Sicut ſcriptum eſt: Labor ueſter non erit inanis in Domino. Cum autem in hac delira mundi ſenecta, & deformi ἀναρχίᾳ creſcant certamina, maiore cura præmuniantur bonæ mentes.

Bellum gerit hæc Academia aduerſus Antinomos annos triginta uere ἀοπουδορ, & longius Peloponneſiaco. Recens tamen inuentum eſt nouum Sophiſma contra ueritatem: Citatur ex ſecunda Epiſtola ad Corinthios dictum: οὐ κατα ἐπιταγὴν λέγω. Hac uoce dicunt Paulum teſtari ſe non præcipere Corinthijs, & tribunicijs clamoribus improbant hæc dicta: Noua obedientia eſt neceſſaria. Item, Noua obedientia eſt debitum. Hæc laxatio ciet magnos adplauſus & προτοθορυβους in uulgo, quod amplificari uult licentiam, ut uere dicitur à Lucano: Libertatis amor totum cur decipis orbem? quanq; rectius dici poterat, libertatis amor ſtultum cur decipis orbem? Sit autem nota eruditis natiua

ſententia Pauli. Id dictum doctrina neceſſaria eſt contra Anabaptiſtas diſcernens præcepta à non præceptis: οὐ κατ᾽ ἐπιταγὴν λέγω. Non impero æqualitatem Platonicam, nec præcipio modum donandæ Eleemoſynæ, ſed uolo hunc ſingulis liberrimum eſſe. Loquitur ergo ibi non de omnibus operibus. Nec ſequitur. Non imperatur Platonica facultatum communicatio. Ergo non imperantur leges coniugij. Tales præſtigiæ ut rectè refutari poßint, doctrinam neceſſariam eſſe omnes norunt. Vult non tolli diſtinctionem dominiorũ, uult modum donationum ſuæ cuiuſq; uoluntati relinqui liberum, etiamſi fiat harmonica proportione. 3. 4. 6, Si det duos qui habet ſex, det unũ qui habet quatuor. Et tamen ne huic quidem hic modus imperatur. Vſitata eſt autem exploratio eruditionis in Scholis, quæ cum ſit utilis diſcentibus, conſuetudo examinum conſeruanda eſt. Quare omnes Doctores, & Magiſtros inuitamus, ut hodie hora prima ad audiendos eos conueniant, qui nunc gradum Magiſterij Philoſophici petunt. Pridie Calend. Auguſti, Anno 1559.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS MEDIcæ in Academia VVitebergenſi, Iacobus Milichius, artis medicæ Doctor.

Quotidie in inuocatione cogitanda ſunt & ueſtigia Dei in natura, & alia teſtimonia illuſtria, quæ edidit miſſo filio inde uſq; ab initio, cum primis parentib. tradidit promißionẽ. Lucet enim præſentia Dei in ipſa corporum pulchritudine, in ædificio hominis, in rebus naſcentibus, alimentis, et remedijs, in ordine doctrinarum, in numeris, et legibus, diſcernentibus honeſta & turpia. Has commonefactiones ſi quis aſpicit, nec cogitat quidem quid inuocet. Deinde magna ingratitudo eſt cum fruaris tot beneficijs, uictu, et remedijs, nõ cogitare unde donata ſint. Dedit Deus hoc anno largam meſſem, pro quo beneficio ei gratias agamus. Et deum conditorẽ fontem omniũ bonorũ celebremus. Monſtrat autem et teſtimonia Dei, naturæ impreſſa medicorum doctrina, monſtrat & alimenta, & remedia, et uſum docet. Itaq; ut nos de Deo cõmonefaciamus, & ut frui beneficijs Dei poßimus, & corpora tantiſper foueamus, donec his auxilijs indigent, Medicorũ doctrina et amanda, et diſcenda eſt. Cum aũt honeſti cõgreſſus publici inſtituti ſint, ut hæ cõmonefactiones & propter gloriã Dei, & propter utilitatem hominũ ſæpe repetantur, petimus ut omnes Doctores, magiſtri, et auditores die tertio Auguſti cõueniant in templo arcis, cũ tribuetur honeſtiß. gradus Doctorũ artis medicæ, uiro clariß. eruditione, et uirtute præſtanti, M. Andreæ Roſæ,

nato in familia honesta urbis Francicæ uetustæ Sueinfort. Scitis hos congressus propter multas graues causas institutos esse: Decet publicè tribui testimonia, & quidem præsentibus multis senioribus qui sunt suffragatores. Decet & ibi iuniores doceri de multis bonis rebus. Simul aũt omnes ibi ad Deum uota faciant, ut Ecclesiam, politias, leges, doctrinas, & omnia bona uitæ humanæ necessaria conseruet. Quod toto pectore nunc quoq; à Deo petimus. Datæ Calend. Augusti. Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Christophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

HOdie, uidelicet die tertio Augusti, à memorabili pugna ad Platæas, in qua Mardonius interfectus est, & deletus ingens exercitus Persarum, anni sunt 2108. Nam pugna illa facta est, anno ante mortem Alexandri 254. Ac tota historia Xerxis plena est insignium exemplorum, præcipuè uerò ostendit uanam esse fiduciam humanæ potentiæ. Cogitantes igitur de nostra imbecillitate, modesti simus, & petamus nos à filio Dei gubernari, & protegi. Ostendunt etiam quotidiana funera, quàm sit fugax uita. Hodie decessit ex hac uita adolescens natus in inclyta Polonia, Thomas Vrsouius Sylmirien sis, & cum eruditione instructus esset, iam alios doauit. Præcipua uero eius cura fuit rectè discere Ecclesiæ doctrinam, & animi pietatem declarauit uera inuocatione Dei, in agnitione, & fiducia Domini nostri Iesu Christi, & honestis moribus, qui in eo non solum naturæ moderatione, sed etiam à filio Dei, luce Euangelij & Spiritu sancto regebantur. Cumq; lenta Phthisi contabuerit, quotidie Ecclesiam & sese Deo pijs precibus commendauit. Quare in eo numero eum esse statuamus, de quo scriptum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Quanto hic Thomas felicior est, quàm aut Mardonius dux tunc uictus, aut Pausanias uictor, qui aliquanto post fame necatus est, cum quidem mater ipsa Alcithoë, ad obstruendam templi ianuam primum lapidem admouisset. Hortamur autem Scholasticos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta ante ædes honesti uiri consulis Christophori Kelneri conueniant. Ibi quisq; & Ecclesiam, & sese Deo pijs precibus commendent. Simus etiam memores has uicinas gentes, Polonicam & Hungaricam de reliqua Europa benè meritas esse, cum totsæculis Tartaros & Turcos suo sanguine à nobis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000039

bis depulerint. Datæ die 3. Augusti. Anno 1559.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, M. Eſromus Rudiger Papebergenſis.

ETſi de fragilitate noſtra ſæpe nos morbi, ſæpe alij, & noſtri, & aliorum caſus commonefaciunt, tamen inſignia exempla magis ferire animos debent, quæ quidem uult nos Deus intueri, ut metus reuocet nos ad modeſtiam, & coherceat nos intra metas, ut tantum neceſſaria faciamus, & tamen ſolicitudinem leuet, non Cyclopica noſtri fiducia, ſed fiducia præſentiæ Dei, & auxilij diuini. Hæ regulæ ſæpe repetuntur uoce diuina: Beatus qui ſemper eſt pauidus. Item: Vigilate, & orate, ne opprimamini tentatione. Item: Qui confidit in Dominum, ſicut mons Zion non conuatietur.

Audiuiſtis autem his diebus inſigne exemplum fragilitatis humanæ, ſubitum Regis Gallici interitum, qui facta pace cum uicino rege, in pompa nuptiali præſtantiſſimi ducis, & ſororis ſuæ in ludo equeſtri, cum quater uiciſſet, in quinto congreſſu, cum in eodem ludo eſſet filius, cum ſpectatrices eſſent matronæ excellentes uirtute, coniunx, ſoror, filiæ, & aliæ, uulnus lethale accepit, quod cum uidiſſent coniunx, ſoror & filia, ſubito detractu ornatu, ciulatus toto theatro exauditus eſt, & præſtantiſſimorum principum lachrymæ conſpectæ ſunt. Magis hæc miſerabilia ſunt iis, qui cogitant cauſas, & ea quæ ſecutura ſunt.

Hoc inſigne exemplum intuentes, ſimus modeſti, nec attrahamus pericula ſtultis cupiditatibus, ſed neceſſaria faciamus, & nos à filio Dei gubernari, & protegi petamus, qui inquit: Sine me nihil poteſtis facere.

Vagantur morbi, qui cum uitari mediocri diligentia, Deo iuuante poſſint, etiam Deus iraſcitur negligentibus uitam. Ardet orbis terrarum exitialibus diſcordijs, in quib. ne temere ruamus in errores contumelioſos contra Deum, et pernicioſos nobis & Eccleſiæ, non ſolum doctrinæ fontes ſtudioſe quærendi ſunt, ſed etiam Deus aſſidue orandus eſt, ut clamat Propheta: Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me. Ita doctrinæ ſtudia erunt fœlicia cum hæc precatio accedet, & mens quæret ueritatem ſine prauis cupiditatibus, non appetet plauſus

plauſus in aulis, in gynæceis, in furioſa et ſedicioſa multitudine. Scit autem Deus καρδιογνώστης nos pio ſtudio doctrinas tradere, ideo oramus eum, ut nos contra calumniatores defendat. Vos uero adhortamur, ut in diſcendo iudicium adhibeatis, ut recta firmiter tueamini.

Proſunt autem ſtudijs examina in Scholis uſitata, quæ cum facta ſint, iam quod faustum & fœlix ſit, renunciatio fiet teſtimoniorum, in qua gradus magiſterij Philoſophici his quorum nomina aſcripta ſunt, tribuetur: Ad eam renunciationem ut conueniatis die decimo quinto Auguſti petimus, & quia frequentia in his congreßibus ornat doctrinas, & quia ſimul multorum uotis petenda eſt, & Eccleſiæ ſalus & ſtudiorũ fœlicitas, ut Paulus inquit: συνυπεργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει, ἵνα ἐκ πολλῶν πρόσωπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ. Die 13. Auguſti. Anno 1559.

IN PRÆLECTIONEM PHILOSOPHIAE MORALIS reuerendi domini Præceptoris.

SEmper in uera Dei Eccleſia inde uſq; à primis parentibus integra fuit doctrina legis moralis, quam & nos in Eccleſia retinemus, ut homines rectè de Lege & Euangelio, & utriuſq; partis doctrinæ Legis & Euangelij diſcriminẽ doceantur. Illuſtre autem teſtimonium eſt hunc cœtum generis humani, qui amplectitur doctrinam Propheticam & Apoſtolicam, eſſe Eccleſiam Dei, & in hac ſola multitudine eſſe electos ad ſalutem æternam, quod ſemper hæc ſola pars retinuit integram doctrinam Legis moralis. Etſi autem Ethnici partialem Legis utcunq; retinuerunt, tamen à tribus præceptis horribili furore & audacia diſceſſerunt: A primo quidem conficta Deorum portentoſa multitudine, & inuocatione mortuorum: à quinto mactatione uictimarum humanarum, & à ſexto, tetra & horrenda confuſione libidinum, quas ita approbauerunt, ut etiam cultibus Deorum eas miſcerent. Legis igitur ſapientia & iuſticia non ſolum conſideratione & admiratione, ſed etiam omni laude, prædicatione, & ueneratione digniſſima eſt. Oſtendit enim

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000041

quod sit Deus, et qualis sit, uidelicet mens sapiens, benefica, bona, casta, uerax, talis enim est Deus qualem se in lege expressit, & quod sit uindex puniens sontes, praescribit et uitae normam, quae nos regit, ut congruae obedientia nostra cum uoluntate Dei. Huius sapientiae pars quaedā est Philosophia moralis, quae in hominū actionibus, uitaeq; communis officijs uersatur, & omnium uirtutum fontes, originem, & exempla proponit, quibus maxima pars uitae humanae regitur & gubernatur. Socrates multorum sententia & opinione hanc Philosophiae partem omnium primus tractasse, & in ordinem discentibus aptum redegisse fertur. Deinde Plato Socratis discipulus, hanc partem ab officio instituendorum morum ἠθικὸν nominatam, multis in locis erudite amplificauit, & illustrauit. Accessit tandem Aristoteles, qui omissa Socratis in disputando dubitatione, ad uiam faciliorem totam hanc artem reduxit: Etsi autem nominati Philosophi, quorum scripta tota posteritas grata mente celebrat, de hac parte Philosophiae multa copiosè, & eruditè differunt, tamen longè praefero scriptum reuerendi Praeceptoris, qui doctrina Ecclesiae adiutus, de fine hominis, uirtutibus & affectibus ita perspicuè, eleganter, & eruditè disputat, ut nemo sit in hoc genere qui eum aequare, tantum abest ut superare posse uideatur.

deatur. Attexuntur etiam quaestiones utiles ex iure ciuili desumptae, quae tanta perspicuitate tractatae, & illustratae sunt, ut & facile memoriae affigi, nec facile rursum excidere possint. Huius doctrinae cognitio discentibus non tantum iucunda erit, sed ualde utilis in explicatione multarum controuersiarum Theologicarum, & forensium. Cum igitur neq; utilius, neq; doctrinae Ethicae studiosis aptius scriptum proponi possit, decreui ad eius libelli explicationem redire cras duodecimae hora, loco consueto.

Oro autem Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nobis Spiritu sancto suo clementer adsit, ac pacem nobis, & tranquillitatem ad haec nostra puerilia quidem, sed certe Ecclesiae, & Reipub. necessaria studia largiatur, ad aeterni nominis sui gloriam & multorum hominum salutem. Die 14. Augusti. Anno 1559.

Albertus Lemeigerus
Hamburgensis.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000042

IN HESIODVM.

CRas hora octaua, Deo auxiliante, incipiam interpretari Heſiodi libellum, cui titulus eſt, Ἔργα καὶ ἡμέραι. Hunc enim ſcholaſticis ſemper in manibus et conſpectu eſſe prodeſt, Quia doctrinam de moribus & officijs in hac uita præcipue neceſſarijs continet, et uiuendi regulam legi naturæ maximè conuenientem tradit. Adduntur præcepta Oeconomica ad agrialturam pertinentia, hæc enim illius ætatis ut honeſtiſs. ita unica uictus quærendi ratio fuit. Ad operas autem ruſticas in primis obſeruatione dierum, & temporum opus eſt, & aſtrorum, quæ in his mutationes maximas efficiunt. Sicut Virgilius ait:

Præterea tam ſunt Arcturi ſydera nobis,
Hœdorumq; dies ſeruandi, & lucidus anguis,
Quam quib. in patriã uentoſa per æquora uectis
Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Temporum igitur & dierum erudita enumeratio in hoc libello additur, & hæc omnia cum pro illius ætatis breuiloquentia, tum ut & percipi citius & memoriæ facilius affigi poſſent, miro compendio traduntur. Ita uero neceſſaria atq; Sacroſancta apud ueteres hæc doctrina habita eſt, ut non tantum in honeſtioribus hominum congreſſibus ubiq; illa ſonaret, uerum et in plumbo, atq; ære ſculpta publicè in celeberrimis templis proponeretur, ne ulla ætate aboleri, aut intercidere poſſet, & ut omni hominum generi quàm maxime nota eſſet, nam ne hominis quidem uocabulo dignum iudicant, qui hæc ignoraret. Et certe operæ precium eſt uidere, quæ fuerit antiquiſſima doctrina de moribus, & uitæ officijs, & Oeconomia, atq; uictu quærendo, utq; ea partim ex fontibus Legis naturæ, partim ex ſanctorum Patrum inſtitutione uetuſta initio nata, poſtea Satanicis corruptelis magis magiſq; depraua-

ta, atq; paulatim pene tota adulterata ſit. A qua conſideratione qui abhorrent, ne illi longè indigniſsimi ſunt, qui in literarũ ſtudio, aut eruditorũ cœtu uerſentur. Nos non pigebit, iſta ſul inde repetere, Neq; auditores pœnitebit ſtudij aut operæ in his poſitæ. Deum precor ut ſtudijs noſtris clementer adſpiret, ſpiritu ſancto nos regat, ac tueatur, per Chriſtum redemptorem noſtrum, Amen. 13. Calend. Septemb.. Anno 1559.

Vitus VVinſemius
Senior.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000043

PHILIPPVS MELANTHON.

POstquam, Deo iuuante, responsiones Baudricas utcunq; pertexui, redibo ad Epistolam Pauli ad Timotheum scriptam, in qua mox accedemus ad doctrinam de coniugio. Repetam igitur summam eius doctrinæ, ut iuniores discant gradus cognationum, & alij grandiores habeant plures commonefactiones de controuersijs coniugalibus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Christophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

APud Ptolemeum Sidini sunt in littore, ubi Viadrus in mare influit. Inde splendidæ urbis Stetini adpellationem esse consentaneum est, & ita iudicabat uir doctissimus & integerrimus Iodocus VVillichius. Si ethymologia nominis ex græca uoce sumenda esset, esset à dictione σίδια, quæ significant cortices pomi punici, admodum salubres orificio uentriculi. Nusquam autem habet Germania pulcriora poma, quàm Stetini

Stetini nascentia. Sed habet urbs alia maiora ornamenta, illustrissimi Principis aulam, & in ea multos uiros sapientia, & uirtute præstantes, Ecclesiam rectè docentem, & scholam bene constitutam. In ea urbe honestus senex est, qui & illustrissimo principi Barnimo & patriæ diu fideliter, et utiliter in iudicijs seruiuit. Ex eo Sene ciue natus fuit Antonius Finck ingenuosus adolescens, quem natura & arte Musicũ fuisse scitis, κεῖνον δ' οὐ πολέμοις, οὐ δάκρυα, πάντα δ' ἔμελπε, ut Theocritus de Bione inquit: Ille quidem Pana, Sed hic adolescens, uerum Deum παντων κτίστην patrem domini nostri Iesu Christi, et filium Iesum Christum carminibus in Ecclesia nostra celebrauit. Heri autem in inuocatione, & fiducia filij Dei ex hac uita mortali piè decessit. Ac speramus eum in numero eorum esse, de quibus dictum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hac consolatione luctum senex pater leniat, & cogitet se filium rursus in Academia cœlesti & musica dulciore auditurum esse. Hortamur autem Scholasticos ut hora duodecima ante ædes clarissimi uiri doctoris Christophori Arnt ad pias funeris ceremonias conueniant, & ibi Ecclesiam, & sese filio Dei pia precatione commendent. Datæ 29. Augusti Anno 1559.

Ein Gleitsbrieff gestellet vom Herrn Philippo Melanthon den 3. Septembris. Anno 1559.

GOttes gnad durch seinen eingebornen Son Jhesum Christum vnsern Heiland/vnd warhafftigen Helffer zuuor. Edle / Ehrnueste/ Erbare / günstige Herrn vnd Freunde. Ewer Ehrenueste vnd Erbarkeiten wissen/das die hohen Potentaten zu pflantzung vnd erhaltung Christlicher vnd anderer ehrlicher Lere / Gott zu ehren/ vnd aus Göttlicher eingebung viel guter Ordnungen gemacht haben/ welcher eine diese ist/ Das solche Personen die studiren/vnd jr Gerete in strassen vnuerhindert / vnd one beschwerung fort gefüret werde. Dieser löblichen Ordnung wollē ewer Ehrnueste auch diese Christliche ehrliche Menner/die in vnser Vniuersitet Witteberg etliche Jar gewesen sind/

sind/vnd haben löblich studiret/ vnd alle zeit ehrlich gelebt / vnd sind erfordert in Kirchen vnd Schulen zu dienen/N. von Kron in Siebenbürgen/ vnd N. N. N. geborne in Hungern / gutwilliglich geniessen lassen/das jre Personen/ vnd jre Gerete / denn sie nichts anderst denn Bücher vnd Kleider mit führen/ vnuerhindert vnd one beschwerung fort füren mögen. Solche freundschafft frembden ehrlichen Leuten/ die in Kirchen Christlich dienen sollen/zuerzeigen/ ist gewisslich Gott gefellig / Vnd sonderlich sind wir fromen Leuten in Hungern schüldig gutes zuerzeigen/ denn sie vns lange zeit mit jrem Blut geschützt haben. Gott wölle gnediglich Hungern vnd Deudschland helffen. Datum 3. Septembris. Anno 1559.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000045

LATINA FORMA

LITERARVM PETENTIVM, NE *in transuectione suppellectilis quorundam studiosorum uectigalibus oneretur auriga, à Domino Philippo Melanthone composita, S. D.*

OMnibus lecturis has literas. Diu benè meriti sunt Pæonij de reliqua Europa, à qua suo sanguine Tartaricam, & Turcicam barbariem repreßerunt, & quidẽ multis magnis prelijs Iohannes Huniades, duo fulmina Amuratem, & Mahometum à nobis depulit. Vicißim igitur toti genti gratitudinem debemus. Et honestæ leges in imperijs iubent, studiosos literarum defendi in itineribus aduersus iniurias, & res eorum non onerari uectigalibus. Ideo oramus omnes uiros generosos, nobiles, & honestos qui gubernant præfecturas, ut hos quatuor Pæonios. N. N. N. N. contra iniurias defendant, & perficiant, ne transuectio suppellectilis ipsorum impediatur, & ne uectigalibus, oneretur, quia tantum aliquot libros, et uestes uehunt. Et cum uixerint in Academijs, iam uocati in patriam redeunt, ut & doctrinas in Scholis utiles uitæ, & bonis moribus doceant, & eorum labor prosit ad ueri

ueri Dei agnitionem, & inuocationem in Ecclesijs. Certißimum est autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, sedentem ad dextram æterni patris, ac tribuentem dona hominibus, uerè colligere æternam Ecclesiam uoce Euangelij. Quare et gubernatores iußit tueri doctrinæ studia. Et boni Principes, moti diuinitus condiderunt Leges de defensione docentium, & discentium. Harum legum beneficijs frui & his quatuor honestis, & doctis uiris concedatur, præsertim cum sint nati in gente Pæonica bene merita de tota Europa. Bene ualete. Datæ Calend. Septemb. Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Christophorus Burggrauius à Dhon Baro &c.

ETsi sæpe alijs temporibus quoq; cogitanda sunt omnia exempla Politiæ Iudaicæ florentis, et ruentis: tamen mense Septembri maiore intentione consideretur & interitus eius Politiæ, & causæ, Nam tota urbs Ieroſolyma incensa est die octauo Septembris, Anno postquam ex uirgine natus est Christus. 73. Cogitetur au-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000046

tem quare condita sit illa politia, quæ diu fuit omnium in genere humano pulcerrima, quæ domicilium Ecclesiæ fuit, in quo Deus & Legem & Euangelium additis illustribus testimonijs tradidit. Et excidium commonefacit omnes homines de ira Dei aduersus idolorum, & impiorum dogmatum defensores. Tempus etiã consideretur ab exitu ex Aegypto ad euersionem Ierosolymæ à Tito factam, Anni sunt 1582. Vix longius erit mundi tempus, post Christi resurrectionem. In harum maximarum rerum cogitatione, intueamur & horum temporum calamitates, & petamus seruari Ecclesiæ reliquias, & nos inter imperiorum, & mundi ruinas gubernari, & protegi. Hæc etiam in funere hodierno cogitanda sunt. Euocata est enim ex hac uita puella, quæ uere templum fuit Spiritus sancti, filia reuerendi uiri, eruditione, & uirtute præstantis, magistri Iacobi Cotensis, qui fideliter docet, & gubernat Ecclesiam Dei in ueteri & inclyta urbe Goslaria, ubi uenæ sunt metallicæ, quæ in germania primæ repertæ esse dicuntur. Hortamur autem Scholasticos ut ad pias funeris ceremonias conueniant hodie hora 12. Vbi singuli sese, & Ecclesiam Dei uera precatione commendent, & intentio in precando confirmetur recordatione historiæ politiæ Israëliticæ. Datæ 7. Septembris. Anno 1559.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Christophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

HIC dies decimus Septembris admoneat nos de rebus gestis, & de uirtute uiri fortissimi Iohannis Huniadæ Pannonij, qui mortuus est die 10. Septembris, Anno 1456. Anno tertio post captam Constantinopolin. Anno post cladem Varnensem duodecimo. Anno octauo post atrocissimam pugnam ad flumen Cithim prope Rasciam. Defenderat autem Albam Græcam, quam Mahometus oppugnauit, ubi trucidatis quadraginta millibus Turcorum, in eo labore defatigatus Huniades febri post paucos dies extinctus est. In harum historiarum cogitatione expauescamus propter peccata nostra, propter quæ sinit Deus nos puniri sæuicia Turcica, & nos ad pietatem flectamus, & precemur filium Dei, ut nos protegat, nec sinat deleri Ecclesias, & politias nostras. Grati etiam simus uiris fortibus & gentibus, quæ suo sanguine hactenus à reliqua Europa Turcos repressérunt. Interfuerunt autem aliquibus horum præliorum maiores honestissimi adolescentis nati in nobilitate Polonica Iohannis Kuiatkewski, qui heri ex hac Academia in cœlestem cuo-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000047

ſtem euocatus eſt. Ornauit generis nobilitatem eruditione, uirtute, & pietate. Et in hoc morbo ſæpe piam confeßionem de filio Dei, & inuocationem adeo placidè repetiuit, ut robore Spiritus ſancti confirmatum eſſe, & habere eum initia uitæ æternæ iudicari poſſet, iuxta dictum: Hæc eſt uita æterna, ut agnoſcant te Deum uerum, & quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum. Etſi autem ipſi talis migratio gratulanda eſt, tamen nos doleamus orbatos nos eſſe tali ſtudiorum, & inuocationis ſocio, qui aliquanto poſt & reipublicæ utiliter ſeruiturus erat. Hortamur autem Scholaſticos ut hodie hora quarta poſt meridiem ad pias funeris ceremonias ante ædes honeſti uiri conſulis Kelneri conueniant, ubi ſinguli ſeſe, & Eccleſiam Deo pia precatione commendent. Datæ Anno 1559. Die decimo Septembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Chriſtophorus Burggrauius à Dhona Baro &c.

CONfluentes fluminum oſtendunt illuſtria diſcrimina regionum, ut multis exemplis oſtendi poteſt, Vbi in Danubium influit

influit Inus, urbs eſt hoc tempore Paſſa à traiectu, olim ibi Boiodurum fuit, quaſi ianua Boiorum. Supra Boiodurum eſt Tiberia Auguſta, quæ nunc eſt Regensburg, Ibi primum doceriſſe Euangelium ſcribitur Lucius Cyrenæus, qui fuit filius Simonis Cyrenei, qui adiuuit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in geſtanda cruce. Hic Lucius Cyrenæus Euangelium propagauit, & in uicinis locis urbi Regensburg, ubi eſt & oppidum Burckheim, quod præterfluit Danubius. In eo oppido natus fuit ex patre conſule Fridericus Feuchtner, qui ſtudioſe didicit initia Philoſophiæ, & doctrinam Eccleſiæ Dei. Cum autem uera inuocatione Deum in agnitione, & fiducia Mediatoris, & honeſtis moribus, ſemper antea rectè uaſens coluerit, nunc quoq; in morbo quotidie ſignæ conſolationis diuinæ oſtendit, ſæpe repetita uera confeßione ſeſe, Eccleſiam, parentes, et hanc Academiam filio Dei placidè commendauit, et ſe lucē cœleſtis Academiæ expetere & expectare dixit. Hæc migratio congruit ad dicta: Iuſtus in morte ſperat. Item: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Hac conſolatione pater leniat dolorem, quod non dubitandum eſt filium in cœleſti conſuetudine frui ſapientia, & colloquijs filij Dei, & Sanctorum. Ibi & de ueteri Eccleſia, quæ in ripa Danubij fuit, cum Lucio Cyreneo loquitur, qui lætatur puritatem

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000048

puritatem doctrinæ in aliquibus locis ibi reſtui, & orat filium Dei, ut ubiq; deleat Idola, & quam plurimos in tota regione Noricæ flectat ad ueram inuocationem.

Hortamur autem Scholaſticos, ut hodie horâ quartâ conueniant ad pias funeris ceremonias propè aggerem, in aditu uici, qui nomen habet à figulis, & ibi ſinguli ſeſe, & Eccleſiam Deo pia precatione commendent. Die 16. Septembris, Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Chriſtophorus Burggrauius à Dhon Baro &c.

GRatias agamus Deo æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, fonti ſapientiæ, creatori generis humani, quòd legem ſuam & Euangelium, & uera diſcrimina, & ueros uſus clementer nobis patefecit, & de maximis rebus ſæpe cogitemus. Sint in conſpectu omnia, quæ de legum & diſciplinæ laudibus dicta ſunt in ſcriptis Eccleſiæ, & Philoſophicis. Sciamus etiam Legem, quæ eſt Sapientia DEI, & ordo à DEO ſancitus, manere immutabili-

ter, ſiue obtemperemus, ſiue non obtẽperemus. Nam uel ad obedientiam, uel ad pœnam obligat. Si obtemperas, ualet lex in te gubernando, Si non obtemperas, ualet ordo diuinus in te puniendo. Nihil enim dubites, ueras eſſe has diuinas ſententias: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Omnis anima quæ fecerit has abominationes eradicabitur. Item, uæ qui ſpolias. Ideo Empedocles dixit: Primam legem eſſe ordinem in totam naturam mundi ſparſum:

ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιον διὰ τ' ἐυρυμεδοντ⊖
αἰθέρος ἠνεκέως τέταται καὶ ἀπλετον ἀυγῆς.

Manebat lex Politiano, quantumuis eam & ſuperbè contemneret, & audacter uiolaret, & furenter contumelijs afficeret, cum ſcripſit:

Inuentum Atei dicuntur iura Draconis,
Vera eſt fama nimis, nil niſi uirus habent.

Dedit enim pœnas ſeſe Politianus interficiens. Sæpe igitur multumq; cogitemus de legum & diſciplinæ cauſis, neceſſitate et utilitate. Hæc etiam in publica recitatione legum Academiæ cogitandæ ſunt, quas cum hodie hora 12. in Auditorio maximo recitaturi ſimus: mandamus ſeuerè omnibus Doctoribus, Magiſtris, & Auditoribus ut tunc ad eas

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000049

eas audiendas conueniant, & hoc officio etiam oſtendant ſe leges uenerari, & amare diſciplinam, ſicut Deus præcepit. Datæ die 17. Septemb. Anno 1559.

GEORGIVS CRACOVIVS I. V. DOCTOR.

IVſtam mereri excuſationẽ eos, qui reipublicæ cauſa abſunt, non legibus tantum ſapienter cautum, ſed ſanorum quoq; omnium iudicio approbatum eſſe, nullo monitore literarum ſtudijs addicti per ſeſe intelligunt. Quare cum perſpectum exploratumq; ſit uobis, tanto temporis interuallo, publico docendi iuris munere ideo me functum non eſſe, quod ex mandato illuſtriſſimi Principis Electoris, abeſſe coactus ſum, facile ueniam uos mihi daturos confido. Vt autem uoluntatem meam in iuuandis, ac prouehendis ſtudijs promptiſſimam ſtudioſi cognoſcant, quantumuis alijs quoq; negocijs occupatus ſum, proxima die Veneris circularem diſputationem inſtituam, de materia iuramentorum, cuius in communi uita, & fori conſuetudine ampliſſimus uſus eſt. Ac ne uel difficultate, & obſcuritate materiæ ſtudioſi ab argumentandi publico exercitio deterreantur, uel alium pudori ſuo prætextum quærant,

quærant, cras deo dante auſpicabor hora tertia L. Si ex falſis. C. de Tranſ. propterea quod materiam noſtræ diſputationi cognatã cõtinet, eaq; finita ad ordinem interpretandarum legum eius tituli reuertar. Eodem die 17. Septemb. Anno 1559.

ORATIO ANTE LECTIONEM STATVTORVM HABITA à magnifico Rectore, illuſtri Domino Chriſtophoro Burggrauio à Dhon Barone &c.

CVm uelit Deus cœtus eſſe docentium, & diſcentium, quia uoce diuina, & non aliter æterna Eccleſia Deo colligitur, amemus & ipſa doctrinæ ſtudia, & hæc agmina ſciamus habere ducem filium Dei λόγον æterni patris, & honeſtis legibus, ac diſciplina conſociata eſſe oportere, & eorum coniunctionem omnibus officijs tuendam eſſe. Ideo uobis Leges recitantur, quarum præcipuæ ſunt ipſa uox decalogi, & ſunt additæ quædam de executione, quam Deus magiſtratibus mandauit. Scitis enim deberi obedientiam primum Deo, deinde magiſtratui, quam ut præſtetis mouere uos debet autoritas diuina, quæ de Decalogo inquit: In præce-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000050

præceptis meis ambulate. Et de legitimis magistratibus ait: Necesse est obedire, non solum propter iram, Sed etiam propter conscientiam. Hæc dicta sint uobis normæ uitæ, & cogitate homines non conditos esse ut pecudum more uagentur sine legibus, & sine cupiditatum frenis, Sed Deo uiuere, & debere Deo conformes esse, cum sint imagines eius, & uelit ab eis agnosci, ut sese eis communicare possit, eos gubernare, & spargere in eos suæ lucis, sapientiæ, & iusticiæ radios. Deinde & hoc cogitate, Academias non debere Gigantum, aut Cyclopum exercitum esse, aut Circes stabulum, Sed Dei templum, in quo & habitet Deus, & assidui sint cœsti angeli tegentes infirma corpora uestra. Ac manifestum est, multorum in hac Academia ætatem talem esse, quæ uere est domicilium Dei, & à castis Angelis custoditur, Sicut scriptum est: Angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris. Horum teneris mentibus profecto necesse est inserere ueras sententias de Deo, de legibus Dei, de magistratibus, de disciplina. Horum animi præmuniendi sunt contra mala exempla, & pernicioſas opiniones. Ideo assiduè repetuntur in congressibus nostris commonefactiones, cum de cæteris rebus cognitione dignis, tum uero & de obedientia Deo, & magistratibus debita. Grandiores etiam obtestor, ut & ipsi uelint

uelint esse domicilium Dei, & cogitent quam miserum & horrendum sit manere hostem Dei, aspernari sanguinem filij Dei, esse organum diabolorum, qui impios in multa scelera, & in tristissimas corporum, & animarum pœnas præcipitant. Omnes igitur uocem Dei audiamus, qui imquit: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, et ardentibus uotis à Deo petamus, ut propter filium nos clementer recipiat, & Spiritu suo sancto, casto & ueraci gubernet. Misera hominum natura facile aberrat à recto sua infirmitate. Et uerissimum est illud Simonideum, Non facile est nasci τετράγωνον, id est, perfectum. Sed tamen in teneris animis multum in utramq; partem doctrina ualet. Dulce est libertatis nomen, & uerum est illud Lucani: Libertatis amor totum cur decipis orbem? quod rectius sic dicerctur: Libertatis amor stultum cur decipis orbem? Auide igitur accipiuntur illæ tribunitiæ conciones, quæ libertatem amplificant, & frenos cupiditatibus laxant, qualis hæc est concio Cynicorum potius quàm Christianorum, quæ uociferatur hanc propositionem falsam esse: Bona opera sunt necessaria. Mirabitur posteritas fuisse seculum tam furiosum, in quo talis insania applausores habuerit. Sed uidete impudentiam, ut stabiliant hoc tetrum mendacium, affuunt manifeste

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000051

nifeſte deprauata Pauli dicta, quorum natiuam ſententiam omnes noſſe utiliſſimum eſt, non ſolum ut horum præſtigiatorum iudicari poßint impoſturæ, ſed etiam quia alioqui grauiſſimam doctrinam in iis dictis Paulus tradidit. Alterum citatur ex poſteriore Epiſtola ad Corinthios ſcripta: οὐ κατὰ ἐπιταγὴν λέγω. Ibi Paulus de modo Eleemoſynarum concionatur. Et uniuerſam Eccleſiam præmunit contra Anabaptiſticos furores, de Platonica communicatione. Non impero ut facultates in commune conferatis, nec præcipio quantum quisq; conferre debeat, ut principes in tributis modum præcipiunt. Non talia ſunt imperia Apoſtoli, aut Paſtoris in Eccleſia. Sed ſuum quisq; teneat, & ſuo arbitrio modum Eleemoſynæ conſtituat. Hæc eſt natiua ſententia Pauli, in qua uidetis diſcerni non præcepta à præceptis. Nec ualet hæc conſequentia, à non præceptis ad præcepta. Nam de præceptis dicitur ad Titum: Hæc dicito cum omni imperio, μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, De præcepto, Non mœchaberis, nequaquam diceret Paulus: οὐ κατὰ ἐπιταγὴν λέγω. Alterum citatur ex Epiſtola ad Philemonem, ubi Paulus ait ſe noluiſſe retinere ſeruum fugitiuum ſine domini conſenſu. Nolui inquit tibi inuito adimere ſeruum. Sed retinuiſſem, ſi tua uoluntas acceßiſſet. Hic

Hic de uoluntate in contractu inter partes loquitur, ut ſi de conducendo equo ageretur, utar tuo equo, tibi uolens utendum dabis.

Hic de forma contractus loquitur inter partes, non de obligatione, qua Deo debemus obedientiam in præceptis. Et quidem rurſus docet nos de diſtinctione dominiorum, nõ uult prætextu religionis ſeruum cripi domino nolenti. Vult in contractibus ſeruari legum uocem. Prohibet quidquam cripi dominis inuitis, ſeu furto, ſeu alijs modis, qui cum legibus pugnant. Hanc doctrinam uitæ utilem iſti ſcurræ in alieniſſimam ſententiam transformant. Hæc eo commemorauit, & Sophiſticam conſideretis, & magis amictis ſtudia doctrinæ, quod cum facietis, uidebitis quàm ſeuerè Deus nobis & legum reuerentiam, & diſciplinam præceperit.

Noticiæ naturales, quæ ueriſſimè ſunt radij ſapientiæ ex mente diuina in nos transfuſi, quæ ſunt decalogi doctrina, ſunt propoſitiones neceſſariæ & immotæ magis quàm hæc propoſitio: Bis quatuor ſunt octo. Manifeſta igitur inſania eſt, & Cyclopum & Cynicorum furor, dicere obedientiam, quam Leges diuinæ præcipiunt, non eſſe neceſſariam. Ac magiſtratuum ſeueritate cohercendi erant, qui tales opiniones defendunt contumelioſas contra Deum, & pernicioſas mo-

 ribus,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000052

ribus. Quid interest inter pecudes & homines remota Dei & Legum notitia? Hæc breuiter dixi, cum leges Academiæ recitandæ essent, quas cum audietis, simul de reuerentia Deo, legibus et magistratibus debita cogitate, & fontes doctrinæ de his maximis rebus intuemini, remota Antinomorum sophistica, & ut decet sanos homines, libenter Deo & honestis legibus obtemperate. Dixi.

POST LEGVM RE-
PETITIONEM BREVIS COM-
monefactio dicta ab eodem
Rectore.

AVdiuistis Academiæ leges, quas cum fateri omnes oporteat pias, honestas, et tranquillitati communi utiles esse, præcipimus ut eis obediatis. Fortassis autem leuius curant eas aliqui, quia uident nos non armatos esse præsidijs, ut punire contumaces possimus. Sed scitote, Deum legum & ordinis Politici custodem esse, qui haud dubiè contumaces punit, ut quotidiana exempla ostendunt. Et in Ecclesiaste scriptum est: Non erit impunitum scelus, etiamsi pœnæ differuntur. Nec tamen deerit officio suo illustrissimus Princeps, qui uult implorari auxilium suum in defen-

sione iusticiæ, & pacis. Precamur autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, sedentem ad dextram æterni patris, ac dona largientem hominibus, ut semper Ecclesiam in his regionibus colligat, & nos omnes gubernet. Dixi. Die 17. Septembris. Anno 1559.

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS
Christophorus Burggrauius à
Dhona Baro &c.

DIes Crastinus, qui est uicesimus dies Septembris, nos de morte Caroli Quinti Imperatoris admonet, quia superiore anno uidelicet 1558. die uicesimo Septembris ex hac mortali uita decessit. Decet autem nos eius principis memoriam retinere, & propter historiam temporum, quia multæ magnæ res eo regnante acciderunt, & propter ipsius uirtutes, quia, etsi in nullo homine perfectio est uirtutum, ut illud Simonideum significat, οὐ ῥᾴδιον γίνεσθαι τετράγωνον, tamen fatendum est, in Carolo Quinto multas magnas uirtutes fuisse. Illud etiam cogitandum est, diuinitus ita gubernatum esse eius pectus, ut longo tempore non mouerit bellum con-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000053

tra Ecclesias nostras. Diu conatus est Synodum conuocare, sed Pontificij consilia eius astutè eluserunt. Tandem etiam moriens ostendit se probare doctrinam Ecclesiæ nostræ de Iustificatione. Ac propter hanc eius sententiam, postea is, qui confessionem eius tunc audire solebat, coniectus est in carcerem. Et quia hic quoq; ostendit se idem probare, crematus est. Hæc exempla memoria dignæ sunt, excitant enim pios ad cogitationem de doctrina. Decessit autem heri ex hac mortali uita uir honestus Andreas Reinart Cygneus, qui cum ante morbum uera Dei inuocatione, & honestis moribus pietatem animi ostendit, iam uero in hoc longo morbo se quotidie filio Dei commendauit. Hortamur igitur Scholasticos, ut hodie hora duodecima ante ipsius ædes ad pias funeris ceremonias conueniant. Vbi singuli et suam uitam, & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Datæ die 19. Septembris Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Christophorus Burggrauius
à Dhona Baro &c.

Illustria testimonia sunt & in scriptis Prophetieis, & Apostolicis expressa, & in experientia ostensa, quæ testantur castos Angelos Dei, piorum omnium custodes esse. Possemus historias recentes multorum recitare, qui & uiderunt angelos, & cum eis familiariter collocuti sunt. Vera est historia. In Pago prope Cygneam puer missus ante noctem ut reduceret boues, niue retentus est in montium faucibus.

Cumq; statim egredi non posset, Sedit inter arbusta inter boues propè errantes. Nox nulla erat, & ne puero fames & sitis molesta esset, uenit quispiam, qui præbuit ei panem, & caseum, & lagenulam cerevisiæ plenam. Parentes anxij toto biduo magis de puero, quàm de bobus, niue dissecta fauces montium aperiunt, die tertio puerum inueniunt sedentem ibi inter boues: Interrogant, cur non redierit domum? Respondit se niue retentum esse, Sed quia nox nondum esset, se expectasse niuium liquefactionem. Interrogant parentes an esuriret, respondit fuisse apud ipsum uirum, qui & panem & caseum ei dederit, & lagenulam cerevisiæ, quam ostendit. Gustant parentes, qui affirmarunt fuisse cerevisiam, qua nullam meliorem unquàm bibissent. Ita reduxerunt & filium, & boues. Coniunx reuerendi uiri, domini Pastoris Pauli Eberi delapsa est de arduo

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000054

monte prope Plawen, cum sorore. Seruatæ sunt, quia Angelorum gremijs exceptæ sunt. Et possemus ualde multa exempla recitare. Nec dubia est uox Filij Dei: Angeli eorum uident faciem patris. Item fecit eos λειτουργικὰ πνεύματα. Non simus adeo barbari & feri, ut beneficium Dei non consideremus. Sed agnoscamus hoc tantum beneficium, quod uerissimè Deus excubijs castorum Angelorum protegit nos. Hanc doctrinam hoc die cogitemus, & Deo et castis Angelis gratias agamus. Discamus etiam doctrinam de castis Angelis, & eorum officio, & cogitemus consilium Dei, quod præstantiorem naturam uult ministram esse longe inferioris naturæ humanæ. Discamus & uocabula, quid sint λειτουργικὰ πνεύματα, & cogitatione dulcissimarũ adpellationum nos excitemus ad gratitudinem, & ad petitionem, ut Deus hæc beneficia nobis tribuat. Ad hanc doctrinam repetendam pij congressus in templo fiant, scholastici ostendant se lætari his Dei beneficijs, et ea petere. Hortamur eos ut hodie ostendant signa suæ gratitudinis erga docentes Euangelium, & ad aram adferant gratitudinis signa, & orent Deum ut has regiones protegat, præsertim cum in Gallia & Hispania tristissima spectacula iam quotidie cernantur. Oramus autem filium Dei, ut nos protegat & gubernet. Die castorum Angelorum. Anno 1559. AVDI-

AVDITORIBVS DOCTRINAE PHYSICAE.

HActenus & προλεγόμενα quædam quæ præmittuntur doctrinæ Physicæ, & de quibus methodo Platonica primo loco in hac quæri solet, auditoribus nostris proposuimus, quæ sunt de prima causa efficiente rerum, qui est Deus, & prouidentia huius, & hæc an necessitatem afferat ijs, quæ fiunt uniuersis. Ita postea ad materiam, quæ est τῆς φυσικῆς θεωρίας propria, descenditur, et primum opus omnipotentiæ diuinæ consideratur, quod continet uniuersa, hic mundus est, de cuius natura, terminis, figura, motu, & unus an sit, aut plures, an expers originis, aut cœperit, æternus, an æducus, ratio inquirit. Mundi autem præstantissima pars est cœlum stellis ardentibus aptum, de cuius & stellarum natura, efficacia, & motibus similiter quærit Physica, & dicit quantum potest, potest autem perparum, de quo scholas nostras meministis. Motus tamen horum Astronomia proprie explicat, & de Physicæ & Astronomiæ, atq; cæterarum disciplinarum, quæ Mathematicæ appellantur, discriminibus, & quasi officijs proprijs alibi copiosè disseruimus. Etsi autem in libello Physico nostro etiam motuum in corporibus cœlestibus θεωρίαν,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000055

de ueterum & recentiorum doctrina explicatur, cauſas tamen habeo cur eam partem hoc tempore, & à me prælegi debere non exiſtimem, quas nuper initijs doctrinæ huius noſtræ pluribus uerbis expoſui, & ut confido auditoribus probaui.

Cum enim quidam ex artificibus noſtrorum temporum, ea ſibi obſeruaſſe uideantur, quæ à ueterum obſeruationibus recedunt, & his etiam nonnulla contraria ad explicanda ea hypotheſes nouas commenti ſunt, de quibus alij aliter ſentiunt, neq; deſunt, qui obſeruationes illas recentiores in dubium uocant, neq; cum Ptolemaicis ullo modo conferendas exiſtimant. Quam litem non faciemus noſtram, nobis enim tutiſſimum eſt ἐπέχειν & artificum ſententias expectare, quas tempus proferet. Interea de ſtudioſis harum rerum optime merentur, qui illas recentes obſeruationes ſic explicant, ut de ueterum doctrina quam minimè recedant, cuiuſmodi occaſio & diſcendi motus cœleſtes commoditas, cum iam ab ordinario Profeſſore mathematum publicè offeratur uniuerſis, cuius doctrina hoc ipſo tempore in his explicandis uerſatur, noſtris commentatiunculis ſuperſedere plane licebit, itaq; ad doctrinam publicam in præſentia diſcipulos delego. Nam quæ in libello phyſico de his rebus diſſeruntur, quaſi

quaſi θεμάτια ſunt de illis magnis cœnis Aſtronomicis ut de Tragœdijs ſuis, & Homerica poëſi AEſchylum, niſi fallor, dicere ſolitum accepimus, & illam epitomen harum rerum, qui explicare rectè uolet, eam integram doctrinam aſſumere, atq; inculcare neceſſe eſt. Permittentes igitur Aſtronomica mathematicis, noſtra autem ſunt in præſentia Phyſicæ operæ, in qua doctrina, poſt illam cœleſtium corporum contemplationem ea, quæ eſt huius ſtudij propria, ſequitur elementorum, & quæ ex his oriuntur contemplatio, quorum uirtus, et qualitas inueſtigatur, ex quibus deinceps de effectionum, & mutationum omnium cauſis rationes deducuntur, quas humanus animus de his rebus probabiles concipere poteſt, uniuerſæ. Hæc igitur pars doctrinæ Phyſicæ, et propria, & præcipua in ſecundo & tertio libro domini Præceptoris noſtri exponitur, ex quibus poſt explicatas diſputationes Phyſicas, quæ ſunt in primo, cras Deo uolente, ſecundum inchoabimus, qui de principijs, et cauſis, et proprietatibus quibuſdam corporum naturalium docet, & epitome eſt τῶν χρησομαθειῶν, quæ ſunt in libris ἀκροάσεως Φυσικῆς Ariſtotelis.

Eſromus Rudigerus
Papebergenſis.

IN

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000056

ANNO 1559.

IN SEXTVM LI-
BRVM ΙΛΙΑΔΟΣ
Homericæ.

VEl genus eloquij, uel ſpectes pondera re-
Vel carminis elegantiam. (rum,
Omne tulit punctũ, Scriptores inter, Ho-
Quos Hellas aut Latium tulit. (merus
Cuius nunc ſextum, ſequitur uelut ordine librum
Pleniſsimum rebus bonis.
Doctrina, Exemplis uirtutis, & omnibus auctum
Orationis floſculis.
Præcipuè cum ſors oppreſsi Bellerophontis
Iniqua per calumnias:
Mutuaq; Andromaches cum forti uerba marito
Lachrymæq;, narrantur, piæ,
Paruus & Aſtyanax ut fugerit oſcula patris
Galeaq; & armis horridi,
Et patrium poſita cognorit caſside uultum
Riſu, labello, & baſijs.
Tum quæ dulciloquo ſunt plurima condita uerſu
Hodie inchoabo & prælegam.
Oceani Phœbus cum declinabit ad undas
Horaq; reddiderit quatuor icta ſonos.

4. idus Octobris.

Petrus Vincentius
Vratislauienſis.

TESTI-

ANNO 1559.

TESTIMONIVM
CVIDAM PASTORI DATVM,
ſed fraude extortum ab ipſo. S. D. omnibus Lecturis.

VSitata ſunt Eccleſiæ exilia ut nos com-
moneſaciant de primorum parentum
exilio, & de filio Dei, qui propter nos fa-
ctus eſt exul, ut nos in patriam æternam reducat.
Vult autem nos filius Dei cogitantes de cauſis
communium calamitatum benefacere honeſtis &
pijs Exulibus. Ideo commendamus hunc Antonium
Duſterlohe Vxarienſem omnibus honeſtis uiris,
docuit Eccleſiam fideliter in pago Vthauſen in
ripa Mildæ non procul ab oppido Myſorum,
quod habet arcis Iuliæ nomen. Sed inde di-
ſceſsit propter pagi conflagrationẽ hoc anno fa-
ctam. Nec alia cauſa eſt hoc tempore, cur aliud
hoſpitium quærat, doctrinam Euangelij incor-
ruptam propagauit in hac uicinia, & in concio-
nibus ſuam confeſsionem oſtendit. Speramus eum
utiliter ſeruiturum eſſe eccleſiæ Dei, ubicunq; erit,
& filium Dei oramus, ut exulantem in his triſtiſ-
ſimis confuſionibus generis humani Eccleſiam
ſuam, ſeruet & gubernet, & ita ornet ſuis teſti-
monijs ut multi eam agnoſcant, & ad eam con-
uertantur, & impij cœtus refutentur, ſicut ſcri-
ptum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000057

ptum est. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et apud Esaiam inquit Dominus: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Hæc freti promissione petamus & expectemus auxilium à Deo aduersus omnes hostes nostrarum Ecclesiarum, quæ sunt uerè membra filij Dei. Datæ die Octobris 12. Anno 1559.

Philippus Melanth.

STVDIOSIS AVDITORIBVS RHETORICES.

CVM in eloquentiæ studijs nemo fœlciter sine exemplo & imitatione uersetur, utili consilio in Academia constitutũ est, ut explicationi præceptorum Rhetorices, adijciatur orationum Ciceronis lectio ad usum præceptionum in materijs illustribus, & utilibus ostendendum. Sed hac ipsa in re delectum haberi prodest earum orationum, quæ studijs communibus horum temporum, magis congruunt, hoc est, quæ ad doctrinam utilium rerum, & ad formandum bonæ orationis iudicium maximè sunt accommodatæ. Quare de iudicio optimi, atq; doctissimi uiri Philippi

Philippi Melanthonis, nostri de communibus studijs optime meriti præceptoris orationem pro L. Murena Cos. Desig. nunc quidem enarrandam delegi, quod hæc & argumenti splendore eximia, & rerum uarietate erudita atq; iucunda, et genere orationis aptissima adolescentiæ studijs hoc tempore fore uideretur. Habet illustres admodum locos communes, inter quos insignis est & Rhetoricæ collatio scientiæ iuris, cum re militari. Aspersæ sunt & Philosophicæ materiæ, & salsa Stoicorum derisio, ut nihil dicam de insignibus alijs eloquentiæ, in causa splendidissima, ornamentis. Hortor itaq; studiosos, ut eam diligenter cognoscant, & adsidua relectione sibi familiarem faciant. Ac prælectionem, Deo iuuante, cras hora quarta inchoabo. Die 16. Octobris quæ fuit dies Mortis præstantissimi Athenarum oratoris Demosthenis ante annos 1881.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.

GEOR-

GEORGIVS MAIOR
THEOLOGIAE STV=
diosis, S. D.

CVM Paulus inquit, Filium Dei ab æterno patre datum, ut sit caput Ecclesiæ, ostendit Ecclesiam, & cœtus docentium & discentium non tantum humanis consilijs & præsidijs seruari, Sed filium Dei sedentem ad dexteram æterni patris, huius sui miseri gregis pastorem, & custodem esse. Experti enim sumus sæpè iam annis quadraginta, in multis magnis periculis præsentiam filij Dei in hoc nostro agmine custodiendo, et seruando, ut uerè cum Propheta dicere possimus: Nisi Dominus ipse fuisset nobiscum, cum insurgerent contra nos homines, tunc uiuos deglutissent nos, cum accensus esset furor eorum in nos, tunc aquæ absorbuissent nos, torrens transisset super animam nostram. Ad hæc pericula accessit iam rabies multorum hypocritarum, qui uiperarum modo hanc Ecclesiam & Scholam, matrem & altricem suam, nunc aliquot annis uenenatis conuicijs, calumnijs, & mendacijs arrodunt, & extinctam uolunt. Tibi igitur æterno patri Domini nostri IESV CHRISTI mirabiliter hanc miseram Ecclesiam, & Scholam nostram, tot fluctibus & tempestatibus expositam per

per filium custodem nostrum seruanti, toto pectore gratias agimus, tēq; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum oramus, ut hanc Cymbam sic periclitantem contra hos diabolorum flatus, & furores porro serues, nec sinas extingui doctrinæ studia, sed ut nobis docentibus, et discentibus adsis, Spiritu sancto tuo nos regas, & protegas. Cœpimus autem ordine enarrare Pauli Epistolas: Finita igitur enarratione eius, quæ ad Ephesios scripta est, sequentis ad Philippenses explicationem, Deo iuuante, exordiemur. Die Lucæ Euangelistæ Anno 1559

Die Veneris proxima hora
secunda loco solito.

RECTOR ACADE=
MIAE VVITEBERGENSIS
Christophorus Burggrauius
à Dhon Baro &c.

QVotidie cum in Symbolo recitamus dulcissimam assecurationem, Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam, laeti cogitemus filium Dei semper Ecclesiam, doctrinæ studia, & hospitia aliqua seruare, & seruatorum esse. Seruat autem apud eos, qui non recusant audire uocem doctrinæ, ut in Parabola de negociantibus dicitur, non apud illam Cyclopum mul=

 titudinem

ntudinem de qua ſcriptum eſt: Quia repuliſti ſcientiam,te repellam. Vt igitur ſtudia doctrinæ & ſint ſalutaria, & ad poſteros propagentur, honeſtos cœtus ſoueamus omnibus officijs,amemus & ſcholas & ſcholarum leges, ſine quibus eſſe conſociatio nulla poteſt. Scitis autem die Lucæ creari nouum Rectorem Academiæ,et fieri publicè indicationem,ut ritè electum eſſe conſtet, & ſinguli magiſtratum noſſe queant, ad quem ſeſe adiungere debent,Sicut milites neceſſe eſt ſui exercitus ſigna noſſe.Præcipimus igitur,ut cras hora ſeptima Scholaſtici in auditorio maximo conueniant;audituri Rectoris electionem,Ibiq; nobiſcum uota faciant,ut filius Dei ſedens ad dextram æterni patris, ac dona dans hominibus, Paſtores, & Doctores, ſemper inter nos ſeruet & gubernet docentium,& diſcentium cœtus. Te fili Dei Domine Ieſu Chriſte,crucifixe pro nobis & reſuſcitate,qui dixiſti:Nemo nouit patrem niſi filius,et cui filius uolet reuelare,ueris gemitib. precamur, ut tu ipſe ſis Rector,& Doctor huius Academiæ,doceas nos uoce Euangelij de æterno patre tuo, & de teipſo,& ſis λόγ& uiuens in mentibus noſtris,& accendas pectora noſtra Spiritu tuo ſancto, ut ſimus uiua Dei templa, in quibus erit Deus omnia in æterna lætitia, Amen. Pridie diei Lucæ Anno 1559.

GRATIARVM ACTIO PRIVATA, IN CONSESSV REuerendorum, clariſſimorum & doctiſſimorum uirorum Profeſſorum & Præceptorum à Rectore domino Chriſtophoro Burggrauio à Dhon Barone &c. recitata,die Lucæ Euangeliſtæ,quo mane reſignaret ſuum magiſtratum ſcholaſticum &c.

DEO æterno, patri Domini noſtri Ieſu Chriſti fonti ſapientiæ gratias ago, quòd hactenus Eccleſiam,& Academiam in hoc oppido clementer conſeruauit, & eum oro,ut deinceps quoq; nos protegat, & gubernet. Vobis etiam gratiam habeo, quòd oſtendiſtis uos amanter & honorificè de me ſentire, eamq; ob cauſam mihi magiſtratum mandaſtis. Et promitto perpetuam Academiæ gratitudinem. Peto etiam mihi ignoſci,ſi quid à me neglectum eſt. Ac nominatim gratias ago reuerendo uiro,Doctori Georgio Maiori, qui labores adminiſtrationis hoc Semeſtre præcipuos ſuſtinuit. Nunc more legitimo depono magiſtratum,& uos adhortor,ut ad noui Rectoris electionem, quam filius Dei gubernet, qui faciat, ut ſit fauſta & fœlix, procedatis. Dixi.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000060

ORATIVNCVLA, QVA RENVNCIAT, QVEM communibus ſuffragijs, Senatus Academiæ Rectorem elegit &c.

QVOD *fauſtum, & fœlix ſit, expono uobis omnium conſentientibus ſuffragijs electum eſſe Rectorem huius Academiæ, uirum clariſſimum Georgium Cracouium, Doctorem I. V. Conſiliarium illuſtriſſimi ducis Saxoniæ, Electoris &c. Ac filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſedentem ad dextram æterni patris, ac dantem dona hominibus, paſtores, & doctores oro, ut & inter nos ſeruet & gubernet docentium & diſcentium cœtus, & ſit ipſe huius Academiæ Rector & Protector, & hunc rectorem Doctorem Georgium adiuuet.* Dixi.

RENVNCIATIO PVBLICA CORAM AVDITORIbus, & qua ſimul eos ad obedientiam ſuo magiſtratui debitam præſtandam, hortatur.

NON *caſu ortum eſt genus humanum ex Democrati atomis, nec caſu ſeruamur. Sed uere eſt Deus æternus conditor generis humani, cum filio ſuo coæterno Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Eccleſiam æternam colligit uoce Euangelij per & propter filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, & mirabiliter in tantis confuſionibus generis humani protegit, & ſeruat cœtus docentium, & diſcentium Euangelium.*

Huic *uero Deo æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti gratias ago, quod hactenus clementer in his regionibus colligit æternam Eccleſiam, & ueræ doctrinæ ſtudia, & eorum hoſpitia conſeruat, & hanc Academiam contra multorum hoſtium rabiem protegit, & ut ſemper protegat hanc Eccleſiam, & Academiam, precor, quia uerißimè dictum eſt: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtra uigilat qui cuſtodit eam. Cum autem bono conſilio conſtitutum ſit, ut quolibet ſemeſtri onus Rectoris in alium transferatur, & proſit omnes ſcire, quem magiſtratum habeant, publicè proponitur. Itaq; expono uobis, quod fauſtum & fœlix ſit, electum eſſe Rectorem huius Academiæ uirum clariſſimum, eruditione, & uirtute præſtantem Georgium Cracouium, Doctorem Iuris, Conſiliarium Illuſtriſſimi ducis Saxoniæ Electoris &c. Singulari autem Dei bene-*

ficio in hac ſcola perſpicuè illuſtrata eſt doctrina de diſcrimine miniſterij Euangelici, & Politici ordinis, & de obedientia debita legitimis magiſtratibus. Hanc cogitantes huic Rectori ueſtro Doctori Georgio Cracouio reuerenter obedite propter mandatum Dei: Neceſſe eſt obedire non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Hæc ſeuerißima ſententia diuinitus tradita, commonefaciat uos de uoluntate, & iudicio Dei, & confirmet pectora, ne furenter contra Deum, & legitimos magiſtratus ruant, nec ſibi iram Dei, et pœnas attrahant. Deinde reuerentia erga doctrinarum ſtudia uos moueat, ut conſeruari honeſtas Scholas uelitis. Qualis in uita barbaries? Quales tenebræ, qualis in moribus confuſio, quàm tetra, Dei religionum, & legum obliuio ſcatura eſſet? ſi deletis Academijs, in doctorum cupiditatibus, & monſtroſis ac ſedicioſis fanaticorum hominum clamoribus omnia regantur, ut fit inter Anabaptiſtas, & illorum ſimiles. Hæc mala ne accidant, doctrinæ iuſto ordine conſiderandæ ſunt, quod fieri non poteſt, niſi ſint honeſti, tranquilli, & rectè ordinati docentium & diſcentium cœtus. Tales cœtus ut conſeruentur, ſinguli ſuo loco præſtent officia communi tranquillitati debita, & uelint Academias eſſe uera Dei templa, & ornamenta Eccleſiæ, in quibus Rector ſit filius Dei,

Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, crucifixus pro nobis, & reſuſcitatus, ſedens ad dextrã æterni patris, dans dona hominibus, Paſtores & Doctores, ſicut inquit ipſe: Vbicunq; ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Hunc uerum Rectorem Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, qui inquit: Ego ſum uitis uos palmites, oro, ut faciat nos ſibi palmites, nos doceat, gubernet, & protegat,

AMEN.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000062

RECTORATVS PER HYEMALE SEMESTRE, CLARISSIMI VIRI, eruditione sapientia, & uirtute excellentißimi, Domini Georgij Cracouij, I. V. Doctoris, Professoris, & Consiliarij illustrißimi ducis Saxoniæ Augusti, Electoris &c. Vsq; ad Festum Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Georgius Cracouius I. V. Doctor

INitium est mensis Nouembris, qui apud Ebræos nomen habet ab Orione כסלו, id est ὠρίωνος. Ita sapiens antiquitas dixit, & nominauit menses à Physicis causis. Incidit autem in hunc mensem Orionis occasus, de quo dicit Virgilius:

Sæuus ubi Orion Hybernis conditur undis.

Sed nos cogitemus etiam sapientum historias, quæ de Orione traditæ sunt. Dicitur nec-tus esse à Scorpione. Et quanquam uidetur inde sumpta esse narratio, quod in hoc mense oriente Scorpio occidit Orion: tamen & hoc significatum est, à Scorpijs læsi Ecclesiam, & doctrinarum studiosos. Sed tamen Orion in cœlum transfertur, & medium cœli tenuit Orion, filio Dei in cruce pendente. Etsi igitur Scorpij nobis insidiantur diaboli, & diabolorum organa: tamen lætemur nos recta discere, & uere Ecclesiæ membra esse, & in æterna Ecclesia filij Dei cohæredes fore. Sic decessit ex hac uita hac nocte adolescens, natus Smalcaldiæ in familia honesta, Nicolaus Ieger, qui in Academia Heidelbergensi audiuit Henricum Stolonem enarrantem doctrinam Ecclesiæ uirum integerrimum, et Iacobum Micyllum, cuius fuit excellens eruditio, & uirtus. Postea hic triennio doctrinam Ecclesiæ, & Philosophiam didicit. Nunc uero phthisi paulatim absumptus est, & in hoc longo morbo in quotidiana lectione, & inuocatione se quotidie filio Dei commendauit, & suo patri dici iußit, ut hanc ob causam luctum, & dolorẽ moderetur, quia ipse confirmatus agnitione filij Dei tranquillo animo sit, & non dubitet se ex huius uitæ ærumnis ad cœlestem Ecclesiam accedere, ubi coràm Deum uisurus sit, & lætus gratias acturus Deo, et Domino nostro Iesu Christo pro omnibus beneficijs, & sapientiam eius auditurus, cuius hic initia didicit.

Cogitate quantum interſit inter talem exitum, & mortem hominis miſeri, latronis, qui ante biduum in uicinia ſibi mortem conſciuit ante ſupplicium? Vult nos Deus exempla piorum & impiorum conſiderare, & ſcire pios ad lætiſſimam Dei conſuetudinem migrare, Sicut dictum eſt: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Item: Iuſtus in morte ſperabit. De impijs vero in Pſalmo ſcriptum eſt: Mors impiorum peßima. Petamus igitur à filio Dei, & piam uitæ gubernationem, & lætam migrationem ad cœleſtem Eccleſiam. Hæc cogitanda ſunt iam in funere, quod fiet hodie hora tertia. Ac hortamur uos, ut ad id conueniatis non procul ab ædibus uiri clariſſimi, nobilitate generis, et uirtutis præſtantis Melchioris Faſolt, & ibi ſinguli ſeſe, & Eccleſiam Deo pijs uotis commendent. Datæ die 3. Menſis Nouembris, qui eſt Ebræis בִּיסְלֵו *id eſt,* ὠρίωνος. Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V. Doctor.

VBicunq;

VBicunq; eſt Eccleſia, ſimus unum in Deo, coniungamus inuocationem, gemitus, & gaudia, & ardentibus uotis precemur filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſedentem ad dextram æterni patris, ut ſemper inter nos colligat æternam Eccleſiam, & protegat nos, & adſit uiuentibus & morientibus, ſicut inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Conſtat autem fuiſſe honeſtum ciuem huius oppidi Benedictum VVerbick, qui rectè inuocauit Deum, & cum in moribus ante hoc tempus, tum in agone pietatem animi oſtendit, ſeq; aſſidua inuocatione filio Dei commendauit. Quantum Dei donum eſt, ex huius uitæ æruminis placidè ad cœleſtem Eccleſiam diſcedere, & in horum numero eſſe, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur? Et Iohan. 5. Amen, Amen dico uobis, Qui ſermonem meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, ſed tranſit ex morte in uitam. Has dulciſſimas conſolationes quotidie cogitemus, & ſciamus infinitum diſcrimen eſſe, inter conuerſos ad Deum fiducia mediatoris confirmatos, & alios qui Deum contemnunt in uita, et poſtea ruunt in deſperationem, furores, & fremitus contra Deum, de quibus ſcriptum eſt: Mors impiorum peßima. Et prouerbiorum Capit. 11. In morte hominis impij peribit ſpes.

De

De hoc certißimo diſcrimine ſæpe cogitemus, & exempla intueamur. Mors latronis conuerſi in cruce iter eſt ad cœleſtem læticiam. Saulis mors initium eſt horribilium dolorum. Precemur etiam filium Dei ut nos gubernet in uita, & in extremo agone. Cum autem iam funus ſit futurum Benedicti VVerbick, hortamur uos, ut conueniatis non procul ab ædibus honeſti uiri conſulis Kelæri, hora quarta, ibi ſinguli ſeſe, et Eccleſiam pia precatione Deo commendent. Datæ 4 Nouemb. Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Georgius Cracouius, I. V. Doctor.

ANnotauit uetuſtas hoc die, uidelicet, nonis Nouembris, Zachariam patrem Iohannis, *adfirmantem natum eſſe Meßiam, & populos de politiæ Iudaicæ fine, & ueris cultibus docentem lapidibus obrutum eſſe inter altare & templum, quia Sacerdotum errores de ſacrificijs & alios taxabat: Fiet & hodie funus nonis Nouemb. filio Philippo, clariſſimi uiri, excellentis eruditione & uirtute Iohannis Sneidewin Doctoris Iuris.*

ris Iuris. Etſi autem ſoργαὶ diuinitus inſitæ humanis pectoribus in parentibus ingentem dolorem cient, & Deus uult nos hæc uulnera ſentire: tamen uult nos etiam moderari dolorem cogitatione ſuæ doctrinæ, & exemplorum. Sciunt parentes, qui doctrinam filij norunt, & eum rectè inuocant, quare hominum natura morti ſubiecta ſit. Sciunt & de infantulis Eccleſiæ inſertis dictum eſſe: Talium eſt regnum cœlorum. Has conſolationes cum ſibi proponunt, hodie etiam de Zachariæ morte cogitent. Quantus dolor fuit in coniuge Zachariæ Eliſabeth, quæ tunc adhuc uixit, & fortaßis cariſſimum maritum ſepelijt aſtante Iohanne filio adoleſcentulo? Quanta fuit mœſticia in cæteris matribus, in quarum complexu recens interfecti erant infantes, cum Herodes Chriſtum interficere conaretur? Nam ea tempora uicina fuerunt. Nec dubium eſt eas matres cum Eliſabeth multa de Meßia collocutas eſſe, & dixiſſe illas ipſas neces teſtari, aliud æternum regnum fore Meßiæ, & Zachariam, & filiolos ſuos typos eſſe mortis Meßiæ. His cogitationibus & parentes leniant dolorem, cum ſciant dictum: Talium eſt regnum cœlorum. Et nos ipſi excitemus animos ad inuocationem conſideratione cauſarum, propter quas uniuerſa hominum natura tantis miſerijs onerata eſt, & confugiamus ad filium

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000065

filium Dei. Aliqui ex nostris audiuerunt honestam et sanctam matrem Doctoris Iohannis Sneidewin in incendio suæ domus dicentem, se quanquàm multa aduersa toleret, tamen sustentari his consolationibus, quod sciat Ecclesiam subiectam esse cruci, nec se propter has ærumnas à Deo abiectam esse, & exaudiri suas preces, & sperare se, et familiam Deo curæ fore. Huic sermoni addebat Epiphonemata, dictum Iob: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Et Pauli dictum: Per hunc audemus accedere cum fiducia ad Deum per fidem in Iesum Christum. Hæc diuina mandata inquit anteferre debeo ærumnis & doloribus meis. Talia exempla & patientiæ & fidei confugientis ad filium Dei, cogitare utile est. Hortamur autem uos ut ad pias funeris ceremonias hodie hora duodecima conueniatis, & ibi singuli sese, & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Nonis Nouembris Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V. Doctor &c.

ANNO 1444. die Nouembris decimo, trucidatus est nobilißimorum, & fortißimorum uirorum exercitus, quem duxit Rex VLADISLAVS, ex bellicosißimis gentibus, Hungarica et Polonica ad Varnam usq; quæ uiginti miliaribus distat à Byzantio, ubi & Rex ipse Vladislaus in acie prælians, interfectus est: Ac antecessit illam infœlicem pugnam ingens terræmotus, quæ Hungariam, Poloniam, & Boiemiam conaßit. Fuit clades illa insigne exemplum humanæ infirmitatis, Rege florentißimo & tot præstantißimis uiris uno die interfectis.

Talia exempla intuentes cogitemus imbecillitatem nostram, & animos præparemus, & confirmemus inuocatione Dei, & Domini nostri Iesu Christi. Accidit & nobis 10. die Nouemb. hoc anno tristis casus. Amisimus ingens ornamentum Academiæ Iacobum Milichium, doctorem artis medicæ, in omnibus Philosophiæ partibus præclarè eruditum, & ornatum omnibus uirtutibus, qui natus in familia honesta urbis Prisgoicæ Friburgi, ibi Erasmo Rotero. Vlrico Zasio, Cunrado Heresbachio, et alijs multis præstantibus uiris familiaris, et carus fuit. Deinde in hanc Academiam uenit tantũ studio ueræ doctrinæ de Deo, ubi primum uiro doctißimo Gryneo familiaris fuit, & cum specimen eruditionis, & integritatis præbuisset, tribuit ei Academia publicè docendi munus. Fideliter

Fideliter, & utiliter Mathematum elementa tradidit, & secundum Plinij librum ita illustrauit, ut magis perspicua enarratio non extet. Vt enim natura ingenua et recta erat: Ita perspicuitatẽ maximè amabat, iuxta illud Euripideum: τὸ ἐσθλὸν σαφὲς. Postea artem medicam, & docuit, & fideliter exercuit, & uita honestißimum exemplum fuit omnibus, Deum rectè inuocauit in agnitione Mediatoris, castè in coniugio uixit, in omnibus ciuilibus officijs iustus & grauis, & uere hoc præstabat, quod Paulus iubet inquiens: τάυτα λογίζεσθαι, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα. Tali Collega, & non solum studiorum, sed etiam inuocationis socio cum orbati simus, magno dolore adficimur. Sed precamur filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut calamitates publicas & priuatas leniat.

Ipsum Doctorem Iacobum Milichium scimus recens apud amicos multa & de Ecclesia pie locutum esse, & de morte dixisse: Etsi sit durum iter: Tamẽ cum sciat non casu homines ad tantas calamitates nasci, sed restare aliã meliorẽ uitã, se expetere illius uitæ sapientiam, ubi Deum coràm, & causas mirabilium operum in natura cernat, & ducente filio Dei, spe fruendæ illius sapientiæ, se minus

minus ab eo itinere abhorrere. Deniq; sermones ipsius semper pleni eruditionis & pietatis, & mores honestißimi fuerunt: Ac speramus eum frui illa luce consuetudinis cum Deo, ac lætitia cœlesti, quam expetiuit iuxta dictum: Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Hortamur autem omnes Scholasticos, ut hodie hora tertia conueniant antè ipsius ædes ad pias funeris ceremonias, & ibi singuli de proprijs perialis cogitantes extincto tali uiro, cuius ætas & uires nondum discesserant ab ἀκμῇ, suam uitam Deo commendent, & simul precentur, ut Ecclesiæ & doctrinarum propagationi utilia organa semper tribuat. Datæ die 11. Nouemb. Anno 1559.

EPITAPHIVM EIVSDEM IOHANNE MAIORE Ioachimo, Doctore Theologiæ autore.

Νὺρ ὕακινθε λαλεῖ τὰ σὰ γράμματα καὶ πλέον αἰ αἰ,
Et sonet in foliis scripta quercia tuis.
Inuida Milichium rapuerunt fata Iacobum,
Qui sibi, quisq; alijs uiuere dignus erat.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000067

Cui pater ipſe ſuas artes donauit Apollo:
Natura & gremio nutrijt alma ſuo.
Ille uias cœli, cœloq; errantia norat
Sydera, quasq; habeant illa uel illa uices.
Adde poteſtates herbarum, uſumq; medendi,
Scriptaq; ſolerti tot monumenta manu.
Hîc herbæ ueſtras decuiſſet promere uires,
Quando alios ueſtra ſæpe leuauit ope:
Dum tamen herba ſolo, dum ſtabunt ſydera cœlo
Candida Milichij fama ſuperſtes erit.
Multum illi et flores, multũ illi & ſydera debent,
Totus in illorum cognitione fuit.
Sed noua cum tellus quondã nouagermina fundet,
Et noua cum cœlum prouehet aſtra nouum:
Tum nouus exuuijs decorata carne reſumtis
Milichius, priſcæ dum uidet artis opes:
Multa ſuper flores, & cœli ſigna loquetur,
Abramo faciens mutua uerba patri.
Nunc uer perpetuum fœlici ſpiret in urna,
Frondeat ut pictis ſemper amæna roſis.

DE SAGITTARIO QVI FVIT INSIGNE Milichio, Epigramma.

VT celeres torquet neruo impellẽte ſagittas
Magnanimi præſtans robore dextra uiri.
Vtq;

Vtq; uolant illæ feriuntq; aduerſa, feroces
Siue petant hoſtes, ſeu fera monſtra feras:
Sic etiam impellente Deo per cuncta feruntur
Heroës meritis & pietate graues.
Illorum res nulla poteſt inhibere labores,
Quidquid agunt, fato proſperiore cadit.
Ergo ſagitta datur merito uirtutibus auctis,
Alta petit uirtus, alta ſagitta petit.

Theodorus Platæanus
Cygnæus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Georgius Cracouius I. V. Doctor.

VIR clariſſimus Gregorius Pontanus Iuris Doctor, interrogatus quos Iuris interpretes ex ijs quos audiuiſſet, maximè probaret: Reſpondit ſe præcipuè hos duos probare, Doctorem Hieronymum Schurfium, et Doctorem Plankefeldium, quem. inclytæ Academiæ Francofordiana audierat, Vtrumq; enim adhibuiſſe plurimum conſilij & iudicij in eligendis fundamentis, & neruis deciſionum.

Plankefeldium uero cum esset eloquens, illustrasse etiam doctrinam commemoratione historica exemplorum huius temporis, quæ quid iudicatum esset ostendebant. Qui quidem Doctor plankefeldius fœlicior fuisset, si hos labores Academiarum sustinere maluisset, quàm fieri Episcopus. Cum enim Episcopus Rigensis factus esset, non multo post in itinere Hispanico in Pireneis montibus, mortuus est. Est autem familia honesta Berlinensis Plankefeldia, ex qua hic tres Sorores uixerunt honestæ matronæ, quarum maxima natu uidua adhuc uiuit, minima natu ante annos aliquot mortua est, coniunx uiri clarissimi, Chiliani Goltstein Doctoris I. V. qui deliberationes grauissimas in uicina urbe regit.

Tertia fuit nupta doctissimo uiro, Iohanni Longicampiano, qui Mathemata hic docuit, & Cracouiæ doctissimos uiros audierat. Hæc Anna Plankefeldia uixit uidua annos triginta, & honestis laboribus aluit filios, & filij Doctoris mortui, paruas filias, quæ nunc amissa auia orbitatem suam deplorant. Sed cogitemus generis humani infirmitatem, et precemur filium Dei, qui exulans in hoc mundo similes ærumnas tulit, ut nobis opem ferat, Sicut & assiduè hæc Anna Plankefeldia uidens multiplicia pericula uitæ, et magnas calamitates

tates publicas pro sese, pro filiabus, pro Ecclesia, & Politia precata est, quæ & heri sæpè repetita inuocatione in agone placide, & acquiescens in filio Dei, ex huius uitæ ærumnis ita decessit, ut annumeranda sit ijs, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur autem Scholasticos ut hodie hora duodecima ad pias funeris ceremonias ante ipsius ædes conueniant, & ibi singuli sese, & Ecclesiam Deo ueris gemitibus commendent, Cogitantes multiplicia periala uitæ, & magnas calamitates publicas. Crastinus dies etiam commonefacit nos de insigni exemplo humanæ infirmitatis. Nam die 16. Nouembris, Anno 1548. decessit ex uita immatura morte, uir clarissmus Doctor Caspar Crucigер, qui etiamsi ad dulcissimam cœlestis Ecclesiæ sapientiam transiuit: tamen suis, & nobis multo plus profuturus erat, si Deus ei longius spacium in hac uita tribuisset. Datæ die 15. Nouembris Anno 1559.

STVDIOSIS DOCTRINAE DE ANIMA.

ILlustria de Deo testimonia sunt: rerum omnium creatio, et hæc pulcherrima mundi corpora uarietate iucundissima distincta, perpe-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000069

tui ſtatisq; uicibus reuertentes ſyderum motus συμπάθειας corporum cœleſtium, & inferiorum generationum, & corruptionum in Elementari natura certaudo, ſpecierum diſtinctio, terræ ſingulis annis fœcundatio, dierum & temporum diſcrimina, fluminum perennes curſus, deniq; naturæ totius conſeruatio. Multo maximè uero euidens prouidentiæ teſtimonium eſt, in hoc pulcerrimo mundi theatro collocatus Homo, cuius ſtructura atq; opificium quo plus habet artis & ſapientiæ, tanto magis dignum eſt aſpectione atq; admiratione. Conſtat is ex diuerſarum rerum copulatione, anima uidelicet, ac corpore, perinde ut mundi σύστημα ex diſsimilibus partibus æthereæ atq; huius elementaris regionis componitur.

Corpus quidem uocamus materiam ex elementorum inter ſeſe mixtione conflatam, quæ molem ipſam conſtituit, ac complet, uidelicet, membra, humores, & Spiritus: Quæ triplicia corporis humani principia materialia Hippoc. 6. ἐπιδ. μ: part. 8. nominat: τὰ ἰσχνὰ, ἐνισχόμενα καὶ ἐρεμῶντα σώματα. Anima uero altera, atq; nobilior ſubſtantiæ hominis pars, ſingulare & admirandum DEI donum, atq; imago eſt, omnis mixtionis, atq; ideo etiam mortalitatis expers, in quam Deus radios ſuæ lucis

lucis ac ſapientiæ ſparſit, noticias uidelicet, cum aliarum rerum, tum uero imprimis legis naturæ. Addidit & uoluntatem, quæ libera eſt & obtemperare prælucentibus in mente noticijs rectè debebat.

Eſt & cor copulatum cum uoluntate, ut motus ſint ſerij nec ſimulati. Etſi autem uires animæ ſua natura ſunt inorganicæ, tamen quia incluſa eſt ipſa & alligata corpori, nequit dum in hoc carcere detinetur, quidquam earum rerum, quæ extra ipſam ſunt, apprehendere, iudicare, diſcernere, aut tractare, citra opem, & miniſterium organorum corporis. Quapropter ſapiens Architectus in corpore organa diuerſa, per quæ anima ſuas actiones exequitur, condidit, & particulas certis functionibus deſtinatas conuenente ſubſtantia, figura, ac ſitu fabrefecit. Hoc ſuum opificium admiratione digniſsimum aſpici Deus, ac inquiri uoluit, & celebrari ſuam ſapientiam, bonitatẽ, atq; amorẽ erga nos, quem eo ipſo declarauit, quod quæ in ipſo ſunt ſumma & optima, hæc in noſtram naturam transfudit ſapientiam, iuſticiam, & læticiam æternam, & ſe nobis in omnem æternitatem communicabit. Etſi autem perſpicere animam in hac caligine mentis humanæ non poſſumus, tamen ea utcunq; ex uiribus, atq; actionibus delineari poteſt, & quan-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000070

quam pauca deprehensa sunt, tamen hæc ipsa nosse, ingens est utilitas. Nam præterquam quod naturæ cognitio per sese bonas mentes delectat, & assensionem de prouidentia confirmat: certe in explicatione doctrinæ cœlestis hæc Philosophiæ pars nequaquam est negligenda. Deniq; in omni uita usus eius doctrinæ ad ualetudinem tuendam, & ad mores regendos, latissimè patet. Cumq; diuus Paulus iubeat, honorem corpori nostro tribuere, hac ipsa uoce ad amorem doctrinæ de anima, ad modestiam, & sobrietatem inuitari nos sciamus. Decreui itaq;, reuerendi domini Præceptoris librum de anima publicè repetere, ac polliceor auditoribus diligentiam, & fidem. Inchoabo autem Deo iuuante, proxima die Mercurij hora 9. in auditorio Mediorum. Datæ die Elisabethæ Anno 1559.

Bartolemeus Schonborn.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V. Doctor

SIngulare beneficium Dei est duorum coniugum pia consuedo ad longam Senectam. Tale fuit coniugium Augustini Gubenensis, & suæ

& suæ coniugis honestæ matronæ, qui simul circiter sexaginta annos uixerunt, & uera pietate simul Deum coluerunt. Et aliquanto post rursus in cœlesti Ecclesia conuenient. Filios eruditi auerauerunt, & filia nupta est uenerando uiro Alberto Pastori in urbe Cõtn. Cum autem hic Augustinus, iam ex hac uita euocatus sit, & piè in inuocatione filij Dei & uixerit, et decesserit, hortamur Scholasticos, ut hodie hora tertia ad pias funeris ceremonias conueniant antè ipsius ædes è regione ædium D. Præceptoris, & singuli suam uitam, & Ecclesiam Deo pijs uotis commendent. Datæ die 29. Nouembris Anno 1559.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS THEOlogicæ Georgius Maior Theologiæ Doctor.

HOminum cœtus ubicunq; sunt sine uero Euangelij ministerio, etiamsi florent imperijs, & opib. tamẽ sunt ut nauigia, quæ nullis gubernatoribus reguntur, imo uariè iactantur fluctibus, & passim in scopulos allisa euertuntur. Sic cœtus, qui sunt sine custode Deo uariè turbantur a diabolo, & in magnis periculis nec

consilium, nec auxilium à Deo expectant. Hanc agnoscamus miseriam generis humani, & contra ingens beneficium Dei amplectamur, qui se patefecit, ministerium Euangelij instituit & seruat. Ac testatur in eo cœtu se habitaturum esse, ubi sonat uox Euangelij. Hic cœtus caput, custodem, gubernatorem, opitulatorem Deum habet, Sicut Christus inquit: Si quis diligit me Sermones meos seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et hodierni Euangelij ac festi recordatio imaginem dulcissimam huius & promissionis, & consolationis proponit. Cum enim filium Dei ingredientem Ierosolymam pompa publica comitaretur inerme, & imbecilla turba populi, sonans hanc uocem lætissimam: Hosianna filio Dauid, Benedictus, qui uenit in nomine Domini, et hæc uoces in templo repeteret multo imbecillior cœtus infantium, & lactentium: accusant Christum: & agmen ipsum celebrans, Pontifices superbi, & Hypocritæ uenenati Pharisæi, ardentes odio Christi, & indignantes ita eum excipi. Estq; species Ecclesiæ, ac ministerij eius infirmissima. Sed respondet his CHRISTVS, & seuerissima obiurgatione eos refutat, adfirmans semper mansurum esse talem aliquem in genere humano cœtum, qui laudes suas, & Hosianna lætum sonet, & hunc

& hunc sese defensurum esse potentia sua, frementibus diabolis, & omnibus inferorum portis, etiamsi infirmus, & languidus sit hic cœtus, & celebratio horum infirmior uideatur, quauis infantulorum aut lactentium uoce. Sic enim inquit: An non legistis quod scriptum est: Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti tibi laudem. Quod quidem in fontibus multo est scriptum euidentius: Ex ore infantium & lactentium fundasti robur, hoc est, potentiam seu regnum, propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem. Opponit filius Dei diabolis, Tyrannis, & portis inferorum ardentibus odio Dei, & Ecclesiæ, & cupidissimis nocendi nobis, regnum ac robur inuictum, uocem infantulorum lactentium, & balbutientium, & his adfirmat destrui oppositam diabolorum, ac tyrannorum omnium potentiam. Quid est autem infirmius uoce ac sono fragili & euanescente, & eo quidem infantuli non sonantis uocem disertam, aut distinctam, sed sonum qualemcunq; titubando ac balbutiendo imitantis?

Tales cum nos adfirmet esse filius Dei cogitantis hanc ipsius uocem, læti ei gratias agamus, quod & nostram balbutiem non aspernatur, & quod protectionem nobis immensa bonitate policetur, & hæc bona uotis ardentibus ab eo quotidie petamus,

tamus: Ac quod uult nos esse, simus ὑπτιάζοντες μὴ θηλάζοντες hoc est, non superbiamus fiducia nostri aut uirium nostrarum, sed sugamus ubera docentiũ, & doctrinã ab ipso traditam fideliter custodiamus, et proficere conemur, quantũ in hac infirmitate nostra ipso iuuante nobis conceditur, amemus etiam, & ueneremur ministerium Euangelij. Ad id autem & Scholæ pertinent, in quibus doctrina Prophetica & Apostolica enarratur, & semper Ecclesijs adiunctæ fuerunt Scholæ ut homines docti testes & propagatores essent ueræ sententiæ. Quare exercitia & testimonia Scholastica non sunt abolenda.

Hortamur igitur omnes Academiæ ordines & auditores, ut die 7. Decembris conueniant in templo arcis, ubi decernetur gradus Doctorum Theologiæ quatuor reuerendis & pijs uiris, Magistris, D. Paulo Ebero Kittingensi Ecclesiæ nostræ Pastori, Cimbrio Erasmo Læto, Iohanni Coglero Quedelburgensi, & Paulo Crellio Islebiensi. Decet enim hæc nostra testimonia esse publica, & congressus ideo sint frequentiores, ut uota, & preces ibi coniungamus, ac simul Deum oremus, ut ministerium Euangelij seruet & defendat, regat studia, et tueatur Politias, quæ sunt hospitia Ecclesiæ & Scholarum, nec sinat fieri Politias

Politias nostras similes ethniciarũ, in quibus extincta luce grassantur diaboli. Hæc serio & magno animorum motu cogitemus, quoties in publicos congressus uenimus, & excusitemus corda ad ueram inuocationem & ad honesta officia, orantes Deum ne abijciat nos, sed adsit nobis, regat & seruet nos, ut quamuis νήπιοι μὴ θηλάζοντες laudes eius in tota æternitate sonemus. Dominica prima Aduentus Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Georgius Cracouius, I. V. Doctor.

CVM patriæ nomen cogitamus, simul intueamur mente dulcissimos parentes & maiores nostros, à quibus orti sumus, & quorum στοργὴ in illis nidulis magno labore educati, & eruditi sumus. Hæc qui non cogitant ingrati & scopulorum similes sunt. Sæpè igitur germaniam uniuersam singuli intueamur & uirtutem, & beneficia maiorum consideremus. Gens Boiorum Alpes, & utrumq; latus Italiæ, & Germaniæ partem tenuit, & sæpe defendit Italiam & Germaniam contra Hunnorum irruptiones.

Est

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000073

Est autem oppidum Tekendorff in Boiorum regione, in quo natus fuit Georgius Vrmuller, qui quanquàm in Academia Ingolstadiensi linguam Latinam & Græcam audiuit, tamen propter Ecclesiæ doctrinam huc accessit, & studiosè didicit ueram, & incorruptam Ecclesiæ doctrinam, & piè uixit. Morbus etiam diuturnus ei monitor fuit de adsidua Dei inuocatione. Sed tandem superato corpore à morbo ex hac Academia in cœlestem euocatus est, cum quidem quotidie se filio Dei uera inuocatione commendauerit. Nec dubitamus eum in eo numero esse, de quo dictum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur aũt Scholasticos ut hora tertia ad pias funeris ceremonias ante domum honesti ciuis VVerbick conueniant, ubi singuli sese, & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Datæ die 14. Decembris Anno 1559.

IN PRÆLECTIONEM HOMERI.

FOEdera cum Musis quondã Tyrinthius Heros
Dicitur alterna composuisse fide.
Vt miseras claua defenderet ille trinodi,
Hæ canerent rursum fortia facta ducum.
Tempore ab hoc stabiles seruant sua fœdera Musæ,
Victurisq; ducum uersibus acta canunt.

Sed fauor Heroum pars altera fœderis huius,
Hei mihi quam nostro tempore friget iners.
Vix duo sunt aut tres, quos tangat cura Dearum,
Quas fouet Aonij montis amica quies.
Hoc aliqua fuerat forsan ratione ferendum:
Altera Musarum est iusta querela magis.
De studijs titulos & nomina sacra professi,
Musarum à studijs corda aliena gerunt.
Dum sacros Vates, pulcramq; odêre Poësin,
Ipse pater passim spretus Homere iaces.
Da ueniam, è multis quicunq; es criminis insons,
Non faciunt tales carmina nostra reos.
Ignauos moneo metuant irata Dearum
Numina, ne iusto læsa dolore fremant.
Blandaq; subducant nostris è cœtibus ora,
Atq; alia quærant sub regione domos.
Barbaries solita est spretis succedere Musis,
Hæc pro contemtu pœna lucnda uenit.
Has ubi Religio comites amiserat olim,
Penè fuit turpi tota sepulta situ.
Hoc quicunq; malum uolet euitare, cauebit
Ne se contemnisentiat iste chorus.
Iste chorus, docta resonat qui carmina uocè,
Quos inter palmam laudis Homerus habet.
Huius ego librum quo solus it Hectora contra
Aiax, & ualido conserit hoste manus:

Occido

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000074

Occiduo cum ſe cõponet ueſper Olympo,
Pro captu, & ſolita ſedulitate legam:
Non operæ precium fuerit cognoſcere paruum,
Pugnantes Aiax atq; quid Hector agant.
Namq; quod è pugna dux ſaluus uterq; recedit,
Hoſtis & inuicto munus ab hoſte capit:
Admonet exemplum non tam certare cruore,
Quam uirtute bonos magnanimosq; duces.
Sic uicto nuper parcebas Carole Gallo,
Dum captum magni Regis honore colis.
Atq; ſuæ reddis matri, regnisq; paternis,
Hoc plus quam Gallum uincere penè fuit.
Pluribus hæc coràm, quæ nunc tetigiſſe ſat eſto,
Mæonides etiam talia plura dabit.
Huc Ades ô Graijs, Muſisq; addicta latinis
Atq; tuum ſtudium iunge, iuuenta, meo
Forſitan, iſta domi, mentis quibus ardua uis eſt,
Cogniſci proprio poſſe labore putant:
Σύντε δύ ἐρχομένω ſæpius omnia cedunt
Hoc quoq; qui monuit doctus Homerus erat.

Inchoabo ſeptimum librum ἰλιάδος de Aiacis & Hectoris Monomachia, iuuante Deo, die, hora, hoœq; ſolutis.

Petrus Vincentius
Vratislauienſis.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V.
Doctor &c.

QVID maius fieri aut cogitari potuit, quàm mitti ad redemptionem generis humani, non creatum Angelum, non uirum in humano genere præſtantem, ſed ipſum filium Dei æterni patris imaginẽ, qui et ſemper adſit Eccleſiæ, & in pectorib. inuocantũ eum, efficax ſit. Hoc ingens beneficium horribiliter ſpretum ab impijs, cogitare quotidie nos oportebat, maximè uero in hoc ipſo uenientis anni exordio, quo tempore & cecinerunt, & canunt caſti Angeli Dei, gloriam Deo in excelſis, & pacem hominibus in terra. Hæc cum agmine caſto Angelorum grati canere debebamus, & petere ut nos maſſæ ſuæ filius Dei inſertos, faceret Palmites ſuos. Sed proh dolor impietas, ingratitudo, cœcitas animorum in multis tanta eſt, ut nunc furioſius in cædes, & in tetra ſcelera ruant, quàm alias. Et ruunt illi cum ſua pernicie, non Angelorum caſtorum audientes carmen, pacem hominibus optantium, ſed furialibus diabolorum incitati ſtimulis, ut ſibi pœnas accerſant. Heſterna nocte multi cum armis uagati magnos tumultus excitarunt. Quare ſeueriſſimè

rißime præcipimus, ut modesti & tranquilli sitis, et in festis præsertim cogitatione de mirando fœdere diuinæ & humanæ naturæ in Domino nostro Iesu Christo, uos reprimatis, cum quidem uideatis uos infœliciter præliari. Sitis memores dicti Pindarici: Ἔα μαχαὰν, ἔα πόλεμον χωρὶς θεοῦ. Toties exempla uobis ostendunt uocem filij Dei uerißimam esse, Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Executor est Deus iustus iudex suæ sententiæ, etiam cum Magistratus non possunt sontes ad pœnam retrahere. Sed tamen quantum Deus nobis concedet, nostrum officium quoq; facturi sumus, & reprimemus & puniemus turbulentos, qui uelut agitati à diabolis ostendunt suam impietatem, & ingratitudinem erga filium Dei, & impediunt multorum piorum senum, & adolescentum inuocationem. Precamur autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς, qui miranda sapientia, & bonitate adsumpsit humanam naturam, ut nobis opitularetur, & æternam Ecclesiam colligeret, & est Emanuel, ut nos protegat & gubernet. Datæ die 17. Decembris Anno 1559.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V. Doctor.

ANnus hic, Dei beneficio, est 58. ab initio huius Academiæ, quæ inchoata est, Deo iuuante, Anno 1502. Etsi autem Dux Saxoniæ Fridericus, suo iudicio doctrinas amauit, & propagari uoluit, & Academiam constitui decreuit: tamen eam ad rem in consilium adhibuit multos excellentes eruditione, uirtute, & sapientia, doctorem Theologiæ, Iohannem Staupicium uirum nobilem, & multis principibus carum, Doctorem Iuris Mogenhouer, & Doctorem Iohannem Mellerstadium, et alios uiros nobilitate, uirtute, & sapientia præstantes. Sed propter artem Medicam familiarißimus fuit Duci Friderico Doctor Mellerstadius, qui & comes eius fuit in itinere Syriaco: Is primus Rector in hac Academia fuit, et cum alijs officijs, tum etiam sumptibus multos Scholasticos adiuuit, & quantum potuit doctrinarum studia excitauit, Didicerat Mathemata, & artem medicam, & has optimas doctrinas transmitti ad posteritatem uoluit. Ac de consilijs ipsius in arte medica commemorare multa possemus. Sed hoc unum nunc recitabo.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000076

In Insula Rhodo simul in balneum accesserant in æstu Dux Saxoniæ Fridericus Elector, & Dux Bauariæ Christophorus. Id cum resciuisset Doctor Mellerstadius, mox ad balneum properat, iubet ut egrediantur, ne inflammata corpora pereant. Educit penè ui extractum ducem Fridericum, & eum arte regit in tanto æstu, alter periculum contemnit, sed intra triduum moritur.

Huius Doctoris Mellerstadij memoria nobis grata esse debet, & gratitudo erga familiam declaranda est. Cum igitur iam mortua sit honesta & pia matrona coniunx filij fratris, hortamur Scholasticos, ut hora tertia ad pias funeris ceremonias ante ipsius ædes, non procul ab ædibus uenerandi uiri Magistri Sebastiani Froschelij conueniant, & ibi singuli sese, & Ecclesiam, & hanc Academiam Deo pia precatione commendent. Datæ die 19. Decembris Anno 1559.

AD CHRISTIANVM PONTANVM VINARIENSIVM

Principum ducum Saxoniæ &c.
Cancellarium.

NEstoris eloquium uicit pater atq; Periclis
Sedarunt motus qui populi atq; ducum.
Adseruit

Adseruit Christi causam sed lingua parentis
Aeternas laudes exposuitq; Dei.
Non igitur uenient nobis obliuia patris
Virtutem ipsius secla futura scient.
Ipse patrocinio texit me sæpè fideli
Nunc commendatum me cupio esse tibi.

Philippus Melanth.

INITIVM ANNI 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Georgius Cracouius, I. V.
Doctor.

O Deus, ætherea demissum credimus arce
Gnatum, qui λόγος est effigiesq; tua.
Qui genus humanum ne prorsus morte periret
Assumpsit nostræ debile carnis opus.
Vt fragili indutus massa pro crimine nostro
Solueret offenso debita λύτρα patri.

In ſertisq; tuo χορίω dulciſſime Siloh,
Aeternæ uitæ gaudia uera dares.
Gloria ſumme pater tibi ſit pro munere tanto,
Ecce tui gnati maſſa redempta ſumus.
Sicq; adeo ex ipſo dilectum creſcimus agmen
In quo perpetuo ſis, habitesq; Deus.
O miranda Dei ſapientia nullius unquam
Eloquio linguæ res celebranda ſatis.
Talia quis noſtro poterit comprendere ſenſu?
Quid gnati potuit maius amore dari?
Sed te gnate Dei uotis ardentibus oro,
Confirma in noſtro pectore, daq; fidem.
Nemo patrem nouit niſi tu, de lumine lumen,
Ergo da clara luce uidere patrem,
Nec ſemel unitam tibi rurſus deſere maſſam
In noſtris uiuens mentibus eſto λόγος.
Te contra ſemper ſunt orti Chriſte furores
Horrenda & ſcitu dogmata tetra mali.
Quam latè Mahomet dirum caput extulit orco,
Quim iacit in anas probra nefanda tuas.
Ac trahit innumeras Eccleſia parua ruinas
Nunc quoq; diuerſis undiq; mota malis.
Inuicta nos gnate Dei tu protege dextra,
Emanuel populi ſis, maneasq; tui.
Serua relliquias paruas, paruamq; Sareptam,
Serua naturæ uiſcera iuncta tuæ.

Talia

Talia nobiſcum repetat ſtudioſa iuuentus
Naſcenti Chriſto uota preceſq; ferens.
Iamq; noui Regis cunas accedat, & Aram,
Debita Doctori munera detq; ſuo.
Grata miniſterij mens ut teſtetur amorem
Exemplum reliquos eruditatq; pios,
Orgia ueſani nec turpia ducite Bacchi,
Cura ſit æterno diſcere grata Deo.

Anno 1560.

Iohannes Ferinarius.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACAdemia VVitebergenſi Magiſter Matthias Gunderam Cranachenſis, Lectori S.

IAM cadit Aegoceros uenturi nuncius anni,
Vrnaque Brumales humida fundit aquas.
Iam canent Syluæ, duratag; frigore tellus
Non aliqua ornati gaudia ueris habet.
Dumq; redit Phœbus primũ reuolutus ad ortum
Qui fuit annus abeſt, qui uenit annus adeſt.
Ipſe Deus ſapiens uerbo qui cuncta creauit
Et certis annum legibus ire iubet,

Hunc mundo adducat fauſtum fœlicibus horis,
Et mala Teutonicis triſtia pellat agris.
Nuncia ſunt pœnæ non tantum ſydera noſtræ
Infauſto cœli conſpicienda loco.
Sed magis humanæ mentis ſcelerata cupido
Ipſa ſuo capiti ſæua pericla trahens.
Dum furor indomitus peruerſa in crimina mentis
Incumbens, ſceleris dat documenta ſui.
Doctorum rabies ſpargit mala dogmata præceps
Ambitio quorum liuida corda regit.
Vtq; ſibi intentant Cadmæi uulnera fratres:
Sic perit alterno uulnere dira cohors.
Et quamuis monita exemplo ſit Gallia triſti
Iu curſu quando proximus annus erat,
Vt pacem coleret, fortunæ cedere docta,
Et timida abijceret, Martia tela manu:
Attamen in Scottos ſurgit, flauosq; Britannos,
Et delere parat ſemina ſancta Dei.
Hos inter motus & ſæua pericla petamus,
Vt nos defendat filius ipſe DEI.
Ceu quondam rubro ſuſpendit in æquore fluctus
Et ſua traduxit uindice caſtra manu.
Dumq; ſubit Pharius ueſtigia ſicca Tyrannus
Mergitur, & refluo flumine potat aquas.
Sic furioſa cohors damnis incurrit acerbis
Et miſero aduerſo numine uicta perit.

Cultores

Cultores autem doctrinæ præcipit eſſe
Quos regni ſocios gaudet habere DEVS.
Quæ magis eſt curæ, cum ſunt examina crebra,
Quæ ſtudijs animos inuigilare iubent.
Ergo cenſuræ, qui ſe ſubmittere noſtræ
Cogitat, is ſua det nomina more Scholæ.
Non illi ſtudium noſtrum nec amica uoluntas,
Deerit, ingenijs officioſa bonis.

Calendis Ianuarij, Anno Chriſti 1560.
qui eſt à condito mundo 5522. annus.

Franciſcus Raphaël.

1. Παραλειπομένων 17.

וראיתני בהור האדם המעלה
יהוה אלהים׃

Et aſpicis me in forma hominis, qui es in excelſis,
ô IEHOVA DEVS,

PARAPHRASIS
PHILIPPI MELANTHONIS.

In forma quod nos hominis placidiſſime Chriſte
Aſpicis, & tamen es conditor ipſe Deus.

Et noſtram formam miſeratus crimina deles,
Et uitæ æternæ gaudia uera dabis.
Hæc grati canimus tua dona, ſimulq; precamur,
Tu nos ut doceas, luce regasq; tua.

EPITAPHIVM
CLARISSIMI VIRI, FRANCISCI
Burghardi Vimarienſis, piè defuncti
VVimariæ Anno 1560.
die 15. Ianuarij.

TV quoq; præclarè meritus Franciſce fuiſti,
Digne inter magnos nomen habere uiros.
Mite tibi ingenium, promptumq;, & ad omnia fœ-
Ciuili poterant quæ ratione geri. (lix,
A pueris Muſas dulces ſectatus, & artes,
A ueris poteras nomen habere bonis.
Dum ſtudia Aonidum manſueta profeſſus ad Al-
Et colis, et lingua doctu: utraq; doces. (bim,
Sed tua ſplendentem te ſors tranſuexit in aulam
Eſſet ut officij publica cauſa tui.
Dum regis hic doctis diuerſa negocia ſcriptis,
Et patriam ſtudio conſilijsq; iuuas.
Dum peragras urbes, conuentus, atria Regum,
Eſt tua Saxoniæ cura probata Duci.
Cura boni atq; æqui, paciſq; miniſtra togatæ,
Et puræ pariter religionis amans

Tandem

Tandem onus excipiens ſenij, feſſusq; labore
In gremium Chriſti nos redimentis, abis.
Hunc moriens precibus fideiq; ardore uocaſti
Hic datus eſt uitæ portus & aura tuæ.

Iohannes Stigelius.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS
Georgius Cracouius I. V.
Doctor.

SCitis in Pſalmo ſcriptum eſſe: Elegi habitare in limine domus Dei potius, quàm in Palatijs Impiorum. Sic maluit ædituus Eccleſiæ noſtræ, Hermannus Rubinus, natus in urbe VVeſtwaliæ, in cœtu piorum, quanquam in officio tenui uiuere, quàm in patria, aut alibi inter hoſtes filij Dei, opes aut uoluptates quærere. Ac re uera, quanquàm fuit pauper, beatior fuit, Rege Gallico recens mortuo. Vixit enim in uera inuocatione Dei. Et nunc ſe erectus fide, ſæpe commendauit filio Dei, hac uoce: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Item: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit &c. Talis exitus in hac breuitate uitæ, maius bonum eſt quàm opulenta imperia tenere, cum defenſione impietatis. Cum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000080

tis. Cum igitur in uita, & in officio eius pietas conſpecta ſit, hortamur Scholaſticos, ut hora prima hodie, ad funeris ceremonias conueniant, ubi ſinguli et ſeſe, & Eccleſiã, Deo pia precatione commendent. Die 27. Ianuarij Anno 1560.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS MEdicæ Melchior Fendius, Doctor artis Medicæ.

VAlde prodeſt ad confirmandam adſenſionem de prouidentia, ſæpe multumq; conſiderare illuſtria Dei ueſtigia, in plurimis naturæ partibus, ut in mentibus noticias diſcernentes recta & non recta in cordibus, uindicem conſcientiam, in toto ædificio humani corporis miranda artem, in motibus cœleſtibus certiſſimũ ordinem, in plantis diſcrimina uiriũ, quarũ aliæ ſunt alimenta, aliæ ſunt remedia, & quidem aliæ alijs membris opem ferunt, & alios morbos depellunt. Hæc conſideratio teſtimoniorum de præſentia Dei in natura, bonis mentibus ualde utilis eſt, quæ quidem eò crebrior eſſe debet, ut nos ad gratiarum actionem exuſcitet, & ſæpè noſtræ mentes exuſcitatæ his mirandis ſpectaculis, hanc confeſſionem edunt: Verè eſt Deus conditor, & conſeruator naturæ,

naturæ, cui gratias ago pro omnibus beneficijs, quem & filium dediſſe Redemptorem credo, quem oro ut nos ſeruet, gubernet, & protegat. Doctrina igitur Medicorum amanda eſt, quæ quaſi pictura eſt opificij mundi. Deinde, et propter utilitatem corporum noſtrorũ, quæ manifeſta eſt, doctrinam, & medicos diligamus, eaq; in re uoluntatem Dei, & utilitatem noſtram intueamur. Fuit hæc patrum, Nohæ, Abrahæ, Eſaiæ, & ſimilium ſapientia, ad ueri Dei agnitionem, & inuocationem, quam ex uoce patefacta didicerant, adiungere naturæ conſiderationem, & medicationes. Huius ſapientiæ reliquias, Dei beneficio, poſſident nunc quoq; pij Medici, quam contemnere non ſolum barbaries eſt: ſed multo magis furor, & impietas, & contemptus Dei conditoris. Nam & barbari remedia multa norunt, & arte eis utuntur, & multæ res ſalutares, quibus carere non poſſumus, ex ultima barbarie ad nos mittuntur, ut Saccarum, Zinziber, Piper, Rha Barbarum, & alia multa. Vt igitur ſtudium ueſtrum, erga doctrinam, & artem medicam, & erga ipſos Medicos declaretis, petimus, ut die proximo Ianuarij triceſimo conueniatis ad publicum congreſſum Collegij noſtri, in quo honeſtiſſimo gradu Doctoris artis Medicæ ornabitur uir clariſſimus Magiſter Caſpar Peucerus, qui in hac Academia utiliter

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000081

liter docuit Mathemata, & Dei beneficio multis fœliciter mederi solet. Gratum esse bonis debet, in talibus congressibus, & audire multa, quæ ex doctrinarũ fontibus recitantur, & uidere multos uiros hospites, coniunctionẽ inter sese, propter utilitatem publicam, tuentes, quorum iudicia in doctrinis sequantur. Cum talibus etiam preces coniungere singuli debent, ut filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis, & resuscitatus, sedens ad dextram æterni patris, ac dona largiens hominibus, seruet, gubernet, & protegat harum regionum Ecclesias, & Academias, ut semper inter nos multi sint, rectè celebrantes, & inuocantes uerum Deum, et celebraturi eum in tota æternitate, in qua Deus erit omnia omnibus beatis, cui sit laus & gloria. Die 28. Ianuarij Anno 1560.

IN LIBELLVM GALENI, QVI NOMINATVR οὐσασις ἰατρικῆς.

CVM ordine, in tota hac rerum uniuersitate nihil sit præstantius, nihil pulcrius, nihil deniq; utilius, Ideo uetres artes, ac disciplinas omnes ordine, & tradendas, & cognoscendas esse uoluerunt. Maximè uero uis ordinis, in arte Medica conspicitur, quæ, ut sine eo cognitu est difficilima, ac prorsus est impossibile, ut omnes eius partes, & præcepta sine ordine certo, aut cognosci, aut memoria comprehendi possint: Ita eadem ars ordine certo, ac methodo adhibita, mediocri studio, & labore, à non stupido facile addisci potest.

Quare cum hactenus (Dei beneficio) exposuerim libellum Galeni τέχνης ἰατρικῆς, nunc Deo auxiliante constitui explicare publice libellum, qui inscribitur οὐσασις ἰατρικῆς, in quo Galenus breuissime totam artem tradit ordine analytico. Cuius tum ordinis, tum Libelli ipsius dignitas, ac præstantia, non est, quod hic à me explicari, aut possit, aut debeat. Adhortor autem studiosos artis Medicæ, ut eum libellum accuratè cognoscant, & memoria comprehendant, quorum uoluntati, ac studijs, meam ego fidem, & labores, in ipsa expositione deesse nolo. Auspicabor cras hora et loco consueto ultimo Ianuarij Anno 1560.

Iohannes Hermannus D.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V. Doctor &c.

ETsi

ETſi mors terribile malum eſt: tamen hi, qui norunt filium Dei, & eius beneficia, multas magnas cauſas habent, cur iter illud ad cœleſtem Eccleſiam alacrius ingrediantur. Præcipua uero cauſa eſt, quod, ut qui nocte iter facit, expetit Solis ortum, ſic nos ex hac caligine, educi in lucem cœleſtem optamus, nec quidquam dulcius cogitari poteſt, quàm conſpectus Dei, in quo miranda eius ſapientia fruemur, uidebimus qualis ſit æternus pater, qualis imago filius, qualis copulatio diuinæ & humanæ naturæ, de qua cauſa dicit Paulus: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

Secunda cauſa eſt, quod pij libenter tetrum onus dubitationum, & ſordes peccati quod reliquum eſt, in hac impura maſſa, deponunt & optant ſe totos, & ſemper ardere dilectione Dei, & lætitia in Deo, de qua cauſa dicit Paulus in 2. Epiſtola ad Corinthios: Donec ſumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati. Cæteras cauſas leuiores, hic commemorare longum eſſet. Deceſſit autem hac nocte, uir honeſtus, in uera inuocatione Dei, in agnitione, & fiducia Domini noſtri Ieſu Chriſti, Michael Mulner, adfinis honeſti ſenis, Baſilij Matthæi. Cum autem diu utiliter huic oppido ſeruierit, grata ſit nobis ipſius recordatio, et uitæ integritas fuit exemplum honeſtis hominibus, qui

bus, qui eum norunt. Hortamur igitur Scholaſticos, ut ad pias funeris ceremonias conueniant, iam hora tertia, in uico, ubi eſt domus Academiæ, quæ eſt auditorium Iuriſconſultorum, Ibi ſeſe, & Eccleſiam, & rempublicam ſinguli filio Dei pia precatione commendent. Datæ 7. Februarij Anno 1560.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, Magiſter Matthias Gunderam Cranachenſis.

ROmæ, poſtquam tandem nouus Pontifex factus eſt, is primam hanc deliberationem inſtituit, minitantem Europæ nouas & ingentes confuſiones, & uaſtationes: Iuſtè ne Pontifex proximus ante hunc recuſauerit, ſe confirmaturum eſſe Ferdinandi electionem.

Qui confirmationem impediunt, hanc cauſam oſtendunt: quia Ferdinandus promiſerit pacem noſtris Eccleſijs.

Huic argumento Electores hoc opponunt: Iniuſtum eſſe, ante legitimam Synodum, nolle pacem concedere.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000083

Cum autem ad Synodum prouocatio facta sit, debere Pontificem prius instituere ueram & non Sophisticam cognitionem. Non expulit Constantinus Arrianos Episcopos ex suis Ecclesijs, ante Synodum Nicenam, Sed postea processit ad executionem. Non à pœna iudicium inchoandũ est, sed cognitio antecedat, ut uox diuina præcipit. Hæc eo commemoramus, ut cũ ad confusiones generis humani cæteras, quæ maximæ sunt, etiam accedere noua pericula cogitabitis, crescant in animis, & inuocatio, & cura discendi. Prodest ad pacem, quod sapientes principes, uera doctrina præmuniti, intelligunt Pontifices iniusta bella moliri, Sicut olim contra nostros Imperatores, ceu furiæ iniusta bella accenderunt. Vt igitur quæ, & ubi sit uera Ecclesia sciamus, maiore studio limpidi fontes doctrinarum hauriendi sunt.

Conducunt autem discentibus examina, & cogitationum collatio. Quare diligenter petimus, ut Doctores & Magistri hodie hora secunda ad publicum examen conueniant. Die 8. Februarij Anno 1560.

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS
Georgius Cracouius I. V.
Doctor.

TEneamus has ueras consolationes in tantis uitæ, quanquam fugacissimæ, calamitatibus, & aduersus mortem, quod filius Dei assumpta massa nostri generis nos sibi adiungit, & nobis tanquam suraulis uerè reddit uitam, & quidem multo dulciorem. Nec existimemus nos casu & tantum ad miserias conditos esse. Etsi autem hanc consolationem homines ἀθεοι aspernantur, tamen pij agnoscunt ueram & efficacem esse, & Deo gratias agunt, quod se patefecit, & quod filium misit, qui uitam redderet, quam nulla creatura, non angeli, non homines reddere poterant. Ideo semper in conspectu sit Dauidis confessio, et gratiarum actio, qui inquit: Aspicis me in forma hominis, qui es in excelsis IEHOVA Deus, quæ uerba, ut sint dolescentibus magis familiaria, his uersibus reddita sunt.

In forma quod nos hominis mitissime Christe
Aspicis, & tamen es conditor ipse Deus.
Et nostram formam miratus crimina deles,
Et uitæ æternæ gaudia uera dabis,
Dicimus & grates, & tota mente precamur,
Tu nos ut doceas luce regasq; tua.

Hunc filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, adolescens nobilis Timotheus natus in familia equestri inclytæ gentis Pomeranicæ, cuius

familiæ nomen est Brucker bey dem frischen Haf inter Gryphesw aldium & Stetinum, & in hac uita agnouit, & rectè ueneratus est, fuitq; uerè Τιμόθεος, & nunc coram cernit, & in Academia lætus ei gratias agit, & eius sapientia fruitur, cuius prima elementa in hac uita didicit. Nam ad Iuris studium adiunxit Ecclesiæ doctrinam, & ueri Dei inuocationem, & honestos mores, qui in eo regebantur, non solum naturæ moderatione, quanquã et hæc eximia erat, Sed etiam à filio Dei luce Euangelij, & Spiritu sancto. Cumq; paulatim corpus φθίσει tabesieret, assiduè se filio Dei commendauit. Quare non dubitamus eum esse in numero illo, de quo scripum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora duodecima ad pios funeris ritus antæ ædes Viduæ Magistri Antonij VValteri conueniant, & ibi singuli sese, & Ecclesiam Deo commendent, & precentur, ut Deus multis bonis ingenijs concedat longiora uitæ spacia, ut seruire reipublicæ possint, Quod ueris gemitibus à Deo petimus. Anno 1560. Die 15. Februarij.

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS
Georgius Cracouius I. V.
Doctor &c.

ADfui-

ADfuimus apud reuerendum uirum, Doctorem Martinum Lutherum, in quodam eius agone difficili, in quo assidue miscebat inuocationi hoc dictum: Concluſit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Id dictum adolescens Noribergensis natus ex honestis parentibus Iohannes Crebs ante mortem inter assiduas precationes ad filium Dei sæpè repetiuit, ac adparuit ita erectum esse consolatione, ut senserit initia æterni gaudij in corde suo, sicut scriptum est: Verbo tuo uiuificasti me. Ac de matris honestißimæ matronæ Halleræ luctu magis angebatur, quam de sese. Petijtq; ei scribi consolationem, cui quidem præcipua consolatio esse debet, quod filij mores semper pij fuerunt, quodq; in hoc morbo & agone tam illustria testimonia gaudij cœlestis in eo conspecta sunt, crebra repetitio confessionis fidei, inuocatio, læta gratiarum actio pro omnibus beneficijs filij Dei, quæ omnia ostendunt pectus eius sensisse Arrabonem Spiritum sanctum. Quare non dubitamus eum in illo numero esse, de quo scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur autem Scholasticos ut ad pios funeris ritus hodie hora quarta ante ædes clarißimi uiri, Doctoris Andreæ VVolfij conueniant. Ibi singuli sese, & Ecclesiam Deo commendent, & precentur Deum, ut multis bonis ingenijs

tribuat longiora uitæ ſpacia, ut utiliter ſeruire Eccleſiæ & reipub. poßint. Anno 1560. Die 15. Februarij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, Georgius Cracouius, I. V. Doctor.

Optima quæq; prius manibus rapiuntur auaris, inquit Ouidius de morte Tibulli Poëtæ, quæ cò nobis in mentem ueniunt, quia hac nocte amiſimus uirum ingenio & uirtute præſtantem Vitum Bullinger Auguſtanum, qui ut à Poëtica prima ineunte ætate, cum adoleſcens in patria, & poſtea uicinis Scholis Ingolſtadio & Tubinga didicit, nequaquam alienus fuit: Sic maximè in hoc incubuit, ut paternas laudes referret. Fuit enim pater eius, ut ab illis qui utrunq; nouerunt, accepimus, Muſicus inſignis, & uerè is, de quo rectè dici potuiſſet, id, quod eſt apud Homerum.

Ἐπεὶ τώδε καλὸν ἀκούε μὲν ἔστιν ἀειδοῦ
Τοιοῦδ', οἷος ὅδ' ἔστι θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν.

Cumq; hic natura & arte eſſet Muſicus, & patrem imitari conaretur, utiliter hic & alibi, multos

multos erudijt in hac arte, ob quam cauſam, & ipſi longius uitæ ſpacium optandum fuiſſet, nondum enim exceßit annum unum & triceſimum. Hortamur autem Scholaſticos ut ad pias funeris ceremonias iam hora quarta ante ædes honeſti ciuis Ambroſij Tuchſcherers habitantis non procul à foro conueniant, & nobiſcum huius uitæ inconſtantiam & fragilitatem ueris gemitibus deplorent, Præſertim cum & tempus nos commonefaciat de publico luctu & dolore, quem ex obitu reuerendißimi patris, D. Doct. Martini Lutheri ante annos 14. cepimus, qui itidem 18. huius menſis Februarij ex hac mortali uita in cœleſtem & æternam Scholam ſublatus eſt.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Georgius Cracouius I. V. Doctor.

HOC anno 1560. poſtquam filius Dei natus eſt ex uirgine, Annus eſt à creatione generis humani, & lapſu primorum parentum 5522. Ac in ueris initia inciderunt hæ res maximæ, Creatio mundi & generis humani, lapſus primorum parentum, patefactio promißionis de ſemine calcaturo Serpentem, Deinde

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000086

Eductio populi ex Aegypto, Transitus Iordanis duce Iosua. Et ut consentaneum est, interitus Abel, oblatio Isaac, emersio Ionæ ex Balæna & alia miranda opera Dei, quæ non recitantur in historijs quæ extant. De Iohanne Baptista expresse scribitur interfectũ eum esse in Pascate præcedente mortem Christi. Deniq; hoc anni tempore filium Dei cruci affixum esse certissimum est. Et antecesserunt, ac secuta sunt plurima testimonia Dei, Resuscitatio Lazari, & alia miracula, Resurrectio ipsius Christi, & multorum Sanctorum resuscitatio, terræ motus, Scopulorum fissuræ, Tenebræ Solis contra naturæ ordinẽ. Mariæ Sororis luctus ineffabilis. Hæc cum fiunt in ecclesia, quid fit interea eo ipso tempore in uere ab impia multitudine? Bachanalia in magna parte generis humani in Europa, & in Asia, & Romæ Lupercalia. His ludis diaboli deridebant opera Dei in Ecclesia, Incitabant homines impios ad rapiendas alienas coniuges, filias, & filios, edebantur exempla obscœna multiplicia. Ex illo Ethnico more retentæ sunt discursationes laruatorum initio ueris. Iam considerata antithesi cogitent omnes nostri auditores, an malint hoc tempore cum uera Ecclesia considerare miranda Dei opera, ac præsertim mortem filij Dei, an uero imitari tetra exempla ueterum Bachanaliorum & Lupercalium, præsertim hoc tempore,

tempore, cum uident omnes pios in magno luctu esse etiam propter Ecclesiarum dissidia, & propter supplicia, quibus in Gallia, Hispania, & alibi homines innocentes propter ueram Dei inuocationem crudelissimè interficiuntur. Sæuicia enim exercetur similis illi, quam in Africa exercuerunt Ariani: Nudatæ matronæ & uirgines supra rogos suspenduntur, & deinde ustulatæ in rogos deijciuntur, præciduntur linguæ, ne sonare confessionem possint. Sunt autem multo duriores illis scopulis, qui tempore mortis Christi dissilierunt, qui nec de filij Dei doloribus, nec de causis sacrificij ipsius filij Dei cogitant, nec adficiuntur dolore propter calamitates Ecclesiæ huius temporis. Bachanalia etiam agitant in tristissimo luctu Angelorum & piorum hominum. Ostendat autem nostros dolores modestia in moribus conueniens bonis mentibus, Et excitentur animi ad precationem, sicut filius Dei inquit: Orate ne intretis in tentationem. Nec dubitamus gratam esse hanc nostram commonefactionem pijs & modestis, qui suo consilio libenter uitant mala exempla. Quia autem ad officium nostrum pertinet, quantum possumus cohercere etiam eos, qui praua consuetudine delectantur, sceuere prohibemus laruatorum discursationes diurnas & nocturnas, & ludos mussitationum, qui etiam insidiarum speciem habent. Item, gestationes

armorum. Deniq; præcipimus, ut his diebus eo ſtatis tranquilliores, quia hac iter facient matronæ & uiri præcipuæ nobilitatis. Horum oculos & animos offendere barbaricis tumultibus aut uociferationibus petulantia eſt, pugnans cum iure hoſpitij, & alienans uoluntates honeſtorum hominum à toto cœtu docentium & diſcentium. Eſt autem & hoc diuintus mandatum, ut ſcandala uitemus. Quare & ſæuere puniemus eos, qui hoc edictum uiolant. Intelligimus etiam multos uagari inter Scholaſticos, qui ut eludant autoritatem noſtram, non dederunt nomina Rectori, nec obedientiam promiſerunt. Ea res confirmat multorum contumaciam. Ideo præcipimus, ut quicunq; huius Academiæ ſcholaſtici nominari uolũt, Rectori obedientiam promittant, quia nec iuſtum, nec tutum eſt ſine certis Magiſtratibus ulla in urbe commorari: Diſcite Leges & Politicum ordinem & intelligere & uenerari, ſicut Deus præcepit. Nec exiſtimate infinitatem licentiam, & feritatem Cyclopicam Deo placere, aut libertatem eſſe. Habet enim ſuas metas libertas, ut uerè inquit Plato: Vtraq; peßima: Immoderata libertas, et immoderata ſeruitus. Et utraq; optima, Moderata libertas, & moderata ſeruitus.

Die Februarij 27. Anno

1560.

DECA-

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACAdemia VVitebergenſi Magiſter Matthias Gunderam Cranachenſis,

S. D.

ETiam Euangelij lectio, quæ hodie recitatur, oſtendit in Eccleſia neceſſariam eße doctrinam. Quia filius Dei cum in mirando agone oppugnatur à Diabolo, munit & confirmat ſe ſcriptis ſententijs in Moſe, ac oſtendit nos quoq; in fluctibus dubitationum, et incendijs cupiditatum debere mentes, & corda regere teſtimonijs diuinis. Nec ignota ſunt hæc certamina pijs. Ac manifeſtum eſt Eccleſiam colligi, gigni, ali, & confirmari doctrina, nec Enthuſiaſmos ſine ſcripta doctrina quærendos eſſe. Et Paulus præcipiens: Vt opulenter habitet in nobis ſermo Chriſti, diſerte addit: Ἐν πάσῃ σοφίᾳ διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες. Vult ſapienter conſiderari dicta, non ut fanatici homines inſipienter ea conturbant, ut Anabaptiſtæ abutuntur dictis Euangelij ad euertendum Politicum ordinem.

Sunt igitur ſcripta Prophetica & Apoſtolica legenda, & collatio addenda eſt, & quærenda ac retinenda natiua ſententia, non ſunt miſcendæ ſordes falſarum opinionum. De hoc ſtudio et uſu ſcriptæ

ſcriptæ doctrinæ, inquit Salomon in Prouerbijs Capite 30. Omnis Sermo Dei purgatus Clypeus eſt ſperantibus iuxta ipſum: Vbi uerbum purgandi, metaphora eſt à metallorũ coctione ſumpta: Vult tanquam coctione ſeparari peregrinas opiniones, quod ſine ſtudio & collatione iudiciorum, & ueterum certaminum fieri non poteſt. Verba Salomonis hæc ſunt:

בל אמרת אלוה צרופה מגן הוא
לחסים בו.

Amemus igitur propter gloriam Dei, & propter noſtram ſalutem, ſtudia ueræ doctrinæ & honeſta exercitia Scholaſtica, Quam ad rem opus eſt etiam uoluntate tuendæ coniunctionis in Eccleſia. Quomodo enim doceri homines poſſunt, & quæ poteſt eſſe iudiciorum collatio ſine ſocietate? Et expetenda eſt collatio iudiciorum ueræ Eccleſiæ, non Epicureorum aut fanaticorum, qui, ut ſibi licentiam ſumant quidlibet fingendi, & eludant iudicia, furenter uociferantur Eccleſiam inuiſibilem eſſe. Cum filius Dei uelit Eccleſiæ iudicia intueri, & expreſſe ſcriptum ſit: Non deſerentes coniunctionem noſtram. Vult Deus Eccleſiam eſſe uiſibilem cœtum, uult conferri iudicia & precationes. Id ut faciatis, fideliter uos adhortamur. Vt igitur uoluntates ueſtras oſtendatis, nunc petimus, ut die Martij ſeptimo conueniatis ad renunciationem,

ciationem, in qua, quod fauſtum & fœlix ſit, decernetur gradus magiſterij Philoſophici his honeſtis uiris, quorum nomina hic ſunt adſcripta.

Precamur autem filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, aſtodem Eccleſiæ ſuæ et conſeruatorem ueræ doctrinæ, ut ſemper nos gubernet, & protegat, & efficiat ut ſemper unum in ipſo ſimus.

Te maneat ſemper ſeruante Eccleſia Chriſte,
Inſertoſq; ipſi nos tua dextra tegat.
Nec ſine te uox doctrinæ ſpargatur in auras
Sed ſimul ipſe Deus pectora noſtra trahas.

Dominica Inuocauit Anno 1560.

GEORGIVS MAIOR
THEOLOGIAE DOCTOR
ſtudioſis Theologiæ S. D.

SAEpe nobis omnibus in conſpectu eſſe debet doctrina heſterni Euangelij, de tribus tentationibus Chriſti et Eccleſiæ, ut contra aſſultus diaboli ſtare, et tantum hoſtem exemplo Chriſti uincere poſſimus. Multi ex noſtro ordine, qui cœleſtem

cœlestem doctrinam uel docent uel discunt, impelluntur à diabolo, ut propter inopiam, famem, pericula, & persecutiones ueræ doctrinæ studium, et confessionem negligant, aut abijciant. Huic tentationi opponatur dulcissima promissio, Non in solo pane uiuet homo, Sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Certo credamus Deo promittenti nobis uictum, & defensionem, & sciamus inuocantibus præsentem opitulaturum esse, sicuti inquit: Cum ipso sum, in tribulatione, eripiam eum &c. Nec deseramus stationem nostram in docendo, & discendo uerbo Dei, quod audis ideo procedere ex ore Dei, ut eo uerbo Deus te uiuificet, seruet & saluet. Secundo, Animaduertit tentator excellens ingenium, doctrinam et sapientiam summam esse in Christo, ideo ducit in sanctam ciuitatem, & statuit eum, ut summum doctorem, & caput Ecclesiæ, super pinnaculum templi, impellit & sollicitat Christum, ut fiducia sui ingenij, eruditionis, & sapientiæ, nouum doctrinæ genus, & Prophetarum doctrinam, & cultus à Deo mandatos, hactenus seruatos, excogitet, & instituat, Sicuti hoc tempore multos uidemus sedentes in templi pinnaculis fiducia sui ingenij, eruditionis, & sapientiæ corrumpere doctrinam, & noua dogmata spargere, Huic tentationi opponatur Regula: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Tertio,

Tertio, Quia uidet Diabolus multos flagrare cupiditate honorum, potentiæ, opum & uoluptatum, Ideo tales sollicitat, ut contempto uero Deo, uiuo, immortali & omnipotenti, & abiecta eius doctrina & confessione, prostrati se adorent, qua tentatione Staphylum, & multos similes superatos, uidemus nunc manifesta Idola colere, & contra conscientiam defendere. Hic Deus orandus est, ut talem Satanam spe magnarum opum, & honorum ad Idola sollicitantem, Deus abigat & perdat, cum scriptum sit: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.

Vt autem tanti hostis assultus, & astutias uincere possimus, necesse est exemplo Christi nos gladio spiritus, qui est uerbum Dei, cinctos esse, atq; instructos, Sicuti & Paulus in Epistola ad Colossenses scripta, præcipit: Sermo Christi inhabitet in uobis opulenter cum omni sapientia, Cuius Epistolæ enarrationem cum Dei beneficio priores præcedentes hactenus ordine sint explicatæ, cras hora tertia ordiemur.

STVDIO-

STVDIOSIS IVRIS CIVILIS.

SCimus & quotidie experimur singuli, quanta sit in communi societate legum, & ciuilis disciplinæ utilitas: Et quanquam hæc uitæ humanæ uincula, tanquam iniquum atq; iniustum carcerem multi auersentur atq; exoptiant, cogimur tamen fateri omnes, quidquid in his ærumnis, & tetra confusione generis humani reliquum adhuc est pacis & quietis publicæ, id benignitate nos diuina, & legum ciuilium habere beneficio: Harum enim seueritate atq; exemplis, nisi turbantium ordinem Politicum libido & licentia aliquo tantem modo coërceretur, sursum essent & deorsum furores Satanæ, sua impellentis organa rapturi omnia. Ac debebatis sanè uos, qui uestras olim operas Reipublicæ profuturas speratis, maiori assiduitate atq; contentione isti professioni incumbere hoc tempore, quo sub extremam mundi senectam turbari undiq; omnia, & statum publicum grauissimè affligi uidetis, uestris ut aliquando consilijs, ac prudentia communibus malis & morbis fœliciter ac dextrè mederi possitis. Est autem potissima totius Iuris Ciuilis pars illa, quæ sancit distinctionem dominiorum & possessionum, & hanc præcipuos neruos pacis publicæ continere, uerè

uerè dicere possumus. Ideoq; diligentius erit atq; accuratius pars ista à tyronibus Iuris cognoscenda. Imperator noster quasi ex professo hanc materiam tractat in secundo, & aliqua parte tertij Institutionum. Eius explicatio, postquam librum primum absoluimus, se nunc nobis offert. Idq; meis auditoribus significo, ut die Mercurij proxima horis nonis, Deo dante, ad meam habitationem conueniant.

Vitus Ortel Iunior D.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V. Doctor &c.

QVidam fractis foribus ante aggerem interdiu & noctu ascendunt in aggerem, & multa corrumpunt. Id fieri antea sæpè prohibuimus, et nunc rursus prohibemus, quia petulantia est contra iura hospicij, quæ certe indigna est honestis hominibus. Præstat Ecclesijs et studijs illustriss. Dux Saxoniæ, Elector &c. hospitalia beneficia, pro quibus gratitudo ei debetur, minimeq; decet eum petulanter irritare. Est & uoluntas præsidis optima erga Scholasticos, Sed si armis defendendus erit agger, non deerit suo offi-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000091

cio. Alibi Eccleſiæ tam multa triſtia patiuntur, ut recens decem Regij Satellites in Hiſpania propter piam confeßionem ſupplicijs adfecti ſint, Inquiſitores etiam, qui agnita ueritate conuerſi fuerant, cremati ſunt. Et quod miretur omnis poſteritas, Monachi etiam Caroli Imperatoris corpus conati ſunt effoſſo ſepulchro contumelia adficere, quam barbariem uix prohibere filius potuit. Vobis Deus mediocria Halcyonia tribuit, quibus piè & modeſtè uti uos decet. Datæ 10. Martij. Anno 1560.

ALIA.

APud ſanioris iudicij homines, Petrus Balardus non incelebris tempeſtate ſua Iuris Profeſſor, meretur ſuam excuſationem, quòd ingenue dixerit L. Quinq; pedum à ſe non intelligi. Is enim ſicut & alij non pauci ſui temporis commentatores, minime ſtudioſus fuit ueruſtiſſimarum legum 12. Tabularum. Maximè autem non ſatis conſiderauit decemuirorum prudentiam in quinq; pedum tuendis finibus, quos tanquam præfinitum ſpacium inter uicinorum ruſtica prædia (ut eò ire, agere, & aratrum etiam circumuertere ſine alterius incommodo uterq; Dominus poſſet) uſucapi olim licebat. Prorſus uero ignorauit apud Agennium Vrbicum uerba L. Quinq;

Quinq; pedum longè diffuſiora & pleniora extare. Itaq; maluit ipſe uel aliqua ſuæ æſtimationis iactura potius fateri ſuam ignorantiam in hac L. intelligenda: quàm cum Azone & Accurſio inepras & fabuloſas interpretationes, de quinq; pedum exceptione excogitare. Etſi autem Alciatus reprehendens Accurſij deliramentum nobis alium & nouum intellectum L. Quinq; pedum obtrudere eruditè conatus eſt, & affirmauit, quòd fiat olim duodecim tabulæ ſpecialiter uſucapionem intra quinq; pedes eſſe noluerint: ita nec hodie uſucapioni ſit locus, ut noua L. Quinq; pedum à uetere declaretur: tamen uerbum Submota, quo Theodoſius in hac ſua conſtitutione uſus eſt, præfert potius abolitionem, quàm ueteris Iuris cum noua hac lege declarationem ac confirmationem. Quare cum meum ocium literarium, quo nunc, Dei beneficio, hic fruor, ſtudioſis Iuris publicè etiam prodeſſe cupiam, ad diem Merarij hora nona in auditorio Iuriſperitorum, Deo adiuuante, breuem, et à Tribuniano conciſam Theodoſij conſtitutionem, de quinq; pedum præſcriptione, quæ ſemper exiſtimata eſt perdifficilis, explicaturus, & ueriorem ſenſum inueſtigaturus ſum. Quod ſtudioſis ſignificandum duxi.

Nicolaus Reinhold Doctor.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000092

IN LIBELLVM DE ANIMA.

SOlam Animæ cognitionem, ad ueram notitiam omnium rerum pertinere, ad eamq; magnum & admirabile habere momentum, ab Aristotele principe Philosophorum, ubi inquit: δοκεῖ δὲ καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν ἡ γνῶσις αὐτῆς μεγάλα συμβάλλεσθαι, uere pronunciatũ esse, manifestum est. Nulla enim Philosophiæ pars est, ad quã aditum Commentarius de anima non præstruat, & cui non sit quã commodissima. Quis porrò rerum naturalium, quis naturæ atq; mundi contemplationem consequi poterit? si ignorabitur ea natura, quæ uim habet cognoscendi omnia, quæ & in ratione & natura posita sunt. Virtutum præterea (quæ decora quædam ornamenta sunt animæ) cognitionem facilius adipiscimur, si animæ substantiam perspectam cognitamq; habeamus. Habet namq; hæc uim alteram, quæ circa actiones negociorum, & administrationem tota consumitur. Quo fit ut rerum omnium disciplinæ, animam uera cognitione stabiliant, & in dignitate collocent amplissima. Optimus siquidem opifex Deus animas ad intelligendum erigit, & tanquam ex imis tenebris suscitat, quo præstantissimæ animæ, in tanta illuuie, labeq;

labeq; corporis hoc diuino munere reficiantur. Quare nullus hæc admiranda munera, nisi animæ uim exploratam habuerit, penitus perdiscere potest. Est deinde scientia de anima, ob sui cuiusq; cognitionem utilissima ac præstantissima. Præcipitur enim ab Apolline Delphico, & publica ferè præconis uoce promulgatur, Nosce teipsum, quæ uox à Deo quoq; ipso pronunciata creditur: Proinde quasi animus ex sua cuiusq; cognitione, Naturalis uiuendi ratio statuenda uideatur. Quare cum Nosce teipsum dicitur, hoc dicitur: Nosce animum tuum. Nam propter animum homo est homo: Corpus autem quasi uas aut aliquod receptaculum animi: Ab animo etiam quid agitur, id agitur ab homine. Necessarium ergo esse arbitramur, ut quisq; & res alias & seipsum nosset, ante omnia animæ scientiam adipisci, & quænam sit illius natura dignoscere. Huius doctrinam (quam dominus Præceptor noster communis, D. Philippus satis perspicue, ac cum summa eruditionis laude in suo edito Commentario, conscripsit) etsi satis copiosè ac eruditè à uiris celeberrimæ huius Academiæ doctiss. & probatissimis tam publicè, quàm priuatim illustratam atq; enarratam esse norimus: constituimus tamen & nos hoc tempore in utilitatem quorundam, non ut doctiora & meliora afferamus, sed propter corporis solummodo, & par-

(Cum huius oculatiorem inquisitionem (quod ut diximus tantum uas, & ut ueteres loquuti sunt, quasi σῶμα est animæ) eundem commentarium D. Præceptoris in manus sumere. Atq; in eo, auxiliante Deo, pro tenuitate ingenij, et doctrinæ nostræ partes quaslibet fabricæ humanæ, cum breuissima textus explicatione, ita ut à quouis percipiatur, oculari demonstratione partim ἐν σκελέτῳ, partim ex assiccato cadauere Andreæ Vesalij typis, uiri in hac re sagacissimi, offerre atq; explanare conabimur. οἱ ὀφθαλμοὶ γὰρ (ut uerè dicitur) πίστωτερον τῶν ὠτων. Quæ occasio certe, non omnibus nec omni tempore conceditur. Cum igitur anima ex actionibus maximè cognoscatur, actiones uero intelligi non possint, nisi ὄργανα ostendantur, necessario partes corporis, & propter summam iucunditatem, ac multiplicem utilitatem, & ad sanitatis maximè conseruationem, primo omnium diligenter cognoscenda ueniunt. Quare si qui sunt ex studiosis, qui sperant se aliquem fructum (ut certe haud dubitandum) ex hoc meo qualicunq; conatu in hac doctrina explicanda & euoluenda reportare posse, his polliceor meum studium & fidelitatem, quam quisq; in docendo adhibere solet, ac debet, nullibi defuturam. Valete.

Iohannes Meier Cygneus.

DECA-

DECANVS COLLEGII DOCTORVM THEOLOGIAE in Academia VVitebergensi, Georgius Maior Theologiæ Doctor.

HOC anni tempus, quo filius Dei Dominus noster Iesus Christus pro nobis in cruce uictima factus est, commonefacere nos debebat, ut mentes ad cogitationem de miranda consilio redemptionis, & de magnitudine nostrorum peccatorum componeremus. At multi furentes helluantur, & postea inter se dimicant, ut Centauri, & Lapithæ, nec desinunt commonefacti uulneribus suis, sed bella sibi denunciant, et cumulant peccata, accendunt nationum odia, & abducunt alios modestiores à pia meditatione. Et quidem in aliquibus tanta insania est, ut cum dicitur, Fides ex auditu est, negent cogitationem ibi comprehendi.

Etsi autem ubiq; multæ pœnæ in conspectu sunt, tamen & cœlum aspiciendum erat, quod est ferreum, et siccitate sterilitatem minitatur. Hæc causa etiam mouere animos debebat, ut gementes mitigationem calamitatum peteremus.

Hanc querelam ut proponamus, iusto et paterno dolore mouemur, & hortamur omnes ad modestiã, et ad pias cogitationes. Agant Deo gra-

nas, quod filium nobis donauit, & filio ipsi, quod in sese deriuauit horrendam iram Dei, quæ in nos effundi debuerat. Precemur etiam ut nos doceat, & gubernet. Sciamus scriptum esse: Vbi habitabit Dominus, nisi in Spiritu contrito & tremente sermones meos.

Vult nos Deus sibi subiectos esse, uult nos non Titanum more aggestis montibus, id est, barbarica superbia bellum cœlo inferre. Si qui autem uelut Titanes has nostras admonitiones contemnunt, ibi procul hinc discedant ad illas furias, quæ confirmant petulantiam immanitate dogmatum, & morum.

Nos uero precamur Deum propter filium, ut inter nos semper Ecclesiam sibi colligat, & ei nos, familias nostras, & pios auditores inserat, & ueris gemitibus quotidie clamamus:

Te maneat semper seruante Ecclesia Christe,
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.
Nec sine te uox doctrinæ spargatur in auras,
Sed simul ipse Deus pectora nostra trahas.

Cum autem speremus labores nostros, ad quos uocati sumus, aliquibus prodesse, Deo iuuante, in docendis & commonefaciendis auditoribus officium nostrum facimus. Ideo & proximo die Martij

Martij 19. qui est dies cœnæ in Bethania, tribuemus testimonium publicum doctrinæ & piæ confessionis reuerendo uiro Magistro Dauidi Voit, eiq; decernemus gradū Doctorum in Theologia, ut cum ab illustrissimo principe Alberto Marchione, Duce Borussiæ, auius est excellens sapientia, & pietas, ad docendum in Academia Regiomontana uocatus sit, conspici possit, eum huius Ecclesiæ confessionem piè amplecti.

Ad eam testimonij publicationem iuuentutem uocamus, ut audiat seniorum commonefactiones, & nobiscum pia uota coniungat, ut filius Dei crucifixus, & resuscitatus, sedens ad dextram æterni patris, ac largiens dona hominibus, nos omnes gubernet, & protegat, & faciat nos σπέυη ἐ λέος, & organa salutaria nostris animabus & alijs. Die 17. Martij Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS
Georgius Cracouius I. V.
Doctor &c.

NON dubium est in natura humana sóφας, & opera Dei, & testimonia de Deo esse, ac sæpe in nostrorum filiorum &

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000095

filiorum & filiarum aduersitatibus hac consolatione nobis lenimus dolores. Cum σὺγλω in nobis sentimus, cogitamus ingentem amorem in Deo erga nos esse, cum tantus in nobis erga sobolem sit amor.

Cumq; sic natura condita sit, tamen quidam, Cynici reprehendunt scripta hîc edita, in quibus dictum est σοργην esse necessariam. Prorsus monstrosa est hæc subtilitas nostrorum aduersariorum. Nulla gens tam barbara est, quin sensu percipiat naturam sic conditam esse, ut sint in ea σοργαὶ. Quod igitur dolent parentes in mortæ filiorum & filiarum, pietas est: Sed uult Deus etiam eos moderari dolorem.

Hæc cogitent iam honestißimi homines, Iohannes Schrammius, & ipsius mater & coniunx mortuo Iohannis filio, & se consolentur dicto Christi: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis. Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora duodecima ad pias funeris ceremonias ante ædes Iohannis Schrammij conueniant, ibi singuli, & suam uitam, & Ecclesiam Deo pijs uotis commendent. Die 22. Martij Anno 1560.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V. Doctor.

CRas erit dies, quo ante annos 1526. filius Dei, Dominus noster Iesus Christus instituta cœna egressus est ad agonem, in quo prostratus, iacuit coram æterno patre, et sentiens iram Dei aduersus nostra peccata, sudauit sanguinem. Huius tanti doloris cogitatione moueamur, ut simus modesti, & cogitemus, non ideo filium Dei tantos dolores sustinuisse, ut nos petulanter in scelera ruamus, sed Deum horribiliter irasci peccatis hominum agnoscamus. Quantum etiam robur fuit, quod cum sanguis erumperet, tamen non subito extinctus est Christus? In nostris pauoribus refugit sanguis ad cor. In Christi doloribus tanti motus fuerunt cordis, ut sanguinem qui intro refugerat, rursus extra corpus extruserit. Tantũ in nullis alijs robur est. Et hos tantos dolores sustinuit filius Dei propter mea & tua peccata, & omnium aliorũ. In hac meditatione gratias ei agamus, & cum inuocemus, ut nos doceat & gubernet. Hæc cogitemus & iam in funere honesti uiri Georgij Reich, quod fiet hora quarta, ad quod ut conueniatis ante ædes ipsius, uos hortamur. Die 22. Martij Anno 1560.

IN

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000096

IN PRÆLECTONEM LOCORVM COMMVNIVM Philippi Melanthonis.

QVod in Symbolo profitemur, Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam, id toto pectore adfirmo, & amplector uniuersam doctrinam traditam in scriptis Propheticis & Apostolicis & in Symbolis, & filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis, & resuscitatum oro, ut me Spiritu suo sancto gubernet. Cum autem sciam uoce Euangelij colligi æternam Ecclesiam & non aliter, seruio in ministerio Euangelij in templo & in schola iuxta uocationem, & oro filium Dei, ut ipse sit efficax docentium uoce, Sicut scriptum est: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Nec profecto deterreor à docendo stolidis conuicijs fanaticorum hominum, qui dicunt nos esse Doctores literæ, se uero doctores Spiritus.

Etsi scimus sola litera seu sola uoce docentis sine Spiritu sancto non reddi uitam hominibus: tamen ministerium externum, & cogitationem literæ necessariam esse manifestum est, quia scriptum est: Fides ex auditu est. Ac magnum decus esse statuo, nos dici Doctores literæ, ut Paulus inquit: Ego

Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus incrementum dedit. Si Enthusiastici illi sine ministerio, sine uoce & cogitatione doctrinæ uolunt nasci Ecclesiam, prorsus Τετυφωμένοι sunt. Hinc est illa audacia fingendi monstrosa deliria: Omnia bona & mala fiunt necessario. Noua obedientia non est necessaria: Renati placent Deo etiam ruentes in scelera contra conscientiam. Lex diuina moralis non est immota sapientia in Deo. Hæc paradoxa sciunt grata esse suo theatro, quod uult laxari disciplinam ac reipsa delent literam, quæ est uox Dei scripta per Prophetas & Apostolos. Sciamus autem uelle Deum ut sonet in Ecclesia doctrina per Prophetas & Apostolos scripta, & studia amemus, & Deo gratias agamus, quod se immensa misericordia patefecit, non aspernemur filium Dei legatum proferentem Euangelium ex sinu æterni patris, & simul petamus, ut ipse sit efficax sua uoce, & confirmet quod in nobis operatus est. Cum igitur ad prælectionem delectus sim, Deo iuuante cras hora septima, in auditorio ueteris Collegij inchoabo repetitionem locorum Theologicorum, quæ est uelut κατήχησις, in qua prodest iunioribus quasi summam doctrinæ proponi. Anno 1560. Die 25. Martij quo die filius Dei Dominus noster IESVS CHRISTVS ante annos 1526. in cruce pro nobis uictimæ

uictima factus est, qui est יהוה צדקנו. Et scribitur eo die creatos esse Adam & Euam ante annos 5522.

LECTORI S.

NEcessaria est omnibus hæc uera & firmissima doctrina, & dulcissima consolatio, quòd impossibile est, Ecclesiam Dei eos cœtus esse, qui libros Propheticos & Apostolicos palàm abijciunt, aut qui pertinaciter manifestum articulum in libris Propheticis aut Apostolicis aut Symbolis traditum damnant, Sicut scriptum est ad Ephesios 2. Ecclesiam extructam esse supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Et in Psalmo dulcissimè dicitur: Benedicite Domino Deo de fontibus Israel. Rursus certissimum est in eo cœtu, qui scripta Prophetica & Apostolica legit, audit, discit & amplectitur, certò electos esse ad cœlestis Ecclesiæ societatem. Vt autem certitudo sit de sententia Propheticorum et Apostolicorum scriptorum, fontes noti sint. Quare linguarum cognitio Ebreæ & Græcæ in Ecclesia necessaria est, ut Doctores in suis mentibus certi sint, & ut alios confirmare possint. Quare optimo consilio institutum est, ut sint linguæ Ebreæ & Græcæ interpretes, & discant iuniores intelligere Prophetas natiua lingua loquentes. Nullius tanta eloquentia est, quæ exponere possit, quàm utilis & necessaria sit hæc diligentia Ecclesiæ publicè & priuatim.

Omnibus temporibus fanatici & Enthusiastici homines hoc μορμολύκειον induerunt, superbè despexerunt alios, qui iusserunt auditores studiosè discere doctrinam scriptam, & ei obtemperare. Et sese iactarunt esse πνευματικούς, quia non regerentur doctrina, sed suis adflatibus. Hæc Stenckfeldiana sunt, & prorsus ijsdem conuicijs Lutherum factio Monetarij ante annos quadraginta opprimere conabatur. Sed nos sciamus certissimè uoluntatem Dei esse, ut legamus, audiamus, discamus & amplectamur Prophetarũ et Apostolorum scripta, quam ad rem cognitione linguarum Ebreæ & Græcæ opus est. Hæc uera sunt, etiamsi fractus illabatur orbis. Imò fanatici illi subinde delebuntur, qui manifestæ ueritati Dei aduersantur. Nos interea (Deo iuuante) Prophetas & Apostolos fideliter enarrabimus, & Grammaticæ ac fideles literæ Doctores erimus, per quam Deus est efficax, iuxta dicta: Fides ex auditu est. Item: Deus dat incrementum.

Cùm

Cum igitur mihi, Deo uolente, mandata sit interpretatio linguæ Ebreæ, hodie, Deo iuuante, prælectionem inchoabo. Et ut linguæ & doctrinæ Christianæ exercitia studiosi habeant, Zachariæ scriptum enarrabo, quod de multis articulis Symboli testimonia dulcissima tradit. Quid dulcius est illo dicto: Tu in sanguine testamenti tui educes uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua: prorsus hoc dicit, quod Paulus inquit: Iustificati sanguine eius. Hoc testimonium opponendum est uniuerso Mahometico regno, & Pharisaicis Pontificum & Monachorum deliramentis, ut alacres accedamus ad filium Dei, sicut Paulus inquit: ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν πρόσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ. Sed hæc copiosius exponam in prælectionibus. Hodie autem, Deo iuuante, inchoabo prælectionem hora secunda.

Henricus Moller Hamburgensis.

AD LAVRENTIVM S. D.

CArissime Laurenti, uenit huc ex Berlino hic Polonus Sacrificulus, qui laborat morbo comitiali. Petit aliquot dierum hospitium in Nosocomio nostro, quod dabitur, dedi etiam ei dimidium Ioachimicum. Vestros etiam propter patriam aliquid conferre uelim, unde victum habeat aliquot diebus. Vult nos Deus hæc officia uerè egentibus præstare. Etiam sapiens antiquitas dixit: πρόχωρα τὰ δ' ἐρίννυες εἰσιν. Die 26. Martij Anno 1560.

Philippus Melanthon.

OMnibus Lecturis has literas. Multis seculis inde usq; à Vistula & Viadro usq; ad Albim permixtæ gentes fuerunt Henetæ & Teutonicæ, plerunq; fociæ, iunctæ connubijs, fœderibus, contractibus & multis officijs, interdum etiam, ut fit, inter se dimicarunt. Sed annis iam quingentis Poloni à nobis seuam barbariem Tartaricam assiduis bellis depulerunt. Id ingens beneficium agnoscamus, & gratitudinem erga eos publicè & priuatim ostendamus. Venit autem in has regiones mediationis causa ægrotus hic N. Polonus natus nō procul ab inclyta urbe Regia Cracouia. Rediturο autem in patriam dedi hoc testimonium, nos iudicare esse eum hominem modestum, & contra iniurias defendendum esse. Oro

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000099

igitur omnes, ut huic N. præstent hospitalia officia, quia Deus nobis hospites modestos commendat. Et erga hunc simus eò magis benefici, quia ægrotus est. Et simus memores huius dicti: ξένοις ἐπαρκῶν τῶν ἰσων τεύξη ποτὲ. Datæ Calendis Aprilis Anno 1560.

Philippus Melanthon.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V. Doctor.

NIhil in hac uita morte tristius ac horribilius est, quæ ut Moses inquit, hominem ad nihilum redigit, & pœna peccati est, quæ in omnes homines peruasit, cum omnes sint rei. Contra hunc tristissimum mortis terrorem dulcissima consolatio proposita est in hoc dicto Christi: Amen, Amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternũ, quæ semper in conspectu nobis esse debet. Affirmat filius Dei bis repetita adseueratione, seruantes sermonem suum, id est, eos omnes, qui fide non ficta incorruptum Euangelium amplectuntur, & propter filium Dei credunt se placere Deo, & habent

bent inchoatam obedientiam, non uisuros mortem in æternum. Tales enim etsi suorum corporum dissolutionem uideant: tamen non uident, nec sentiunt, nec gustant horribilem iram Dei, non uident, nec sentiunt damnationẽ, cum sint in Christo Iesu, cum non sint sub lege accusante & maledicente, sed sub gratia iustificante & saluante. In illis filius Dei per Spiritum sanctum accendit pacem, læticiam, & uitam æternam. Ideo placidissime ex hac uita sine mortis sensu emigrant, & in Domino obdormiunt, nec sic terroribus iræ Dei opprimuntur, ut Saul, et Iudas, Latomus, et Hoffmeisterus sunt oppressi. Hac consolatione contra mortis terrorẽ nos erigamus, et sustentemus, et diligamus, ac fide amplectamur uocem Euangelij incorruptã, certi non uisuros nos mortem. Intueamur etiam plurima exempla membrorũ Ecclesiæ nostræ. Vidcmus enim senes et adolescentes plurimos sine sensu mortis ex hac uita excedere, sicut hesterno die honestus et pius ciuis huius urbis, Aegidius Lener in assidua inuocatione filij Dei subinde hanc uocẽ repetens, et contra gustum mortis hac se erigens: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, Sed uitam æternam habeat: sine aliquo gustu mortis ex hac uita ad consortium cœleste euocatus est. Nam & frequenter audiuit conciones publicas, & sermo-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000100

monem Christi subinde meditans & repetens incorruptum fide & bona conscientia seruauit, & liberos à primis annis ad pietatem & honestam disciplinam assuefecit. Et quia annos circiter triginta plurimis studiosis fideliter in præbendo victu & hospitio, etiam cum detrimento suarum facultatum inseruiuit, & multis profuit, hortamur Scholasticos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora 12. ædes ipsius generi Magistri Danielis Hackeri vicinas ædibus clarissimi viri D. Ioachimi Bustij frequentes conueniant, et singuli sese, & Ecclesiam Deo piis precibus commendent. Ad hanc profectionem rectius est uos conuenire, quàm temulentos & rabiosos Bacchatim, aut Cyclopum & Centaurorum more noctu conuenire, & discurrere, & ad mutuam lanienam prouocare. Datæ VViteberge 2. Aprilis Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Georgius Cracouius I. V. Doctor &c.

VT moriente filio Dei in magno & acerbissimo luctu sunt Maria mater Christi, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria

Maria Magdalena, Apostoli, et reliqua Ecclesia, de quo in Zacharia scriptum est: Et aspicient in me, quem crucifixerunt, & plangent eum planctu, quasi unigenitum, & dolebunt super eum, ut lugere solent in morte primogeniti, quæ tristia & lugubria personarum illarum spectacula uniuersæ Ecclesiæ luctum omni tempore significant: Ita nunc extincto clarissimo & doctissimo uiro domino Andrea VVolfio, Iuris Doctore in luctu acerbissimo sunt familiæ honestissimæ, uxor, & parui liberi Doctoris Andreæ, & eius mater honestissima, quæ uerè, ut illa in Naim Vidua filium præstantem sapientia & eruditione, eumq; unicum morte nimis immatura amisit. Et socrui Viduæ reuerendi domini Pastoris, Doctoris Iohannis Bugenhagij ingentem dolorem allatum esse haud dubium est, cuius luctum propter mariti mortem recentem hoc ipso mense Aprili ante biennium, noua nunc mœstitia subsequitur, ac uix sopitum dolorem orbitas filiæ, nepotum & neptium denuo renouat. Nec putemus sine magno mœrore futurum esse uirum magnificum & clarissimum dominum Doctorum Georgium Cracouium huius Academiæ Rectorem, qui non solum affinem amicum, Sed etiam collegam & παρασάτην fidelissimum amisit. Harum honestissimarum familiarum luctu ac dolore affici nos iustissimum

est, ac ut Deus has & communes totius Ecclesiæ ærumnas leniat, toto pectore precemur. Etsi autem Doctori Andreæ nihil mali accidit: tamen nos amicum, collegam & inuocationis socium amisisse dolemus, Sed hac se consolatione mœstissima coniunx, mater, & socrus, & cæteræ matronæ erigent, quod hunc non amiserunt, sed ad Dominum præmiserunt, ut paulo post maiori cum lætitia denuo eum complectantur. Nec enim dubium est, eum in numero eorum esse, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Vt autem & Ecclesiam, & mœstissimas familias Deo precibus suis commendent Scholastici, & de suis etiam periculis cogitent, Hortamur eos, ut ad pias funeris ceremonias hora duodecima conueniant, & se non solum Doctoris Andreæ, Sed & reuerendi domini D. Ioannis Bugenhagij Pomerani Pastoris Ecclesiæ nostræ fidelissimi, memoriam uenerari testentur. Die 5. Aprilis. Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS
Georgius Cracouius I. V.
Doctor &c.

OEconomias necessarias esse in uita manifestum est, quæ ita sunt fœlices, cum Deus eas adiuuat, ut in Psalmo scriptum est: Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborat qui ædificat eam. Sæpe autem comperimus Oeconomias Collegij impediri, quod hospites aut non dant debita, aut intempestiue dant. Hæc uiolatio Iuris hospitij profecto displicet Deo. Ideo uos hortamur, ut iusticiam in Oeconomicis officijs præstetis, nec existimetis hanc obedientiam non necessariam esse, ut uociferantur homines furiosi contra Paulum, qui ad Thessalonicenses scribit: μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ διότι ἔκδικος ὁ κύριος περὶ πάντων τούτων. Fuit autem Oeconomus Collegij Georgius Stecher difficili tempore. Huic funus fiet hora quarta, ad id ut conuenientis ante ipsius ædes propè portam Orientalem, uos hortamur, ibi singuli & suam salutem, & publicam Deo pijs precibus commendent. Die 6. Aprilis Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,
Georgius Cracouius, I. V.
Doctor.

HOc anno 1560. Paſcha ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto, 3069. celebratur. Tot annos cũ filius Dei, qui tunc agno uescentes tecũ, ſeruauerit Eccleſiam ſuam, ſperemus & reliquias clementer ſeruaturum eſſe, donec palàm oſtendet ſe rurſus generi humano, & lætiſſimo triumpho uniuerſam Eccleſiã ad cœleſtia gaudia ducet, ubi erit Deus in beatis omnibus omnia. Etſi autem aſſidue in uita repetenda eſt cogitatio de diſtinctione Eccleſiæ & gentium, de mirandis operibus Dei, & de beneficijs filij Dei, & aſſidue excitanda eſt fides & gratiarum actio, tamen ſit intentio maior, cum tempus de tanto agone filij Dei nos admonet.

Tibi igitur omnipotens Deus, æterne pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, creator una cum filio tuo & Spiritu ſancto, gratias agimus, quod nos uocaſti ad ueræ Eccleſiæ ſocietatem, in qua & filium tuum rectè agnoſcimus, & beneficijs eius fruimur. Aliæ Sectæ furentes contumelijs adficiunt filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut ingens multitudo Mahometica, & perſonæ Chriſti diuinitatem detrahit, & audaciſſime tollit officium, negat iram Dei placari unius alicuius miſeri hominis cruore, deniq; tetra multa dicit. Pontificij hiſtoriam utcunq; retinent, ſed adplicationem

tionem obruunt, uetant te ſtatuere Chriſti obedientiam pro tuis peccatis pretium eſſe, te eſſe iuſtificatum ſanguine filij Dei. At uera Eccleſia retinet uocem Euangelij in Prophetícis & Apoſtolicis ſcriptis ſæpe repetitam, quæ de officio ſic nos docet, iuxta hæc uerba Pauli: Iuſtificati ſanguine ipſius. Item, Sanguis Ieſu Chriſti purificat nos ab omni peccato. Propter tuam obedientiam nobis donatam reputamur iuſti, & hæredes æternæ ſalutis, non propter ullam dignitatem noſtram. Pro hoc immenſo beneficio tibi omnipotens Deus, æterne pater, creator cum filio, & Spiritu ſancto gratias agimus. Tibi etiam fili Dei gratias agimus, quod factus es redemptor noſter, & ueris gemitibus precamur, ut lucem fidei uoce Euangelij tui & Spiritu ſancto accendas & augeas, nos infirmos geſtes, gubernes, protegas, & ſalues. Ad hæc beneficia danda ſcimus te reſuſcitatum eſſe, & ſedere ad dextram æterni patris, colligentem æternam Eccleſiam, ac dare dona hominibus. Hæc ſæpe iam cogitemus, & collectione inſignium teſtimoniorũ nos & confirmemus, & ad gratiarum actionem, et ad inuocationem excuſcitemus. Sic nos Paulus iubet ἑορτάζειν μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ, μηδὲ ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας, ἀλλὰ ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας. Iubet feſtum diem celebrare non fermento ueteri, id eſt,

non opinionibus, & adfectibus carnalibus. Sed azymis ſinceritatis, & ueritatis. Sint ueræ de Deo cogitationes, ſit inuocatio uera, ſint affectus ſinceri, εἰλικρινεῖς, id eſt, ſeiunctis lutulentis fecibus. Amemus Deum, & non dedecoremus eius gloriam ſcandalis, non anteferamus proprias cupiditates, ambitionem, odia, ueritati, & gloriæ Dei, non faciamus diſtractiones non neceſſarias, ſed ſanemus potius uulnera noſtra. Deniq; ſint pectora templa Dei, qui nequaquam inter furias habitat, quæ accendunt in atheis rabiem Sophiſticam, barbaricam crudelitatem, θεο μαχίας & alias peſtes.

Quare propter gloriam Dei & ſalutem ueſtram uos obteſtamur, ut gratitudinem ueſtram erga Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum modeſtia ueſtra, & inuocatione oſtendatis. Læti etiam confirmate uos ſpe æternæ ſalutis intuentes dulciſſimos congreſſus ſanctorum, quorum haud dubiè magnũ cœtum Chriſtus reuiuiſcens ſimul reſuſcitauit. Et conſentaneũ eſt ſæpe adſediſſe Heuã, Saram, & alias ſanctas matronas apud Mariam, & ei narraſſe ſuorum temporũ agonas, ærumnas, & liberationes, et Deo et huic filio gratias egiſſe. Illi dulciſſimi congreſſus quadraginta dierum, uerè fuerunt aurea ætas, in tota ſerie temporum, quæ antecedunt poſtremum triumphum Chriſti, in quo

quo uniuerſam Eccleſiam liberatam à peccato, & morte in cœleſtia gaudia ducet. Hanc auream ætatem optemus, & ſperemus talia cum Chriſto & patribus, & toto agmine cœleſti colloquia plena ueræ ſapientiæ, ad quæ tamen peruenire non poteſt, niſi hic elementa utcunq; diſcamus. Quare & doctrinæ exercitijs delectemur. Et ut oſtendatis uos reuerenter ſentire de doctrina, & uoce miniſterij Euangelici, adferant ſinguli ad aram in die feſto Paſchatos ſignificationem gratitudinis.

Hunc honeſtum morem ſcitis nos, & commonefactionis & exempli cauſa conſeruare, ut rudiores commonefiant de reuerentia debita miniſterio Euangelij. Datæ in Paſchate, Anni 1560. quod eſt ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto Paſcha 3069.

ALIA.

CArißimi auditores, in qua ſolicitudine, mœrore, & metu uerſemur, propter ægritudinem reuerendi Præceptoris, & patris noſtri, domini Philippi, non ignoratis, & haud dubie nobiſcum ſerio adficimini. Patienter etiam feretis, operas lectionum hoc Pomeridiano tempore à nobis omitti. Significare autem uobis hoc

hoc ideo uoluimus, ut sciretis morbum ita intendi, ut nisi Deus sua potentia naturam iuuerit, & sustentauerit dominum Præceptorem, uim morbi tolerare diu non ualiturum. Hortamur autẽ uos, ut nobiscum Deum ardenter inuocetis, ut miseram Ecclesiam, & in ea iuuentutem clementer respiciat, & ne ingratitudinem nostram hoc modo puniat, ut hunc fidelem studiorum gubernatorem nobis adhuc quidem eripiat. His precibus hoc uacuum tempus obsecro tribuite potius, quàm alijs studijs, & nos Ecclesiam, & ualetudinem Præceptoris nostri, Deo diligenter commendate. Bene ualete. Die 19. Aprilis, quo etiam uesperi quadrante horæ ante septimam ex hac mortali in cœlestem Academiam atq; uitam emigrauit placidissimè Anno 1560.

M. Sebastianus Theodorus.
D. Georgius Maior.
M. Esromus Rudiger.
M. Caspar Cruciger.

SEQVVN-

SEQVVNTVR NVNC SCRIPTA LVGVBRIA, ET DEPLORANTIA

mortem sancti senis, uenerandi patris, & præceptoris perpetua memoria colendi, domini Philippi Melanthonis, qui dum uixit, horum scriptorum publicorum editorum prioribus tribus in tomis & in hoc quarto omnium usq; ad mortem intimationum scriptor & autor præcipuus fuit.

SCRIPTVM PVBLICE PROPOSITVM IN ACADEMIA VVitebergensi, quo Scholastici conuocati sunt ad deducendum funus Domini Philippi Melanthonis, uiri pietate, eruditione & uirtute præstantis.

VICERECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Georgius Maior S. Theologiæ Doctor.

PIE & utiliter monet Siracides, & luctum esse debere in morte domesticorum & aliorum, qui nobis qualicunq; de causa cari fuerunt,

fuerunt, non simulatum, qualis erat præficarum apud Ethnicos, aut adhuc est conductitiorum Monachorum & sacrificulorum in Papatu, sed serium, moderatum tamen, & non adfligentem ualetudinem, cum sic ait: Τέκνον, ἐπὶ νεκρῷ κατάγαγε δάκρυα, καὶ ὡς δεινὰ πάσχων, ἔναρξε θρήνων, καὶ μὴ ὑπερίδῃς τὼ ταφὼ αὐτοῦ· καὶ ποίησον τὸ πένθος κατὰ τὼ ἀξίαν αὐτοῦ, καὶ παραμικρὸν λύπης ἔνεκα. Ἀπὸ λύπης γὰρ ἐκβαίνει θάνατος, καὶ λύπη καρδίας κάμνει ἰσχύν. Hoc est: fili super mortuo deduc lacrymas, & ut dura passus incipe lugubria, et non despicias sepulturã ipsius, & fac luctum pro dignitate ipsius, sed consolationem etiam admitte istius doloris. A mœrore enim existit mors, & mœsticia frãgit robur cordis. Hoc dicto Siracides prohibet utrunq;, & profanitatem καὶ ἀσοργίαν eorum, qui non adficiuntur suorum obitu, & clamitant indignum esse uiro forti, nedum Christiano, profundere lacrymas, & edere significationem ullam mœsticiæ: & rursus immoderatum dolorem respuentem omnem consolationẽ, quo & ualetudo lædítur, et Deus offenditur, uolens nos acquiescere suo consilio, et non fremere aduersus iustam et semper optimã uoluntatẽ suam.

Cum autem Deus clementissimus nudiustertius placida obdormitione potius quàm morte, à nobis

bis abduxerit reuerendum & carissimum præceptorem ac Patrem nostrum, Dominum PHILIPPVM MELANTHONEM, communium studiorum in hac Academia summum & fœlicissimum gubernatorem, tantus haud dubie sanorum omnium est dolor, ut ille nequaquam ullis rationibus accendendus magis, sed potius exquisitis argumentis leniendus & sedandus esse uideatur. Quod cum me imprimis facere propter officium, quod sustineo, deceat, quæ huic proprio & alieno dolori θελκτήρια, et lenimenta adhibeam, non satis inuenio. Cum enim recordor, quàm dulcis mihi cum hoc uiro intercesserit familiaritas & consuetudo domesticæ similima iam à primis adolescentiæ meæ annis, quantis officijs ab ipso prouectus, adiutus, ornatus sim, fieri non potest, quin eius mihi abitus acerbissimum dolorem adferat. Neq; uero erga me solũ talis fuit, & non alios omnes studio et benignitate sua complexus fouit et adiuuit. Scimus enim eiw bonitatẽ tantam fuisse, ut nihil omnium, quæ habebat, et poterat, sibi aut suis seruire et prodesse tantũ uoluerit, sed ea omnia ceu communia ad cuiusuis, etiam minimorum, sæpe etiam indignorum usum comparata & exposita habuerit. Quæ ipsius inimitabilis benignitas priuatim singulis petentibus, multis etiam ultrò, omni officiorum genere præstita, cũ latissime uagata sit,

mors

mors eius haud dubiè plurimos ita commouebit, ut nos, qui tam diu in familiaritate ipsius à iuuenilibus annis uiximus & consenuimus, iustissimam grauissimi doloris causam habere confessuri sint.

Sed consideratio publici incommodi & periculi, quod ipsius obitus hoc tempore Academiæ & Ecclesiæ huic attulit, hunc dolorem, quem priuatæ consuetudinis desiderium nobis facit, propemodum extinguit & obruit etiam in ijs, qui propter sanguinis uel affinitatis coniunctionem iustissime se dolere existimant. Nouerunt enim omnes, quotquot hic nobiscum studiorum societate coniuncti uixerunt, quanta cura, uigilantia, fidelitate, gubernationi communium studiorum præfuerit, quanta contentione animi illa excitarit, plurimas, casq; difficilimas lectiones in sese recipiens, mira adsiduitate lectionum operas continuans, sua sapientia operas rite distribuens, Collegis aliquibus, quæ cum utilitate auditoribus suis traderent, præscribens, omnium professionum & officiorum necessitatibus & ornamentis subseruiens, denicq; quod singulis laboriosum & difficile futurum erat, ipse unus pro omnibus subiens, & magna promptitudine animi sustinens, & antequam rogaretur, sponte alijs indigentibus suam operam offerens.

His

His rationibus studiorum progressum fœliciter promouebat, & collegarum ἐργοδιώκτης erat, non acerba obiurgationis uehementia & ignauiæ castigatione eos pudefaciens, sed suæ adsiduitatis exemplo cessantes ad diligentiam traducens.

Et quod summopere huic Scholæ profuit, ita erat natura, consilio, studio, & artificio συμβιβαστὴς & communis concordiæ conciliator, ut cum ipse sæpe graviter offensus non modo uindictæ cupiditate excitare certamina non uellet, sed etiam obtrectantium, & maleuolorum iniurias tolerando & insuper benefaciendo uincere, & uniuersam memoriam earum abolere studeret: etiam commonefactionibus suis, intercessionibus, lenitionibus, ortas inter collegas suos offensiunculas, antequam uires acquirerent, supprimeret, & suo præcipuè exemplo & autoritate ad communem concordiæ studium, & ad ἐπιείκειαν tolerantem imbecilliorum errata, permoueret.

Quid autem de donorum excellentia & uarietate dicam? quibus diuina bonitate instructus, tot monumenta utilium scriptorum edidit, quibus omnes partes Philosophiæ insigniter illustrauit, & in repurgatione doctrinæ cœlestis reuerendo uiro Doctori Martino Luthero diuinitus excitato

O fidelem

fidelem & carum & utilem παρασάτην καὶ συνεργὸν se probauit, id quod publica scripta ipsius testabuntur, de quibus cum ipse uoluerit iudicium esse penes uniuersam Ecclesiam & posteritatem, non dicemus hic plura.

Talis igitur, tam instructi, seduli, fidelis, fœlicis Doctoris & gubernatoris præsentia & opera quum Academia hæc & Ecclesia nunc priuata sit, & uulnus acceperit opinione & eloquentia omni maius, iustissimum est dolere omnes, qui studiorum rectè ordinatorum, & Scholarum bene constitutarum necessitatem & utilitates intelligunt & magnifaciunt.

Accedit huc, quod dolorem nobis auget metus impendentium malorum, quæ uarijs de causis irritari nunc facilius & accersi possunt, postquam sublatus est is, qui plurima publica incommoda auertit & impediuit sua moderatione, tolerantia, lenitate, authoritate, addo etiam precibus ad Deum, quas scimus eum cum studio ueræ temperantiæ, sobrietatis, uigilantiæ, & bonæ conscientiæ, constanti diligentia pro tota Ecclesia, Academia & familia sua ardentissimas fudisse.

Et notum est pijs dictum Prophetæ, qui dicit, colligi bonos, ne uideant mala secutura, sicut exempla omnium ætatum & gentium testantur, præstantium

stantium uirorum, per quos insigne aliquid in Ecclesia gestum aut effectum est, migrationem ex hac uita, publicas calamitates breui secutas esse, præsertim autem tum, cum ingratitudo populi accessit, spernentis illa dona, & extenuantis beneficia, quæ Deus per illos Ecclesiarum benefactores largitus est, siat proh dolor uidimus hunc nostrum pium & optime meritum de uniuersa posteritate Præceptorem, ab aliquibus contemptum, ab aliquibus infestatum, ab aliquibus hostiliter petitum fuisse, quibus fortassis hic noster luctus & mœror gratissimum spectaculum præbebit, & sannas ac sarcasmos felle amariores dictabit, ut nostrum dolorem sua insultatione & triumpho, quem de nostra, imò de publica miseria agent, accumulent.

Hic metus mutationum & ærumnarum publicarum, quas mors huius nostri patris ac Collegæ, & aliorum piorum ac bene meritorum uirorum, quos breui temporis interuallo hæc schola & regio amisit, portendere uidetur, dolorem nostrum auget, quem inflixit amissio tanti & talis præsidij & ornamenti Scholæ & Ecclesiæ huius.

Non igitur nobis est opus sapientissimi Siracidæ pia commonefactione, ut defleamus mortem huius cari patris nostri, ne ἀσωτίας uel

ἀναισθησίας Stoicæ ab alijs accuſemur, non eſt nobis opus præficarum lugubribus concentibus & threnis, omni arte animos ad mœſticiam commouere conantium. Ipſa nos animis & intimis ſenſibus infixa huius benefici, pij, ſalutaris Doctoris memoria concitat ad conſiderationem noſtræ infœlicitatis, qui benigniſſimum Patrem & dulciſſimum collegam & amicum cariſſimum amiſimus: Ipſe conſpectus iuuentutis, Templorum, Collegiorum, Bibliothecarum noſtrarum, ipſius bonitatem ubiq; paratiſſimam nobis in memoriam reuocantium, ex oculis noſtris largiſſimas lacrymas exprimit, & uim doloris exaſperat.

Audiamus igitur alteram partem præcepti Siracidæ, quæ iubet ita moderari dolorem, ne uel noſtris corporibus & ualetudini uim faciamus, uel Ethnicorum luctus imitari uideamur, qui non conſiderata Dei in omnibus actionibus perpetua bonitate, amiſſis cariſſimis ſuis, fremunt aduerſus Deum, & iniuſticiæ quaſi eum & Tyrannidis accuſant, à quibus blaſphemis uocibus & cogitationibus, animis & auribus abhorrere debemus nos, qui ſcimus Deum etiam iratum miſericordiæ ſuæ recordari, & punientem benefacere, et quò durior eſt caſtigatio in filios petulantes & ingratos, eò ipſum ardentiore ζοργῇ eoſdem conuerſos ad bonam frugem complecti, & beneficijs ornare, mœſticiam

ciam illam ex recordatione pœnarum ortam, lenientibus & paulatim abolentibus, id quod ſinguli, qui Patresfamilias ſumus, in caſtigatione liberorum noſtrorum experimur, quibus cum mores emendant, & ad obedientiam debitam redeunt, poſt plagas & uerbera blanditijs & munuſculis noſtram paternam propenſionem & caritatem ſæpe manifeſtius declaramus, quàm antea.

Quare & domeſtici ac propinqui, qui merito lugent, tali ſe patre, auo, cognato, affine orbatos eſſe, & nos reliqui, qui ipſi familiari conſuetudine coniuncti fuimus, hac cogitatione dolorem moderemur, quod ſcimus eum mortalem genitum fuiſſe, et quod mirandum eſt, ei in tanta laborum, curarum, moleſtiarum, certaminum aſſiduitate et acerbitate, tamen à Deo haud dubie Eccleſiæ precibus & utilitate moto, uitam in tanta corporis gracilitate, & calculi cruciatibus, ad tantam ſenectam prorogatam fuiſſe, ut Climactericum nonum ſuperaret, & inchoaret ætatis quartum & ſexageſimum annum, quod uitæ ſpacium paucißimi etiam magno corporis robore præditi attingunt.

Deinde uidimus omnes, quàm ærumnoſam uitam egerit in perpetuis laboribus, fatigationibus, adflictionibus, exagitationibus, criminationibus, inſidijs & morſibus, quibus à ſummis, infimis,

[illegible] indigenis, hostibus & discipulis sine fine & [illegible]us & laceratus est, ut merito cum [illegible]ha dicere potuerit: Dies percep[illegible] fuerunt Parui & [illegible] Abrahamo, Isaac & alijs seri[illegible] confectus, & plenus dierum, seu satu[illegible]s annis, cum sæpe audierimus ipsum, cum ante hunc morbum, tum tempore morbi conquerentem de uirium defectione, dicere, Se uelle Deo obedire & seruire, ut ante, si is uelit uitæ annos plures adijcere, sin minus, se adeò non reformidare mortem, ut eam etiam expetendam sibi optandamq; iuxta uoluntatem Dei existimet. Et ita obijt, ut quisq; sibi maiorem fœlicitatem optare non posßit, quam si post agnitionem Dei & filij eius Domini nostri Iesu Christi, cum tranquilla conscientia migrare ex hac ærumnosa uita tanta placiditate queat. Nam & seipsum morbi tempore & nos uisentes ipsum, ac doloris nostri signa ostendentes, uerbo Dei et ostensione uoluntatis diuinæ et promißionum, mirifice consolatus est, et palàm aliquoties professus est, nullo se domestico aut priuato dolore angi, sed tantum animo cruciari propter hanc insanabilem distractionem docentium in Ecclesijs ortam ex odiorum acerbitate, et quorundam malicioſa Sophistica, ex qua dicebat impendere maxima pericula Ecclesiæ et rebus-

rebuspublicis, et Deum ardenter inuocabat, multis audientibus, ut ipse sanaret uulnera Ecclesiæ, & seruaret cœtus piè docentium & audientium incorruptam Euangelij doctrinam, et suæ constantis confeßionis signa usq; ad extremum uitæ halitum manifesta edidit, cum septimo Paroxysmo febris tertianæ uires corporis uitales adeò prostratæ fuissent, ut destillantes in pectus ex catarrho humores eijcere amplius non ualerent, unde paulatim impedita spiratione, ceu inchoaturus somnum profundiorem placide obdormiuit, integris usq; ad extremum sensibus, & mente rectißimè sibi constante, id quod plurimi authoritate & uirtute præstantes uiri αὐτόπται testari poterunt.

Tam pium & placidum exitum & liberationem ex tam laboriosa et ærumnosa uita omnes gratulari ipsi potius, quàm deplorare debemus, & rogare singuli Deum, ut nos quoq; simili tranquillitate conscientiæ, simili constantia fidei & confeßionis, & simili ardore inuocationis ex hoc carcere traducat ad æternam suam consuetudinem.

Attamen Academia et Ecclesia orbata est hoc fideli & salutari gubernatore?

Est sanè hæc calamitas inæstimabilis, quam uidentur multa incommoda secutura, quam, ali-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000110

quando tamen euenturam, fortaßis noſtra ingra-
titudo & abuſus horum donorum maturius attra-
xit.

Sed agnoſcamus hanc noſtram ſanè deplo-
randam & caſtigatione dignißimam ingratitudi-
nem, & faſtidium & abuſum multiplicem bono-
rum præſentium, & oremus Deum, Vt ueniam no-
ſtris delictis paterna ſua clementia tribuat, et quod
eſt reliquum lucis & doctrinæ diuinitus per hæc
ſalutaria organa nobis clementer donatæ, reue-
renter & grati amplectamur, & uſurpemus ad
celebrationem gloriæ diuinæ, & ad emendatio-
nem uitæ ac morum noſtrorum, & ueneremur do-
ctores ſuperſtites, & illorum fidelibus monitis re-
uerenter pareamus, & adiungamus inuocatio-
nem, ardenter petentes auerſionem & mitigatio-
nem impendentium malorum, & conſeruationem
Eccleſiarum & Scholarum, in quibus ſonat uox
Euangelij, & ſuo quisq; loco partim fideliter &
dextrè docendo, partim ſtrenuè diſcendo, & utro-
biq; rectè & piè uiuendo, ſuam obedientiam Deo
præſtet, & expectet auxilium, defenſionem &
ueram conſolationem à filio Dei Domino noſtro
Ieſu Chriſto, qui promiſit ſuæ Eccleſiæ perpetuam
ſuam præſentiam, Sicut inquit: Non relinquam
uos orphanos. Item: Ego ero uobiſcum omnibus
diebus, usq; ad conſummationem ſeculi.

Abdu-

Abducantur pij & ſalutares Doctores per-
functi ſuo munere, & confecto curriculo, quod ip-
ſis Deus mandauit: Sed non propterea deſeritur
prorſus Eccleſia à filio Dei, ideò ſedente ad dex-
tram æterni Patris, ut det dona hominibus, Apo-
ſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Do-
ctores, quos non repente facit ſummos & excellen-
tißimos donis, Sed addit uſu & pia exercitatione
incrementa donorum, ſicut experientia teſtatur.

Etſi igitur talem excellentiam ingeniorum,
qualis in Luthero & Melanthone, et alijs quibuſ-
dam uita functis Doctoribus huius ætatis fuit, uix
ſperare amplius poſſumus: Tamen dubitare non
debemus, quin Deus etiam per imbecilles & minus
ornatos tantis donis, efficax futurus ſit, Si nos no-
ſtri officij memores, ut ſupra dictum eſt, hæc dona
cœleſtia ardentibus uotis petemus à filio Dei re-
gnante, & miniſterium Euangelij ſua potentia
conſeruante.

Nec dubitare etiam de hoc debemus, ſicut plu-
rimos pietate, ſapientia, uirtute & doctrina præ-
ſtantes uiros agnoſcentes Dei beneficia per hunc
noſtrum Præceptorẽ Eccleſiæ collata, et æſtiman-
tes merita in ſe & alios multos priuatim profe-
cta, habemus participes huius noſtri grauis luctus,
qui ſeriò dolent de neceſſaria quidem, ut homi-
nis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000111

mortalis, sed nobis tamen et Ecclesiæ immatura et præpropera emigratione huius salutaris Doctoris: quin eosdem etiam huius precationis nostræ [illegible] habituri socios, nobiscum rogaturos Deum clementissimum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut bonæ Scholam & Ecclesiam, quæ multos annos fedula fuit nutricula & doctrix plurimorum iam uuliter passim Rebuspublicis, Scholis & Ecclesijs seruientium, diutius clementer custodiat, regat & conseruet, ut sincera Euangelij doctrina & aliæ artes necessariæ societati generis humani & Ecclesiæ, diu florere et late propagari inde possint, quã ad rem ut idonei gubernatores in loca defunctorum substituantur, haud dubie curæ erit Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Augusto Duci Saxoniæ, S. Imperij Romani Archimarschalco & Electori, Principi ac Domino nostro clementissimo, Cuius Celsitudo sæpe iam euidentibus testimonijs nos confirmauit, quod uelit summo studio hanc Academiam, in qua purior Euangelij lux in omnes partes Christiani orbis effulsit, sua munificentia fouere & conseruare.

Nos quoq; , quos Deus uoluit huic pio Patri & præceptori nostro superstites esse, etsi fatemur nos donorum excellentia, ipsi & alijs nequaquam pares esse, tamen summo studio annitemur, ut Illa

ut iuuentuti piam & salutarem & in corruptam doctrinam cœlestem, siat eam à reuerendis patribus & Præceptoribus nostris, Luthero, Bugenhagio, Crucigero & Philippo accepimus, & scimus congruere cum perpetuo consensu Prophetarum et Apostolicorum scriptorum, cum Symbolis, & Confessione harum Ecclesiarum Augustæ exhibita anno 1530. & simul etiam aliarum omnium professionum artes fidcliter et sincere, quasi per manus tradamus, et disciplinam tueamur, quanta possumus diligentia, quæ quidem facilius regi poterit, si quod necessarium erit, iuuentus se facilem et obsequentem paternis admonitionibus nostris præbebit, quod omnino faciet eò etiam studiosius, ut hac ipsa morum emendatione et modestia, et in discendo assiduitate testetur, se obitu talium uirorum immaturo, tanquam signo iræ diuinæ, seriò commoueri, et Deum ardenter inuocare, ut imminentes calamitates publicas clementer mitiget, id quod audiunt suum Præceptorem Dominum Philippum in ipso agone magis de Ecclesia et Academia ac toto cœtu discentium, quàm de sua morte aut suorum orbitate sollicitum, crebra ingeminatione ardentium uotorum fecisse, cui pro infinitis bonitate, magnitudine et numero beneficijs hoc postremum et uile, sed pium tamen officium præstemus, ut sunus

eius

eius ad locum ſepulturæ deſtinatum deducamus, hac obedientia teſtantes, nos & acceptorum beneficiorum memoriam tueri, & domeſticorum defuncti Præceptoris orbitate ſerio afficí.

Conuenietis autem hodie paulo ante ſecundam horam ante ædes Domini Philippi, ubi audieritis ſignum campana dari, ut ſequamini funus usq; in templum Parochiale. Vnde poſt auditam commonefactionẽ de ſpe reſurrectionis noſtræ, porrò deducetis illud in templum Arcis, & ibi modeſtè & reuerenter non digniſſima quæq;, ſed ſuæ quisq; ætati & conditioni conuenientia loca occupantes, audietis funebrem Orationem recitari, & adiungetis ueſtras preces cum ſeniorum uotis, Simul nobiſcum petentes protectionem & conſeruationem piorum ſtudiorum in hac Schola & Eccleſia.

Hortamur autem uos Scholaſticos & per Deum rogamus, ut in tota hac funebri ceremonia ſitis modeſti & uerecundi, nec tumultuemini & fœda confuſione & diſcurſatione turbetis ordinem maximè ſeruandum in talibus congreſſibus, ubi potius quid amiſerimus, & expectare porro poſſimus, cogitare debemus, quàm quid ſpectare queamus, Adſunt, ut uidetis, aliquot Lipſenſes Profeſſores, aliquot uicini Nobiles, multi uicini Paſtores,

Paſtores, & alij honeſti hoſpites, quos communis dolor Lipſia usq; & ex alijs longinquis locis huc attraxit, ut hac ſua præſentia teſtarentur, ſe & magnificè de Præceptore noſtro ſenſiſſe, & noſtra ac Eccleſiæ & Academiæ noſtræ orbitate non leuiter afficí. Illorum inprimis decet rationem haberi, & illis honeſta loca in proceſſu funeris, & in utroq; Templo concedi, ne ad ſuos reuerſi, iuſtas querelas ſecum hinc aſportent, de noſtræ iuuentutis impudentia, curioſitate, Cyclopico contemptu omnis ordinis modeſtiæ & uerecundiæ. Vult Paulus in Eccleſia omnia εὐσχημόνως fieri, & meminiſtis, quàm ſedulus & acris ſæpe hortator uobis ad ordinis, modeſtiæ, & uerecundiæ ſtudium & amorem fuerit, hic ipſe Præceptor noſter, cuius exuuias hodie terræ commendabimus, quarum commonefactionum piarum recordati, nunc harum uirtutum ſpecimen edite in hoc ipſius funere, in quo quàm maxime ueſtri amoris & obſeruantiæ erga tam pium Patrem euidentia ſigna & teſtimonia edere uos conuenit.

Iterum igitur uos propter Deum oramus, ut locum conuenientem in funeris deductione concedatis Dominis Baronibus, Hoſpitibus, Profeſſoribus omnium Facultatum, Conſulibus & Senatoribus, Magiſtris, Nobilibus, & alijs ætate, eruditione & me-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000113

& merito uenerandis uiris, ut illos modestè & quietè sequamini quaterni uel quini, et in locis angustioribus non arctetis & adfligatis imbecilliores. Hæc uos officia ipsi sponte cogitare & præstare debebatis, etiam sine ullo monitore, & illud Pauli dictum memimisse: Modestia uestra nota fiat omnibus hominibus. Datæ 21. Aprilis Anno 1560.

PHILIPPO MELANthoni sacrarvm literarum solertiss. & fideliss. explicatori, ueritatis cœlestis Patrono in primis strenuo, Opt. disciplinarum & artium cùm instauratori, tùm conseruatori: Qui omnem doctrinam quasi uagam & dissipatam collegit, & ad certam rationem reuocauit: Viro pietate, studio puræ religionis, sapientia, uirtute, humanitate, benignitate erga omnes præstanti, feliciter & sanctè mortuo XIII. Cl. Maij, cum uixisset Annos LXIII. M. II. D. II. H. I. Academia VViteberg. cui ille totis An. XLII. operam nauasset H. M. P. C.

VItam, fortunasq; suas, studiumq; laboris,
Quiq; operæ sanctam, consilijq; fidem
Impendit diuina tuis Ecclesia rebus,
Teq; pius uaria iuuit et auxit ope:
Hac in parte sibi post mortẽ structa Melanthon
Communi in luctu busta Philippus habet.
Quæ templi foribus magni uicina Lutheri
E regione solum quod tegit ossa uidet.
Bretta hunc uitales natum produxit in oras,
Bretta Palatini limes amœnus agri.
Vnde propinqua petens adijt bonitate suorum
Diuerso Aönidum templa sacrata loco.
Ludus eum puerum accepit Phorcenidos urbis.
Eytelpergiaci mox schola gymnasij.
Doctrinæ hinc fecit iuuenem alma Tubinga Magistrum,
Eximiũ laudis gessit ubi ille decus.
Inde triumphator Monachorum Capnio iussit
Sibidos hunc ripam uisere Saxonici.
Saxona Dux Fridericus ubi collegia Musis,
Romani fundans ensifer imperij,
Vndiq; conducto præstanti laude parabat,
Artis et ingenij reddere clara uiris.
Hic socio ipso annis uiginti octoq; Lutheri
VVitembergiacæ res fuit ampla scolæ,
Quã septem bis adhuc prouexit deinde gubernans
Fluctiuagam ut uastũ per mare nauta ratem.
Heu tempestates quas hic perpessus, et ad quam
Sæuos hæc scopulos acta carina fuit.

Quantum

Quantum externi odij, quantũ inuidiæq; suorum,
Ingratorum hominum quæ maledicta tulit?
Ipse tamen quamuis reflantibus undiq; uentis
Directum est, retinens uera, secutus iter.
Forma nec clamor latrantis pectora turbæ,
Nec uulgus strepitu mouit inane suo.
Summa petit liuor. Nemo hunc superare nisi ipse
Posset, si studijs ocia suppeterent.
Ista sub obliquo norunt quoq; Sole locati,
Quiq; sub opposito forsitan axe iacent.
Scripta sed illius memorabilia inter, & acta
Plurima, quæ solidæ nomina laudis habent:
Vnum opus eximium est, fidei confessio sanctæ,
Antè tuos Cæsar Carole lecta pedes.
Languida qua Christi iamdudum Ecclesia nitens,
Rursum audet uultus tollere læta suos,
Conarrant inimici omnes licet undiq;, hic unus
Confutare potest dogmata falsa liber.
Ac tua nunc terris floret bona fama Philippe,
Viuit et æternum Spiritus ante Deum. (tum,
Corpus at exanimum tumulo hoc requiescit humano
Condecorant gratæ quẽ monumenta scholæ:
Ille quod expletis senio, curisq; grauatum,
Sexaginta annis exuit atq; tribus:
Sic, morbo ut paucis nisi debilitante diebus,
Muneris officium fecerit omne sui.

Atq;

Atq; olim æthereas ueniet reuocatus in auras
Integer et mortis liber abinde metu.
Sancte uir, et salue pater optime, te tua semper
Nos soboles merita relligione colet.
Doctrinæ nobis ueræ tu doctor et autor,
Hæc, tua, claræ ætas munera lucis habet.
Salue iterum atq; iterum, tua nos immota manebit
Semper apud memores gloria, nomen, honos.

Ioachimus Camerarius.

EPITAPHIVM REVERENDI ET CLARISSIMI uiri Philippi Melanthonis &c.

HIc iacet Europæ decus et pia fama Melanth:
Corpore qui paruus, maximus arte fuit.
Cuius ob egregias uirtutes, claraq; scripta
Et pietas, & pax hac regione stetit.
Bretta uiri patria est, clarum uirtute parentem
Ampla Palatini fouerat aula Ducis.
Sed puer in ludum missus Phorcenidos urbis,
Indolis egregiæ prouida signa dedit.
Mox patris in patriam tendens ut disceret artes
Ingenuas, Nicri culta Lycæa petit.
Et duo transegit cum lustra & quatuor annos,
Nactus ibi primum cepit in arte gradum.

P Hinc

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000115

Hinc iuuenem fecit titulo gaudere Magiſtri
Aonij nutrix clara Tubinga chori.
Tunc noua fundabat conductis atria Muſis
Albidos ad flauas Dux Fridericus aquas:
Inſignemq; uirum Capnionem ad cœpta uocabat,
Auguſtæ imperij conueniente ſtatu.
Capnio laude uehens cognati dogma Philippi,
Hunc iubet Albiacæ munus obire Scholæ.
Hinc tunc Argolico docuit ſermone iuuentam,
Barbaries illo pulſa docente fuit.
Et Sophiæ triſtes fontes, uelut alter Eliſa
Farre dato, gratos uſibus eſſe dedit.
Nota uiri uirtus, nota eſt doctrina per orbem,
Proq; pia exhauſtus relligione labor.
Hîc fidei ſummam uerè, mandante Luthero.
Obtulit Auguſta Cæſar in urbe tibi.
Membraq; doctrinæ, corpus digeſſit in unum
Sparſa prius neruis quæ iacuere ſuis.
Ac hoſtes Fidei ſcriptis & uoce refutans
Multa foris ſubijt, multa pericla domi.
Et quàm Romani latè patet orbita regni
Impleuit meritis templa, ſcholasq; ſuis.
Donec ab ardenti conſumtus uiſcera febre.
In Chriſto placida morte ſolutus obit.
Et nunc ille quidem defunctus mole laborum
Conſpectu fruitur, colloquioq; Dei:

Sacri-

Sacrificis ubi iunctus auis aſtante Luthero,
Doctoris Chriſti pendet ab ore ſacro.
Fors & uota facit quò ſacra Eccleſia Chriſti
Vnanimi doceat cœlica iuſſa fide?
Mox tamen hæc ſurgent cœleſti rore rigata
Quæ nunc oſſa ſolo marcida febre iacent:
Cum uelut herba uirens florebunt oſſa piorum,
Et fidei capient præmia digna ſuæ.
At te poſteritas colet ob tua dona Melanthon,
O uir ingenio non habiture parem.

ALIVD.

Maximus hîc meritis, ſed paruus mẽbra Philippus
Ponè iacet tumulum magne Luthere tuum.
Cui pia relligio ſe totam debet, & artes,
Et pax, & regni publica commoditas.
Teſtis erit uitæ, ſtudijq;, actiq; laboris
Quicquid Romano uiuit in imperio.
Cumq; odia à multis fuerit perpeſſus alumnis,
Nunc cœlo precium dulce laboris habet.
Oſſa tegat tumulus, ſed uiuit fama: iacere
Tot doctis uno non potuere loco.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000121

IN MORTEM REVERENDI VIRI PHIlippi Melanthonis.

FLoſaulus è nigra genitus tellure ſub auras
Occidit, exequias ferte frequenter Apes.
Flete pij flores, folijſq; inſcribite luctus,
Tu quoq; litterulas dic hyacinthe tuas.
Omnes quæ Libani frondetis collibus herbæ:
Tu tamen ante alias florida ruta dole.
Non fuit in terris apibus flos gratior unquàm,
Progenuit folijs tàm pia mella ſuis.
E folijs gratos Eccleſia ſenſit odores,
Vitaq; confectos uenit in alucolos.
Heu ualeant quotquot folijs inſecta pereſis
Hinc fugunt odijs ſæua alimenta ſuis.
Lucifugæ blattæ, ueſpæq; ante ora ſtrepentes,
Et qui Libanias turbat Aſylus apes.
Aut qui non paribus crabro ſe immiſcuit armis,
Quiq; aliena piger pabula fucus edit.
Aut picturatis Eruca in pellibus errans,
Eq; luto uolitans muſca per ora uirûm.
Et uos obſcœnæ uolucres, peaudesq; ualete
Fœdantes ueſtro germina ſacra ſimo:
Quæ pede gallino, quæ calce rudentis Aſelli
Eruitis uirides per nemus omne comas.

Vos

Vos tamen ille omnes tàm parnus pauit in umbra,
Sic multis probitas officioſa nocet.
Valle ſub Elyſia ſacra nemus arbore frondet,
Lætaq; ſelectis floribus arua uirent.
Si qua fides ueteram, locus ille ſalubribus herbis
Eſt datus, obſcœnæ quo prohibentur aues.
Illic aſſiduè libant examina rorem,
Et nitidas ledit beſtia nulla comas.
Regnat amor florum, et generandi gloria mellis,
Et uenit à lucis murmure facta quies.
Floſaulus hîc inter beneolentes conſitus herbas
In ſua mellificas germina uertit apes.
Inq; Deo occultam degit ſub ceſpite uitam,
Nec metuit fucos in ſua fata leues.
Sed folia in Cedri ſeruantur marcida ciſtis
Ne pereant ſæuis illa uel illa nothis.
Et Sol iuſticiæ uernos cum proferet ortus,
Flos etiam uirides proferet ille comas.
Sicca tamen radix parua componitur urna,
Qua lapis ex ipſo nomine carmẽ habet. (ſtus,
Spargite humũ lacrymis, iacet hîc flos febre peru-
Quẽ nigra terra dedit, mons tegit albus humo.
Felix illa apis eſt, quæ non ingrata laboris
Hinc pia ab innocuis mella bibit folijs.
Sed quàm deſit odor folijs, quàm gratia Flori,
Sylua prius folijs, flore carebit humus.

Iohan. Maior D.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000122

EPITAPHIVM RE-
VERENDI VIRI D. PHILIP-
pi Melanthonis, ſcriptum ab

HENRICO MOLLERO HESSO.

HVic Vuitęberga gemẽs dedit oſſa Melantho
In patris exequias officioſa ſui. (nis urnæ,
Qui Brettæ claris uirtute parentibus ortus,
In Palatini quæ ditione iacet,
Huc in Saxoniam felici ſydere uenit,
Accitus precibus Dux Friderice tuis,
Tunc ut ſyncera de relligione Lutherus
Teutonas inciperet ritè monere ſuos.
Cumq; bonis animi, cum rerum maximus uſu,
Cumq; potens anctis artibus ille foret.
Quas homini inſcitiam contra, moresq; ferinos,
Monſtrauit ſummi aura fauorq; Dei.
Non modò ſolerti triplices indagine linguas
Excuſsit, luci reſtituitq; ſuæ.
Nec modò perſpicuis pulchras rationibus artes
Tradidit, inſomni diſtribuitq; fide.
Sedquoq; concordi iuuit pietate Lutherum,
Vt benè ſuſceptum perficeretur opus.
Vt ſacra relligio, ſynceraq; gloria Chriſti,
Staret ab informi libera tota ſitu.

Quem

Quem dominatricis uecors audacia Romæ
Turpiter in ſacras accumularat opes.
Hunc uariè contra pugnauit & acriter hoſtem,
Cum ſectis alacres conſeruitq; manus.
Hoc dum uoce docet, dum ſcripta fideliter edit,
Dum firmat ducibus templa ſcholasq; ſuis.
Hoc in colloquijs, hoc in conuentibus egit,
Ipſius hoc ſtudium, ſummaq; cura fuit.
Sic Chriſtum docuit multas agnoſcere gentes,
Sic Claria innumeros imbuit arte uiros.
Dum uelut ex gaza precioſis diuite rebus
Ex pleno Aonias pectore fudit opes.
Inſuper exemplo ſenibus, tenerœq; iuuentæ,
Et uitæ & morum dexteritate fuit.
Nil niſi ſuauis erat bonitas, & candor apertus,
Nullus in ipſius pectore liuor erat.
Quin commune bonũ, promtusq; miniſter egentũ,
Omnibus optati quin uice patris erat.
His tamen ipſe bonis, luſtra in commune laborans
Penè nouem, rarò præmia digna tulit.
Imò à diſcipulis, aculos imitantibus, atrox
Vulnus in innocuo nomine paſſus obit.
Secli fama ſui, uirtutum ſplendor, & amplus
Sanguinis Aonij Teutonicíq; decus.
Vt tres biſſenis cum luſtris uixerat annos,
Totq; dies, Maius quot geminatus habet.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000123

Sic igitur uir tantus obit, ſanctaſq; frequentat,
Ad uitæ metas illius uſq; preces.
Amplectente fide meritum uenerabile Chriſti,
Speq; bona, & uiui plenus amore Dei.
A quo nunc ſuperam cœli repetitus in arcem
Spiritus, æterni munus honoris habet.
Nomen at effugiens Lethen, & funeris exors,
In terris celebri laude ſuperſtes erit.
Donec erit pietas, & honeſtæ gloria uitæ,
Donec in Arctoas defluet Albis aquas.
Atq; hac in tumba placidè ſacra mẽbra quieſcent,
Dum ueniat anctis gentibus illa dies:
Quæ manes tumulis educet hiantibus omnes,
Vt decus ex meritis opprobriumue ferant.

TEMPVS OBITVS 1560.

(tæ,
NoCte VbI CõſVMpta ſVrgVnt eX PLeIõc nda
FVnCtVs es heV VIta ſanCte PhILIppe tVæ.

AENIGMA DE ANNO mortis eiuſdem.

BElligeræ Diuæ ſupereſt inuiſa quot ales
Secla, Gyges fertur quot tenuiſſe manus,
Lata quot obliqui ſunt ſidera partibus orbis,
Quot Lyra luminibus, maior & Vrſa nitent,
Soles

Soles quot medio pendentibus æquore nidis
Inabat Halcyone matris imago piæ,
Quot rota falciferi ſenis annis tota mouetur,
Vnam ortam demas ſi ſine matre Deam,
Tot per ſigna means bis ſex uariata figuris,
Sol nato à Chriſto clauſit Olympiadas:
Albidos ab ripis ubi notus ad aſtra Melanthon,
Hinc diuum ad ſedes iuſſus abire fuit.

Ioſephus à Pinu.

BREVIA QVÆDAM EPITAPHIA IN TVMVLVM ciuſdem Præceptoris noſtri D. Philippi Melanthonis ſanctæ memoriæ &c.

GEORGIVS SABINVS.

HIC inuicte tuus collega Luthere Melanthon
Non procul à tumulo conditur ipſe tuo.
Vt pia doctrinæ concordia iunxerat ambos
Sic ſacer amborum iungit hic oſſa locus.

IOHANNES STIGELIVS.

Fons latet hoc tumulo, quid quæris amice uiator?
Fons dogmatum piorum & eloquentiæ.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000124

Si quis ab hoc riuum proprios deduxit in hortos
Non aureas huic præferat pyramides.
Illius obstructas doleat Germania uenas,
Parem futura non habebunt secula.

20. Maij.

VERITAS PLORANS AD tumulum eiusdem.

ἅδ' ἔγω ἀτλαμων παρὰ τῶδ' ἀτρέκεια φι-
προσκεῖμαι Τύμβω κειραμένα πλοκά-
(μους.
θυμὸν ἄχει μεγάλω βεβολημένα οὕνεκα
(πόλλοις
ἁ κακόφρων ἁπατα κρεισσον ἐμοῦ κεκριται.

Caspar Peucerus.

MATTHAEVS COLLInus Pragæ.

Fundite murmur apes lugubre per aëra, nec uos
Occupet augendis sollicitudo fauis.
Ora cibis parcant, hebetentur acumina caudæ,
Nec solitus lasset pectora uestra labor.
Cærea de uestris depromite munera cellis,
Funus ut ornetur lumine conspicuo.
Aruit ille niger cognomine, re tamen ipsa
Flos albus, niueis candidiorq; rosis.
Flos, de quo toti largissima munera mellis
Orbi terrarũ suppeditastis apes.

Cuius

Cuius inexhaustos examina plurima succos
Suxere è cunctis conglomerata plagis:
Quo sua mella fauis diues condiuit Hymethus
Hyblaq; nunc apibus despoliata suis.
Et melli infestis Lituania fertilis ursis,
Et benè fragranti Prussia melle fluens: (loni
Quem redolet, quod habẽt iam, numine dante, Po
Mel: quod habent laceræ climata Pannoniæ:
De quo nunc aliquid dulcedinis haurit & ipsa
Vndiq; Crabronum Græcia cincta manu:
Ad quem misit apes Oriens prope totus: Iberis
Quin etiam gratus prodijt unde liquor:
Quem quoq; fucorum sugebat degener agmen,
Inq; suis operis senserat huius opem.
Omnibus ex æquo quia se præbebat apertum,
Fucis, atq; apibus consuluisse uolens.
Sed non euentus uoto respondit, odorem
Hinc tulit haud æquo fucus, apisq; modo.
Dant mel apes bene olens, dant excremẽta profa-
In propriam fuci mox ruitura gulam. (ni,
Christus apes foueat, fucos disperdat inertes,
Mella Euangelij totus ut orbis edat.
At te Leucoreæ carptum, flos inclyte Nymphæ
Arcis in eximio deposuere loco:
Corpus ubi magni iacet è regione Lutheri,
Cuius tu socius fidus & unus eras.

Sit

Sit tibi molle ſolum, quod odoras proferat herbas,
Quæ pia turba tuas occuluere comas.

ALIVD A MARTINO CVthæno Boëmo Pragæ ſcriptum

Effera qui toties Titanæ bella mouentes
Proſtrauit uerbo, Chriſte benigne, tuo:
Victor adit ſuperos, fœlici morte Melanthon,
Agmina latrantum nec timet ulla canum.
Impia turba fleat, uictrix Eccleſia plaude,
His funeſta uenit, ſed tibi læta dies.
Signa micant, Chriſtus uictores cogit in unum,
Expleat ut numeris ſancta trophæa ſuis.
Ergo triumphanti celeres occurrite Chriſto,
Intima quos uitæ cura perennis habet,
Vincit enim, uiuitq; ſuo cum milite Chriſtus,
Mors, Satanas, mundus, diraq; cuncta ruunt.

ELEGIA QVERVLA

SCRIPTA DE OBITV D. PHIlippi Melanthonis ab amico in Thuringia.

O Lacrymoſa dies quæ funus triſte Philippi
Nunciat, ô læſi triſtia ſigna Dei:
O dolor, ô gemitus, hanc me uixiſſe ſub horam?
Omnia qua uideo te moriente mori

Sancte

Sancte ſenex, dilecte ſenex, uenerãde Melanthon,
Magne Dei præco, magne Propheta Dei,
Rebus in aduerſis comes indeuicte Lutheri,
Obruta lux uerbi cum reparanda fuit,
Sic ne fugis, miſeraq; tuos in ualle relinquis?
Vnica qui dubijs anchora rebus eras:
Naufraga dum Chriſti rabioſis cymba procellis
Fluctuat, & nullus nauita fidus adeſt.
Sed fugis, ut medio moriens in funere uiuas,
Et tua ſit uitæ mors tibi dulce lucrum. (ius?
Quæ mihi, quæ luctum uox pectoris exprimat hu-
Ora tuam mortem num ſatis ulla fleant?
Facundus dolor eſt, Sed me dolor iſte diſertum
Non facit, at ſtupido uulnera corde premit.
Nec miſer egeritur lacrymis: exaruit humor
Arida quem uirtus cordis anhela ſitit.
Sicca negat numeros arenti flumine uena,
Nec cerebrum ingenij uim meditantis habet.
Tàm nunc ſollicitus curis ingentibus angor
Tam tua mors uenit dura Philippe mihi.
Quàm bene tecũ agitur, qui ingrati ſecula mundi
Exoſus, cœli regna beata ſubis.
Tàm malè nobiſcum, qui te rectore carentes
Cernimus arma foris, cernimus arma domi.
Fata ſenes tollunt, petulansq; relinquitur ætas,
Et rudis inſueto militat enſe Tyro.

Ferui-

Feruida quem ſtimulans circum præcordia bilis
Plura mouere armis quàm ratione iubet,
Quiq; profana ſacris, qui ſummis infima miſcet,
Iamq; malum dicit quod fuit ante bonum.
Quicquid id eſt, unus poteras compeſcere multos:
Nomine terrori tu quibus unus eras.
Cætera præſentis uetat inuida temporis ætas,
Etſi nunc luctus non ſinat iſta loqui:
Inuida proh ætas hominum quæ carpere quiduis
Ne ueniat meritis gratia digna, ſolet,
Si bene quid didici de te tamen ante Philippe,
Si qua mihi dextro numine Muſa fauet:
Illa tuam pleno decorabit carmine tumbam,
Vt uidear tota mente fuiſſe tuus.

2. Maij Anno 1560.

AD PHILIPPI MELANTHONIS tumulum, Iohannes Poſtius.

Has lacrymas, hos mœſta parens Germania crines
Ad tumulum ſpargit, alte Philippe, tuum.
Has uiolas pietas, hãc magnus Apollo cupreſſum,
Hæc tibi Pierides laurea ſerta ferunt.
Te pietas luget, luget Germania raptum,
Cumq; ſuo luget turba nouena Deo.

IDEM

IDEM AD ALBIM FL.

Albi pater liquidũ quiſnã tibi, quis pater amnem
Turbat? & uberibus cur fluis auctus aquis?
Ah miſer, Aonij turbat te caſus Oloris,
Et tibi iucundos non ſinit ire dies.
Ille tui cygnus fontis decus, atq; uoluptas
Occidit, ac ripis conditur Albi tuis.
Hinc illæ lacrymæ quibus auges flumina, manant,
Hinc tua funeris uocibus antra ſonant.
Infœlix amnis, cygno ſpoliate canoro,
Fallor? an huic ſimilem non dabit ulla dies.

IN EIVSDEM OBITVM ΠΡΟΣΦΩΝΗΤΙΚΟΝ Michaelis Beutheri.

TAndem per uarios Philippe caſus
Per diſcrimina tanta, totq; rerum,
Ad Chriſti penetras, quietè gaudens
Arces æthereas, & expetitas
Longo tempore, quo peculiari
Virtute, ingenij bonisq; ſummis
Nil non officij benignioris,
In cœtus iuuenum ſimul ſenumq;
Iuſtus quos labor, & laborioſum
Exercet ſtudium piè docendi
Diſcendiuè fideliter probatas
Artes, mirificum Deiq; uerbum
Magna dexteritate contuliſti.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000127

Has ergo lacrymas tibi ſepulto
Pro fida damus inſtitutione
Nos deſiderium tui fatigat
Noſtra & pectora rodit uſquequaq;
Nimirum licito, pioq; more
Gentis Chriſtadum, Deo dicatæ.
At nunc parta quies tibi perennis
Adſcito ſuperis chorisq; Diuum.
Summis iam frueris bonisq; ueris:
Et quorum haud temerè prius ſolebas
Aſtrorum meritos tueri honores
Cernis illa eadem, tenesq; certus
Cunctorum uarias uias, uicesq;.
Salue iam patrio recepto cœlo,
AEternumq; uale Philippe diue.

F. B.

Ecquid terra uires, cum flos tuus occidit? atris
Veſtibus (exuuijs ô Libitina tuis.)
Obſita lugeto. Sic debes eſſe Melanthon,
Cum ſepelis Solem lurida terra tuum.

STEPHANVS CYRLERVS.

Conditur en corpus tellure Melanthonis atra,
Conueniens nomen quæ meritò atra dedit.

Nam

Nam quid in hac uita præſenſit (quæſo) ſereni?
Omni nonnè ferè tempore nigra fuit?
Spiritus aſt inter ſtellas micat ille coruſcas
Temporaq; expectat coporis alba ſui.

CAROLVS HVGELIVS.

Occiduo cum Sole tuum Germania Sidus
Occidit, ille quidem manè redire ſolet:
At tibi non iterum, quod nox tenebroſa recondit
Sydus ab eois exorietur aquis.
Dum tamen Eoum mare, dum Sol uiſet Iberum,
Syderis illa tui fama ſuperſtes erit.

Grabſchrifft des Gottſeligen vnd hochgelarten Herrn Philippi Melanthonis/ meines lieben Praeceptoris vnd Freunde.

EIn Honigblum aus ſchwartzer erd/
Der Ehrenkron vnd lobes werd
Ligt hie verwelckt in jrer rhu/
Da jr die hitz ſatzt hefftig zu.
Aus jr viel danckbar Bienelein/
Sogen vnd machten Honigſeim.

Zu troſt vnd lahr der Chriſtenheit/
Des tregt manch Schul vnd Kirche leid.
Viel vnziefers vnd Vogel wild/
Diſs kleine Blümlein hat geſtilt.
Mit ſeinem ruch vnd tewrem ſafft/
Viel guts hat Gott durch es geſchafft
In Kirch/Schul/ Haus vnd Regiment/
Nu hat ſein mühe vnd gfahr ein end/
Raup/Hummel/Metel/Brem vnd Weſp/
Kein Neſſel/Klett/ Diſtel/noch Treſp/
Diſs liebe Röslein dempffen kundt/
Gott preiſts/ Leut lerts / zu aller ſtund.
Manch Spin iſt drüber hin gekrochen/
Viel gifftig Würm han drein geſtochen.
Noch lebts vnd ſchleifft in dieſem ſchrein/
Seins wercks wird vnuergeſſen ſein/
Gott ſtrn ſein threnen fein abwiſcht/
Mitt Himmels taw ers jtzt erfriſcht.
Liebluchen ruch ſein Bletlein geben/
Es wird in kurtz auch wider leben.
Wenn trewer Lerer bein vnd haut/
Wird blühen wie das grüne Kraut/
Da wird ſein Glaub/gedult/ vnd vleis/
Bekommen danck/lob / ehr vnd preis.

WEr nu zu dieſem Sarck thut wallen/
Der laſs ein ſehnlichs threnlin fallen.
Vnd ſeufftz mit mir aus hertzen grund/
Gott gfelt ein danckbar ſinn vnd mund.
HERR Chriſt kom zeig dein herrligkeit/
Die ſolchem Blümlein ſind bereit.

Durch

Durch dein vorbitt vnd Wunden roth/
Hilff deiner Kirch aus aller not.
Erhalt auch alle Bienelein/
Vnd dieſes Röslins bletlein rein.
In deim Cypreſſen Schreinelein/
Denn ſie deins Namens zeugen ſein.
Dein wort vnd guter Leute ſchrifft/
Dient wider mord vnd Teuffels gifft/
Lert/tröſt/erquickt/ warnt jederman/
Ein bös Buch geh alls vnglück an.

Johan. Matheſius.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Georgius Cracouius I. V. Doctor &c.

IN Comitatu Mansfeldenſi uetus eſt & honeſta familia Reineckorum, quam celebriorem fecit Iohannes Reineck, cuius uirtus fuit excellens & uirtute parta autoritas in his regionibus. Is cum primus fuiſſet ſtudiorum LVTHERI ſocius ac comes in Schola Magdeburgica, poſtea perpetua, & eximia fuit inter hunc, et Lutherũ beneuolentia, ſeu ab aliquo naturæ conſenſu, ſeu ab illa ſtudiorum puerilium ſocietate, & quæ acceſſit adfinitate. Huius Reinecki

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000129

ex filia nepos Christophorus Moshauer natus pa-
tre Christophoro Moshauer Consule Islebiensi,
uiro optimo, & erga nostrum ordinem, & erga
literarum studiosos admodum benefico, hac nocte
in inuocatione filij Dei, extinctus est, sæpe repe-
tens hanc uocem dulcissimam: Dedit Deus pote-
statem hominibus filios Dei fieri his, qui credunt in
nomine eius, Et illam Pauli: Iustificati fide pa-
cem habemus. Fuit natura capax & auida lite-
rarum, cumq; ad pietatem domestica parentum in-
stitutione diligenter assuefactus esset, cursum
studiorum & mores uitæ uniuersæ piè rexit, Ac
præcipue hoc morbi tempore pietatem & fidei
lucem accensam & confirmatam diuinitus multis
illustribus argumẽtis testatus est, patientia, spe et
desiderio ardenti Academiæ cœlestis, in qua coram
filium Dei docentem audire & complecti posit.
Ac heri antequam extinctus est, narrauit noctis
præcedentis somnium, quod non fuisse ἄσημον
euentus ostendit, uisus est enim adire reuerendum
uirum Præceptorem nostrum carissimum Philip-
pum recens defunctum, & loculo iam impositum,
hunc salutaturus cum esset, narrauit priorem se à
Philippo compellatum esse, ut ascenderet secum, et
poculo porrecto bibere iussum, cum obtempera-
set, dixit mirifice eo haustu se recreatum esse, nec
existimare se nectar, aut ambrosiam ullam dulcio-
rem

rem esse. Profecto uero iudicauit adolescens pius
& fide confirmatus. Nam et Dominus ipse Ioh. 4.
de fide & inuocatione sui inquit: Qui biberit ex
aqua, quã ego dabo, non sitiet in æternum, Eritq;
aqua, quam dabo ei fons aquæ uitæ, et salientis in
uitam æternam.

Huius cœlestis aquæ riuulos cum ducente,
monstrante ac prælibante Philippo Christopho-
rus hic gustarit, haud dubie suauitas & dulcedo
fuit uitæ æternæ, qua recreatum se esse adfirma-
uit, Ac fortassis in adolescente pio, casto, & uere
inuocante Deum monere, ac testari filius Dei uo-
luit, frui reuerendum Præceptorem nostrum, uitæ
& lætitiæ æternæ dulcedine, Ac fruituros eadem
omnes, qui riuulos ac fontes limpidos agnitionis
Dei, fidei, & inuocationis ueræ à Philippo mon-
stratos, non aspernabuntur. Hac igitur se conso-
latione pij parentes erigent, quod missum ad Aca-
demiam filium non amiserunt, Sed euocatum ad
cœlestis Academiæ societatem, & nunc cum præ-
misso Præceptore carissimo, audientem ac coram
contuentem filium Dei, breui iterum multo ma-
iore cum lætitia imbutum sapientia, iustitia, &
luce uitæ æternæ, complexuri sunt. Huic Christo-
phoro funus fiet hodie hora quarta. Hortamur
igitur auditores, ut ad pias funeris ceremonias an-
te ædes clarissimi uiri D. Iohannis Schneidewein

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000130

I. V. Doctoris conueniant, & se & Ecclesiam & Scholam hanc Deo pijs uotis commendent. Die 21. Aprilis Anno 1560. postridie eius diei, quo exuuiæ reuerendi uiri domini Philippi Melanthonis in arcis VVitebergensis templo depositæ & cubiculo suo conclusæ sunt.

VITVS VVINSEMIVS SENIOR, ARTIS MEDICAE Doctor, ad auditores in Academia VVitebergensi &c.

QVOD de L. Crasso Cicero scripsit, hoc illi fere semper contigisse, cum aliquid accuratius dixisset, ut nunquam dixisse melius putaretur, ita proximam quanq; orationem illius auditoribus semper optimam uisam esse, Id de fabulis Euripidis uerè affirmare possumus, inter quas etsi aliquæ præ cæteris magis Εὐδοκιμοῦσι, id est, illustriores & luculentiores habentur, quo in numero Phœnissæ sunt, & Medea, & Orestes, tamen ea est uenustas & luculentia singularum, & tale θέλγητρον proxima quæq; legenti in animo relinquit, ut illa sola omnium optima & dulcissima esse uideatur. Idem nobis & in hac fabula accidit, quam nunc interpretaturi sumus, cuius argumentum, etsi tenue atq; exile esse uidetur, tamen eam ceu ex fumo lucem effundit, ut superiores omnes lualentia sua quasi obruat. Introducuntur enim Matres, Coniuges, & Orphani liberi Argiuorum Principum ad Thebas cæsorum, à Principe Atheniensium iustum auxilium contra Thebanum tyrannum supplices petentes, qui in pugna occisos contra religionem, & ius gentium sepultura prohibebat. Hic inter reges Adrastum, & Thesea oriuntur grauissimi sermones de ciuitatum concordia, & quantum in ea firmamenti sit ad tuendas iustas causas, & publicam salutem, Item de optimo statu Reipublicæ et optimi Principis officio, & quod agendo Respublicæ crescant, ocio uero atq; ignauia intereant, Iuxta Lyrici Poëtæ dictum:

Ocium et reges prius et potentes perdidit urbes.

Item: Quàm piũ sit iniusta ui oppressos defendere. Insertus est et catalogus, atq; Icones principum, Sicut in Phœnissis est, et in Aeschyli, septẽ ad Thebas, atq; in tertio Iliados Homeri libro. Hæc sunt ut in Lucidissimo Olympo ceu lumina maiora & eminentiora. Est uero reliquum totum corpus ὁλῶς λαμπρὸν Oratio ut in querela de iniusta oppressione dolenter tristis, & legentium animos quasi feriens, quæq; eloquentiæ studiosis magnam uim, & ad dicendum suppellectilem suppeditare potest. Meam fidem & assidui-

aſſiduitatem auditoribus iam à multis annis notam eſſe ſpero, unum enim eſt & erit mihi propoſitum donec uiuam, ut in ſtatione mea diſcentium utilitati inſeruiam, & ſtudia eorum quantum pro mea tenuitate queam, iuuem, Deus Spiritu ſancto ſuo *mihi clementer adſit, & efficiat, ut labor meus ſit fructuoſus in Chriſto, Ac ne ſtudioſis præcepta quoq; Grammatica deſint, cras Deo iuuante, hora nona incipiam prælegere rudimenta græcæ Grammatices optimæ & reuerendæ memoriæ* D. *Præceptoris, ad diem uerò Iouis, et Veneris pergam interpretari* Euripidem *hora octaua. Et diebus Lunæ ac martis proxima ſeptimana incipiam publicè prælegere* Erotemata Dialectices *hora nona, Hæ Scholaſticæ operæ meæ poſthac erunt. Oro ſtudioſos ut pro me* Deum *precentur, ut ualetudinem meam, in hoc ſenili corpore roboret & uires mihi ſuppeditet, quod ut fiat, faciat* Chriſtus, Amen.

CASPAR PEVCERVS
ARTIS MEDICAE DOCTOR
ſalutem dicit Lectori.

NEC *meminiſſe me dolor patitur, patroni, parentis, præceptoris, & ſoceri mei carißimi,* Philippi Melanthonis, & Iacobi Milichij, quos nobis hic annus eripuit, nec ſi indulgere meo dolori uellem, hoc mæſtißimo tempore luctum me publicum querelis augere deceret. Non enim his reuocantur illi, quos ex conditione uitæ plena ærumnarum & laborum ad cœleſtis Eccleſiæ ſocietatem traductos, nunc oculis animi perfuſi luce diuina, cernere coram Deum Architectum naturæ, atq; huius in mirandorum naturæ operum diſtributione, conſilia, ac ſapientiam, & frui optato, ac lætißimo complexu filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, prorſus non dubitamus: Neq; his etiam conſulitur rebus noſtris horum interitu, & amißione grauiter afflictis, quæ ut quam fieri poteſt, optime, & ex utilitate auditorum, conſtituantur, atq; adminiſtrantur opera, cura, & conſilio noſtro, præcipuè nobis cogitandum, ac præſtandum eſt.

Vt intelligant ergo auditores noſtri, qua afficiamur cura ac ſollicitudine de publicis ſtudijs deq; ipſorum commodis, ac profectu, ſignifico me, Deo uolente, cras hora octaua, inchoaturum eſſe prælectionem doctrinæ medicæ, quam illuſtrißimus Princeps dux Saxoniæ Elector &c. mihi commendauit, & partiar operas: Biduum poſterius, id eſt, diem Iouis & Veneris, tribuam enarrationi librorum de locis affectis, quos delegi præ cæteris propter multiplicis doctrinæ

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000132

copiam, ac uarietatem. Diebus Lunæ, & Martis, pertexam medendi methodum, quam priuatim inchoaram ante. Cumq; decreto Senatus Academiæ impositum mihi sit, ut seriem historiarum in libello Chronico emigratione Philippi ex hac uita interruptam absoluam, tribuam huic prælectioni diem Saturni. Ingenij & uirium mearum imbecillitatem intelligo, & magnitudini rerum me imparem esse agnosco, ac confiteor. Nec pericula ignoro, quæ tractatio, quo propius hæc nostra tempora attigerit, allatura est. Ne tamen uiderer uelle defugere onus laborum publicorum, & deesse studijs adolescentum, cessi uoluntatibus & sententijs Collegarum. Studebo autem breuitati, & deligam maximè insignia, decq; regnorum exordijs, accretionibus, mutationibus, ac ruinis, & de familiarum originibus, deductionibus, interitu, admonebo diligenter. Ordiar autem post mercatum, ut sit mihi ad præparationem aliquam spacium. De clementissima uoluntate, & affectione erga Academiam illustrissimi Principis, Electoris, decq; sollicitudine optimo Principe digna, et de sententia, ac decreto Senatus Academiæ, quantum ad rationem publicorum studiorum, magnificus D. Vicerector significabit. 24. Aprilis.

Anno 1560.

SCRI-

SCRIPTVM PVBLICE PROPOSITVM IN ACADEMIA VVitebergensi, de ordine aliquot lectionum publicarum constituto post pium & fœlicem obitum Domini Philippi Melanthonis, Die 23. Aprilis.

VICERECTOR ET PROFESSORES ACADEmiæ VVitebergensis.

EGREgia pictura extat in Argonauticis Apollonij, qua exprimitur inconstantia fœlicitatis humanæ, & mutabilitas euentuũ in negocijs rite quoq; consulto susceptis. Fingit enim Poeta, Argonautas superatis maximis difficultatibus & periculis longæ nauigationis ex Pagasis usque Thessaliæ, per angustias Hellesponti & per Cyaneos scopulos ægre seruatos, & iam latum Euxini Pontum sine magno metu nauigantes, apud Mysos amisisse Heraulem, cuius discessu, etsi dolebant, se tanti Herois præsidio & uirtute destitui, tamen non ita consternantur, ut de mutando cursu nauigationis suæ cogitent, Sed procedunt ad Maryandineos, ubi cum à rege Lyco magnifice excipiuntur, & hospitalitate inusitata

inusitatu læti recreantur, gaudium illud mox in mœsticiam acerbißimam commutatur. Nam ibi primum Vatem suum Idmona, paulo post etiam sapientißimum & fœlicißimum Rectorem nauis, Tiphyn, ambos morte inopinata sublatos, amittunt. Quo demum tristi casu ita conturbantur, ut deliberationem instituant, an abrumpere nauigationem, institutam ad petendum uellus aureum, et relicta naui Argo quisq; pro sua commoditate ad suos reuerti debeant. In hac fluctuatione animorum, & quasi desperatione fingit Poëta monitu Deæ Iunonis confirmatos argonautas, substituto alio rectore qualicunq; ex suo cœtu, cui reliqui communicationem operarum suarum promiserint, prouexisse nauem in Colchidem.

Ita nostra Argo duriter adflicta est, auocato hinc reuerendo uiro D. D. Iusto Iona, & euocato ad cœlestem uitam præstanti Heroe reuerendo uiro D. Martino Luthero, quo tempore, etsi fortißimo propugnatore sinceræ Euangelij doctrinæ priuata hæc Schola merito uehementer doluit, tamen cum haberet adhuc aliquos fideles παραστάτας & socios Lutheri superstites, Doctorem Bugenhagium, D. Crucigerum, D. Forsterum, & peritißimum rectorem nauis huius Philippum Melanthonem, minus adhuc sentire potuit iacturam & ca-

& calamitatem illam suam. His uero etiam ante annos aliquot ereptis, & nunc postremo gubernatore suo fœlici & uigilanti & fideli destituta Academia nostra, cladem accepit tantam, quæ merito consternatos reddere omnes reliquos nautas et uectores huius Cymbæ, & in dubitationem adducere posit, abijcere ne remos & deserere nauim, & abrumpere institutum cursum: an uero tantæ molis & periculi nauigationem porro continuare conari debeant. Multa sane sunt, quæ nos grauibus de causis terrent, qui & imbecillitatem nostram agnoscimus, & cernimus hanc nauim per acutos & asperos scopulos non sine maximis laboribus & difficultatibus propellendam esse, & prospicimus non fallacia signa horribilium tempestatum & procellarum, quas paulo post maris tranquillitatem nobis turbaturas non inani formidine metuimus.

Sed nos in statione nostra retinet diuini mandati & promißionis authoritas, quæ iubet, ut in sua quisq; functione, non lætis tantum temporibus, dum faciles & suaues sunt operæ, sed asperis etiam & periculosis, subsistat, & in imposito munere non tantum diligentiam & fidem, sed etiam tolerantiam & constantiam, cum fortitudine coniunctam, præstet. Sic enim inquit filius Dei Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000134

ciens retro, aptus est regno Dei. Et ad Ebræos, Non deserentes congregationem uestram. His & alijs mandatis Dei mouemur, ut hanc Argo non deserendam esse statuamus, quamuis & nostræ infirmitatis sensus, & imminentium certaminum ac periculorũ atrocitas, multa nobis suggerant, quorum consideratio merito nos turbat, quibus tamen rursus opponimus promissiones certissimas filij Dei, qui cum nos in hanc nauim collocarit, & remis adhibuerit, sicut hactenus clementer nos iuuit & protexit, ita promittit etiam porro nobis suam præsentiam & auxilium, inquiens: Manete in me, et ego in uobis. Item, non relinquã uos orphanos. Item, labor uester non erit irritus in Domino. Item, uirtus mea in infirmitate perficitur.

His mandatis & promissionibus ueracis Dei confirmati, deliberatione graui & diligenti adhibita, distribuimus operas lectionum, sicut paulo post exponemus, ita quidem, ut & plures addiderimus prioribus, & eas, quas Dominus Philippus hactenus consuecuit usurpare, aliquandiu obeundas inter Collegas quosdam nostros partiti simus. Speramus enim illustrissimi Principis ac Domini Domini Augusti Ducis Saxoniæ Electoris, huius Scholæ clementissimi & munificentissimi nutritoris, cura & consilio, alium eruditione & cæteris donis

donis excellentem uirum quæsitũ iri, cui substituto in locum defuncti D. Philippi, eiusdem operæ tuto & utiliter committi queant. Interea uero, donec talis aliquis idoneus inueniatur, decreuimus ex re Scholasticorum fore, si illas ipsas lectiones, quas Dominus Philippus sustinuit, per nostros Collegas iuuentuti studiosæ proponi curaremus, qui, quod bonos & publicæ utilitatis amantes uiros decet, à nobis rogati, eo se adduci passi sunt, ut quamuis intelligerent se eadẽ dexteritate & fœlicitate & fructu illas operas obire non posse, quo eas Dominus Philippus nobis præstitit, tamen pro sua uirili operam darent, ut ordo lectionum hactenus consuetus conseruaretur.

Quare quod faustum sit ac salutare toti Scholæ, & in primis cœtui discentium, significamus uobis ordinem lectionum publicarum, & quidem illarum tantum, in quibus mutatio aliqua facienda fuit. Nam pomeridianæ ferme omnes suo in loco & ordine & horis consistent.

Quod ad lectiones Domini Philippi attinet, exorauimus clarissimum uirum, eruditione ac uirtute præstantem, Dominum Vitum Ortelium artis Medicæ Professorem, qui ferme quadraginta annos in hac Academia priuatim et publice artes dicendi & linguam Græcam professus est, Vt hora nona

diebus

diebus Lunæ & Martis Dialectica præcepta iuuentuti explicet. Euripidis interpretationem retinebit per alterum biduum, hora octaua consueta. Ad has lectiones superaddet horam nonam post concionem die Mercurij, qua proponet incipientibus discere linguam Græcam, Grammaticam Domini Philippi, & paululum in ea progressus, ut habeant auditores exempla regularum, addet interpretationem Græcæ historiæ Diui Lucæ Euangelistæ, quæ inscribitur Acta Apostolorum.

A Domino Pastore Paulo Ebero, quamuis occupato gubernatione Ecclesiæ huius, impetrauimus, ut promiserit nobis, se continuaturum enarrationem Epistolæ Pauli scriptæ ad Romanos, hora nona dierum Iouis & Veneris. Et quia scimus Lectionem matutinam diebus Dominicis plurimum utilitatis auditoribus attulisse, & eam ualde cuperemus etiam propter Scholasticos peregrinos retineri, qui Conciones germanicas non intelligunt, etiam illam aliquandiu in se ut reciperet Dominus Pastor, nostris precibus tribuit. Horum Collegarum nostrorum robur corporis & animi ut Deus confirmet, ut hos labores, quos supra alios non leues publicæ utilitatis causa in se susciptunt, cum fructu auditorum sustinere possint, Vos, ut pios discipulos decet, Deum ardenter orabitis.

Præterea cum Ethicam lectionem in Scholæ retineri maximopere sit necessarium, eam partem Philosophiæ explicandam demandabimus M. Petro Vincentio, hora secunda diei Mercurij.

Chronicon, quod à Domino Philippo à condito mundo usq; ad Caroli Magni tempora fœliciter deductũ est, rogatus à nobis clarissimus & eruditissimus uir Caspar Peucerus artis Medicæ Doctor, Domini Philippi Gener, Deo adiuuante pertexet, ciq; dictando tribuet horam nonam diei Saturni.

Hoc ordine distributæ sunt lectiones Domini Philippi, quæ etsi longè dissimilibus Præceptori impositæ sunt, tamen ut speramus, non sine fructu audientur ab ijs, qui & discendi amorem, & studij diligentiã, & iudicij candorem, & ἐπιείκειαν non omnia excellentissima requirentem, sed contentam mediocritate, ad eas lectiones audiendas attulerint.

Nunc reliquarum lectionum ordinem adiungimus. M. Sebastianus Theodoricus, cui illustrissimi Electoris uoluntate lectio Mathematica imposita est, primum librum Euclidis explicabit diebus Lunæ & Martis mane hora septima, qua & D. Paulus Crellius locos Communes enarrare solet.

Præterea ut ſtudioſa iuuentus plures lectiones habeat, & ad rationem ſcribendorum Verſuum adſuefieri poßit, Impetrauimus à doctißimo uiro Doctore Iohanne Maiore Vallenſi, ut Lucani libros de bello Ciuili, geſto inter Iulium Cæſarem & Pompeium, dichus Lunæ & Martis, hora octaua, iuuentuti explicet, Sed alterius bidui, hora ſeptima interpretetur ſapientißimi Ieſu Syracidæ Græcas ſententias, ab eruditißimo uiro Domino Ioachimo Camerario à mendis repurgatas & Scholijs illuſtratas.

Cæteræ lectiones pomeridianæ, Sphæria, Phyſica, Theologica, Grammatica & Rhetorica, nihil habebunt mutationis, quod ad horas & ordinem attinet.

Hæc erit ſeries & ratio lectionum poſt hanc triſtem mutationem, quas quidem ita ordinauimus, ut potuimus, ex qua ipſa tamen diſtributione liquido conſtabit auditoribus noſtris, nihil nobis prius & optabilius eſſe, quàm rectißime conſuli ſtudijs diſcentium, quibus etſi eos fructus polliceri à nobis non poßumus, quos ex Lectionibus præceptoris, omni genere donorum excellentißimi, felicißimi, exercitatißimi doctoris percipere potuerunt: tamen fidem uobis noſtram, & in legendo aßiduitatem, et alia officia, quæ à ſedulis gubernatoribus

toribus in obſequentes diſcipulos proficiſci & expectari debent, ita promittimus, ut ſperemus uos re ipſa experturos, nos iuuandi & fouendi huius cœtus Scholaſtici quàm cupidißimos eße, nec recuſare uel labores uel pericula, dum modo eam lucem, cæleſtis doctrinæ & omnium partium Philoſophiæ, quæ per ſupra commemoratos Doctores, ſingularia Dei organa, in hac Academia & Eccleſia accenſa eſt, illuſtratam pro noſtra uirili ad poſteritatem tranſmittere poßimus.

A uobis autem uiciſſim exigimus illa, quæ ſunt officia gratorum & morigerorum auditorum, ut noſtræ ſedulitati ueſtra diligentia & obedientia reſpondeat. Deinde ut gubernationem diſciplinæ, & publicæ tanquillitatis conſeruationem morum ueſtrorum modeſtia facilem reddat.

Videtis in qua mœſticia omnes ſimus, non tantum propter amißionem huius nobis carißimi Patris, Verum etiam propter metum impendentium malorum et mutationum, quas cum alia plurima ſigna minantur, tum etiam hæc ipſa talium benè meritorum & Deo carorum hominum à nobis auulſio portendit. Nolite igitur carißimi auditores, per Deum, nolite nobis cumulare miſerias, & uobis etiam accerſere pœnas morum feritate.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000137

Seuere etiam prohibemus, ne quid in Ciues huius Oppidi uiolentum moliamini. Audimus enim quosdam ex uobis nescio quibus ciuibus minitari, ob incertos sermones, quibus aliqui incogitantius dicuntur usi ante uel post mortem Domini præceptoris, cum tamen de autore non constet, & nobiscum quidam fuerint, in quos suspicio aliquorum inclinare dicitur, qui sancte iurando suam nobis innocentiam probarunt. Et quæ nam est temeritas, cæcis suspicionibus & incertissimis sermonibus uos credentes, uelle iam hunc, iam alium innocentem, odio & iniurijs onerare? Vidistis eo die, quo funus ad templum arcis deduximus, quam manifesta signa non simulati luctus ediderint ciues quoq;, quos nequaquam existimetis tam ferreos esse, ut publicis & suis incommodis non adficiantur. Et si quis ex illis fuisset adeo incogitans, & tale quid inconsideratius dixisset, quæ ista crudelitas foret, eiusmodi temerariam uocem, ui ulcisci uelle, cum Magistratus officium in eiusmodi delicto requiri possit ac debeat?

Quare sitis per Deum modesti, & adiuuate communem tranquillitatem, & iuste colite iura hospitalia, quæ Deus seuere requirit, & uiolantes ea horribiliter punit, sicut etiam Ethnici dixerunt.

Ζεὺς

Ζεὺς ἐπιτιμήτωρ ἱκεταίων τε ξείνωντε.
(ξείνιός &c.

Scitis etiam mandato Illustrissimi Electoris sancitum esse, nequid publicè hic edatur, quod non prius iudicio gubernatorum Academiæ approbatum fuerit, & huiusmodi scripta ferme ad dominum Philippum delata fuisse hactenus, quod tamen ab aliquibus adhuc uiuente ipso neglectum esse constat, qui quædam indigna editione, quædam etiam contumeliosa in uiros bonos, nemini prius exhibita, ausi sunt in uulgus spargere.

Prohibemus igitur serio, ne quis posthac excudi sinat quicquam, quod non prius Rectori, quatuor facultatum Decanis, & Pastori huius Ecclesiæ perlegendum obtulerit, & illorum testimonio approbatum uiderit.

Quod reliquum est, cum uerissime dictum esse statuamus à Propheta Ieremia: Scio Domine, quod non est hominis uia eius, neq; uiri dirigere gressus suos, Et illud Dauidis: Nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam, & illud filij Salomonis: Vt oculus uideat, & auris audiat, Dominus facit utrunq;: toto pectore oramus Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, qui

dixit: Ego sum uitis, uos Palmites, sine me nihil potestis facere, quiq; Cymbam Nohæ in medijs fluctibus uasti diluuij periculose fluctuantem inter procellas & scopulos rexit ipse ac protexit, ut hanc nostram quoq; Argo, quæ tot præstantes Heroas, monstratores non quidem aurei uelleris, sed agni diuinitus missi ad tollenda peccata mundi, uexit, et paulatim amisit, & nunc etiam recens hoc fideli et perito gubernatore suo destituta est, ipse clementer regat, conseruet, & propugnet aduersus omnia pericula & incommoda, & pariter adiuuet pios conatus docentium & discentium, ut hæc Ecclesia & Schola diu sit templũ Dei, in quo audiatur incorrupta uox filij ipsius Domini nostri Iesu Christi, & rectè inuocetur ac colatur uerus Deus, & sit officina pietatis, modestiæ, castitatis, et aliarum omnium uirtutum. Datæ 23. Aprilis,

Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Georgius Cracouius I. V. Doctor &c.

TE maneat semper seruante Ecclesia Christe
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.
Limina ceu seruas agni conspersa cruore
Ex phario ducens agmina sancta iugo.

Nec

Nec sine te uox doctrinæ spargatur in auras
Sed flatu accendas pectora nostra tuo.

Has preces, & hæc uota sæpe repetamus præsertim in congressibus publicis, et ardentius quidẽ in hac rerum perturbatione, & hostium nostrorum furoribus, conspectu periculorum imminentium Ecclesiæ, ac nostra orbitate, in quã deueninus sublato è uiuis patre, & præceptore nostro Philippo Melanthone, & Ecclesias & Politias filio Dei commendemus, qui cum se promiserit affuturum Ecclesiæ suæ, sicut dixit: Ero uobiscum usq; ad consummationem seculi, & præstiturum quæ fiducia ipsius petiuerimus, certo statuamus preces nostras non fore irritas. Nec frangamur animis intuentes in præsentes confusiones, & quasi fluctus motorum certaminum: Nec de ardore & assiduitate precum quidquam remittamus, sed instemus, & urgeamus προσκαρτερολῦτες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ. Memores dicti: μὴ ὀλιγοψυχήσης ἐν τῇ προσευχῇ σου. Mandamus igitur Scholasticis nostris, ut cras conueniant hora septima in auditorio Collegij Maioris, audituri, quæ de mandatis, & uoluntate illustrissimi Principis, Ducis Saxoniæ, Electoris &c. Domini nostri clementissimi, exposituri sumus, de indicatione clarissimi uiri

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000139

mi uiri, doctrina, uirtute, prudentia, & fide præstantis D. Laurentij Lindemanni, quem celsitudo ipsius, postquam cognouisset de discessu ex hac uita, & à societate nostra Rectoris, & Præceptoris nostri, mota solicitudine pia et iusta de Ecclesijs suarũ regionum, de doctrinarum studijs, de nobis uniuersis, cum mandatis ad Academiam misit.

Hortamur etiam Scholasticos nostros, ut in hoc publico luctu sint modestiores, & dolorem suum, quem ex obitu sui præceptoris conceptum animis circumferunt, ostendant, et testentur emendatione uitæ & morum, & metientes animis magnitudinem cum iacturæ, quam fecerunt Ecclesiæ amissione huius Rectoris, tum periculorum, quæ dissensiones excitatæ quorundam petulantia, & crescentes indies, atq; glisscentes minitantur, precentur ardentius, et se ita comparent, atq; instruant, ut qui hæc uulnera non lacerando, friando uè augere et exasperare, sed sanare uelint. Valete. Die 26. Aprilis, Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS
Georgius Cracouius I. V.
Doctor &c.

MEministis uocem Irænei ueram & plenam eruditionis, complectentem consolationem dulcissimam in magnis periculis: Semper adfuit generi humano filius Dei, id est, semper custos, protector, gubernator, & umbraculum est Ecclesiæ, Dominus noster Iesus Christus, Et subinde seruat sua potentia cœtus aliquos uocem uerbi sui sonantes, & aliqua mediocria docentium & discentium agmina, Ac plane congruit dictum Irænei, cum promissione dulcissima, qua ualedicens discipulis ad cœlos Christus ascendit: Ero uobiscũ usq; ad consummationem seculi. Has uoces, ut subinde à carissimo Præceptore nostro repetitas & inculcatas uobis esse scitis, ita in hac recenti & publica mœsticia, omnium nostrum, propter abitum eius à nobis, nimis præpropertum, iisdem nos consolationibus erigamus, ac confirmemus: Ad futurum filium Dei, & nobis, ac clementer Scholæ huius, & Sareptæ nostræ tugurio deinceps etiam seruaturum, ac protecturum esse. Etsi bonum incomparabile abducto præceptore carissimo amisimus, & sumus in dolore tanto, quantum exprimere non possemus, etiamsi tantum funderemus lacrymarum, quantum quotidie undarum hic noster Albis præteruehit. Tamen & nunc adesse nobis filium Dei: et adfuturũ deinceps, non dubitamus. Hac spe faciemus &

in posterum operas Scholasticas, in propagatione doctrinæ, & gubernatione disciplinæ, nec periculis, contumelijs, odijs, uel alijs difficultatibus, quibuscunq; abduci nos ab hoc proposito, & curriculo nostro pijssimo, Deo iuuante, permittemus. Scitis autem, grauissimo consilio ita in Scholis constitutum esse, ut labores gubernationis sint multorum, & mutui. Quare, quod faustum, & fœlix sit, cras, Deo iuuante, de more nouus Rector, eligetur, qui hoc semestri studia discentium gubernet, & disciplinæ custos sit.

Hortamur igitur Magistros, Doctores, & auditores nostros omnes, ut cras hora sexta, ad renunciationem eius publicam, conueniant, Non solum ut audiant quis electus sit, Sed ut uota & gemitus suos nobiscū coniungant, & filium Dei orent, ut ipse summus sit Scholæ huius, & Ecclesiæ nostræ Rector βραβευτης, & protector. Ac ut Noham cum familia inclusum in arcam, clementer seruauit, Ita & nos sibi, & Ecclesiæ suæ insertos, & inter pericula terribilia fluctuantes seruet & protegat. Sint etiam auditores in his periculis nostris, & communi luctu, tranquilli, & modesti, ne aumulent molestias, & dolores his, qui alioqui anus non leue in gubernatione sustiment.

Pridie Calendis Maij, Anno 1560.

RECTO-

RECTORATVS CLARISSIMI ATQVE ORNATISSIMI VIRI, DOmini Caspari Peuceri Budissini, artis medicæ Doctoris & Professoris, generi domini Philippi Melanthonis piæ & sanctæ memoriæ, à Festo sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, usq; ad diem S. Lucæ Euangelistæ.

HABITATORIBVS COLLEGIORVM S. D.

PRAEclare inquit Aristoteles ἀναλογία σώεχει τὼ πόλιν: Significat enim homines recta proportione inuicē copulatos esse, eaq; turbata copulationem conseruari non posse, Quod uerissimum est. Nam hæc uita sic ordinata est, Vt indigeat multiplici officiorum communicatione, quæ sine proportione & æqualitate consistere, nequit. Quare ut communicatio diuturna sit, omnibus danda est opera, ut proportionem & æqualitatem conseruent. Pertinet autem ad proportionis & æqualitatis conseruationē, etiam tempestiuè & benignè precia conductarū habitationum soluere, Quo in officio, quidam adeo sunt segnes & negligentes, ut non solum

ſolum ſolutionem differant, uerum etiam inſcijs & inſalutatis hoſpitibus, ſæpè in habitationes irrepant, & fractas, ac multipliciter deprauatas, ijſdem inſalutatis relinquant, Non raro etiam, ſeras, ſcamna, & alia ſecum auferant. Quod nimis ſæpè nos quibus Collegiorum cura commiſſa eſt, comperimus. Cum autem talis barbaries, & pluſquam Cyclopica feritas per ſeſe deteſtanda ſit, & diuinitus prohibita, pro officio nobis commiſſo paterne adhortamur omnes, qui in Collegijs habitant, ut memores dulciſſimi uerſus Homerici: Ζεὺς ἐπιξεί̃νῳ νήκεστόν τε ξεινωνῆι, *hanc morum immanitatem fugiant, & ſine noſtro conſenſu & uenia in habitationes non irrepant quocunq; prætextu, & tempeſtiuè ac benigne ſoluant penſiones, quæ numerari ſolent ſingulis ſemeſtribus, Præſertim cum uili precio commodiſſime habitent, ne rationes uniuerſitati reddendæ differantur. Hoc ſi qui facere in poſterũ neglexerint, & iam intra biduum nobis non ſatisfecerint, ijs ex ſententia Senatus Academiæ iam habitationes renunciamus, et eos electos inde certo confirmamus. Quod ne fiat ipſi præſtare poſſunt. Valete.*

Locatores { M. Sebaſtianus Theodoricus. / M. Matthæus Plochingerus.

IN

IN PRÆLECTIONEM AENEIDOS Virgilianæ.

IVſſu quando Melanthonis colendi
Præceptoris, & optimi parentis
(Qui celſas nitidi domos Olympi
Cœleſtisq; Academiæ petiuit
Plenum lætitia ſonante portum,
Vt, cuius modo riuulos bibiſſet,
Sibi fontem frui liceret ipſo
AEternæ ſapientiæ, ſoluto
Curis atq; metu, calumnioſæ
Experti inuidiæ, nec à Tyrannis
Nec deinceps ab Hypocritis premendo.
Sic deſiderium ſui reliquit
Nobis flebile, triſte, luctuoſum,
Orbatis patre, ut orphanis, fideli
Præceptore bonoq; deſtitutis,
Ad Lanum, Viadrum, Nicrum, Albim, Eliſtrum,
Sacras, ingenuas, politiores
Quotquot diſcimus ac docemus artes.)
Iuſſu quando igitur parentis huius
(De nobis meriti optime uniuerſis
Singulisq;) ΓΕΩΡΓΙΚΩΝ Maronis
Quam florens opus elegante cultu,
Tam præſtens uaria eruditione

Amnis

Annis inſtar & aurei rotundans
Diſcendum rudioribus parumq;
Doctis propoſui hactenus, legendo
Tali uix mediocritate, paucos
Vt ſperem ſtudium meum probaſſe,
Contentosq; minutulis opellis
Boni conſuluiſſe, ſi quid horum
Librorum mihi in explicatione
Ineptum excidit aut ineruditum:
Si quibus tamen hactenus uidemur
Non inutiliter, nec imperite
Prorſus, quatuor optimi Maronis
Enarraſſe ΓΕΩΡΓΙΚΩΝ libellos,
His (ſi forte uacabit & libebit)
Celo carmina digniora Vatis
Eiuſdem Audiui (latia tuba canentis
AEneæ pia facta, bellicæq;
Fortitudinis & decus togatæ,
Elucens uarios periculorum
Caſus inter, & aſperas procellas
Fortunæ inſtabili ruentis orbe)
Me cognoſcere, ſed Poëtæ
Tanti interprete, mox licebit: hora
Pronos tertia luminis diurni
Currus quando hodierna flectet axe
De ſummo, Heſperias agens ad arcens

Iam

Iam ſolem Oceano propinquiorem
Vmbras & minus inde contrahentem.

Caſpar Crucigerus.

IN PRÆLECTIONEM TERENTII ET Bucoliorum Vergilij.

NEceſſarium eſſe in uita humana rectè ac proprie loquendi ſtudium adeo manifeſtum eſt, ut qui uel neget id, uel non intelligat, omni prorſus ſenſu humano carere uideatur. Quid enim à beluis different homines, uero ac neceſſario ſermonis uſu ſublato? quod fieri omnino neceſſe eſt, neglecta in qualibet lingua rectè loquendi ratione. Ac ut reliquas ſilentio præteramus, nunc de Latina lingua tantum dicam: Huius uernaculus uſus cum deſierit, eius cognitionem etiam mediocrem nemo ſe conſequi poſſe ſperet, niſi certam loquendi rationem ex præceptionibus & regulis, ut uocant, diſcat, ita ut earum initia, & ſeriem, ordine ac integre cognoſcat. Ac longè errant quicunq; exiſtimant, ſine arte ſolo colloquendi cum alijs uſu & exercitio imò etiam hanc rectè diſci poſſe. Hanc perſuaſionem uanam ac perniciosam eſſe, multi magno ſuo & irrepa-

irreparabili damno experiuntur. Quorum aliqui, postquam ætate ac iudicio ita profecerunt, ut errorem suum ipsi tandē agnoscere & deprehendere possint, desperatione literas prorsus abijciunt: Alij licet in ijs perseuerant: tamen operæ, diligentiæ, laboris, & uigiliarum fructum eum nunquam percipiunt, quem expectabant. Sæpissimè enim utrumq; ipsis usu uenire necesse est, ut & ipsi in loquendo ac scribendo fœde hallucinentur, et quæ à doctis dicuntur aut scribuntur, uel prorsus non intelligant, uel non satis assequantur, Nequaquàm enim sine Grammatica de sermone in cæteris artibus recte iudicari potest. A teneris itaq; pueri ad præcepta Grammatices diligenter assuefaciendi, inq; ijs assidue et diu exercēdi sunt, quousq; integrè ea perceperint, et ad usum transferre didicerint. Nec statim ubi nudas præceptiones utcunq; degustarunt, artis studium abijcere oportet, Sed nisi operam et oleum perdere uelint, necesse erit, ut ad regulas simul adiungant crebram exercitationem, bonorumq; autorum exempla, & imitationem. Cuius rei præcipua cura esse debet ijs qui teneræ iuuentutis ingenia formant, nimirum ut omni diligentia ac fide excusitare adolescentiam conentur, ut propter publicam necessitatem has primas artes ament, & maiore cura & impetu discant. Hunc laborem etsi multi fastidiunt, ac omni conatu defugiunt: tamē necesse est aliquos in hoc puluere Scholastico sudare. Ac quauis laude digni sunt, præclarcq; de republica & Ecclesia merentur ij, qui non grauatim fidelem operam conferunt ad iuuanda hæc studia puerilia, quæ adeo necessaria sunt, ut sine his aditus ad omnium reliquarum artium Ecclesiæ & reipub. necessariarum præclusus penitus sit. Graui itaq; consilio, ac bono studio lectio Pædagogiæ in Academijs quoq; iuniorum causa conseruatur, quæ cum mihi publico præceptorum consensu commendata sit, mei uicissim muneris erit præstare, ne opera mea his puerilibus studijs defuisse uideatur.

Constitui autem de sententia præceptorum alternis horis prælegere Terentij Comœdias & Vergilij Bucolica, quibus adiungam regulas Syntaxis. Ac diem Lunæ & Martis tribuam lectioni Terentianæ: Alterum uero biduum Bucolicis Vergilij. Dabo operam, Deo iuuante, ut meo loco officium meum faciam diligenter & sedulo. Quod si qui uolent uti mea opera, conueniant proxima die Iouis hora secunda, in auditorio ueteris Collegij, 14. Maij

Anno 1560.

Eusebius Menius.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000144

LL. STVDIOSIS S. D.

QVibus rebus ego menſes nunc aliquot impeditus ſum, quo minus publica Iuris profeßione, uel officio mihi demandato, uel expectationi, etiam eorum qui ad hoc Gymnaſium, legum diſcendarum cauſa à parentibus mittuntur, ſatisfacere potuerim, arbitror ſtudioſis ita notum eſſe, ut excuſatione mihi apud eos utendum non ſit. Nunc autem cum aliquandiu quietem me habiturum ſperem, continuabo legum explicationem in Tit. C. de Tranſact. & hodie, Deo dante, hora tertia incipiam, L. Tranſactionem, Quæ à commentatoribus, propter ſingularem illius in communi uitæ conſuetudine uſum plurimum commendatur. 16. Maij Anno 1560.

Georgius Cracouius D.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caſpar Peucerus artis Medicæ Doctor &c.

VTinam omnes cogitaremus diligentius de dicto Pauli præcipientis, ut habeamus honorem

honorem corporibus noſtris, & maiore cura regeremus, ac tueremur uitam ac ualetudinem, cuius nobis uſum Deus conceßit non ad fruitionem uoluptatum, ſed ad pia ac ſeria ſtudia rerum maximarum, ut rectè diſcamus agnoſcere, & inuocare Deum, & operas conferamus noſtras, ad doctrinæ cœleſtis propagationem, & ad iuuandam communem generis humani ſocietatem. Fiunt corpora credentium domicilia Dei, in quibus habitat filius Dei λόγος effundens in corda noſtra Spiritum ſanctum, qui ſuos afflatus noſtris halitibus miſcet. Has motuum diuinorum flammas ardentiores ſentiunt, qui & animis pietati intentis & corporibus nullo dolore impeditis Spiritui ſancto ſeſe dedunt. Ad harum rerum conſiderationem, & ad ardentem precationem exuſcitare animos debent adoleſcentes, quotieſcunq; ad ceremonias funerum publicas conueniunt, quas ſcitis ideo inſtitutas eſſe, & religioſe ſeruari ac celebrari, ut & de præſentis uitæ fragilitate, & de æternæ perpetuitatis nos commonefaciant. Optanda ſunt & petenda à Deo mediocria uitæ ſpacia, ut diſcamus doctrinam de filio Dei, & eam in mentibus noſtris aßidua meditatione, & exercitijs fidei, atq; inuocationis confirmemus. Deceßit autem ex hac uita heri poſt decimam horam noctis, Egidius Stoienthyn, natus ex uetuſta familia nobilitatis Pomeranicæ,

ranicæ, lenta tabe consumptus μετὰ τινὸς συντήξεως. Qui cum in morbo ostenderit pietatem suam, confessione fidei, & inuocatione filij Dei, non dubitamus, eum esse in numero illo, de quo scribitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Cumq; in ipso ceu ceciderit, atq; interierit flore iuuentæ, exemplum moueat iuniores, ut de huius uitæ fugacitate, & corporum suorum imbecillitate cogitantes, meminerint uitam Dei opus esse, & hanc sibi prorogari à Deo petant, & rectè utantur ea, & tamen simul sese uera agnitione filij Dei præparent ad lætam ἀνάλυσιν seu emigrationē. Funus autem fiet ei hora quarta, ad quod ut conueniatis uos hortamur, & ibi singuli sese, & Ecclesiam, & hanc Scholam in hac nostra mœsticia & orbitate, Deo commendent. Die 25. Maij, Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caspar Peucerus Artis medicæ Doctor &c.

CElebratur hoc anno 1560. in Ecclesia Pentecoste 1527. post resuscitatum ex morte & sublatum ad cœlos, atq; ad dextram patris collocatum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum uerum Deum & hominem.

Ab

Ab exitu uero populi ex Aegypto Pentecoste 3069. Horum temporum memoria conseruatur in Ecclesia, ut eorum commonefactione excitentur animi quasi ad præsentem considerationem ingentium beneficiorum Dei, & ad ardentem pro his gratiarum actionem. In priore Pentecoste Lex promulgata est à filio Dei, qua repetita est immote sapientiæ & iusticiæ diuinæ norma, ostendens quales nos esse oporteat, & quàm procul absimus à perfectione præscriptæ normæ. In altera effusus est Spiritus sanctus uisibili ardentis flammæ specie in eos, qui conuersis ad Deum animis promissionem Spiritus expectabant. Hic Spiritus noua luce cœlestis flammæ perfudit mentes eorum, ut assentirentur uerbo Dei, et flammæ ardore accendit corda, ut quæ antea ab expressa in lege Dei norma discrepabant, ceu instaurata ac renouata & ornata cœlestibus dotibus fierent conformia legi Dei.

Estq; hæc missio Spiritus sancti ad Ecclesiam singulare donum filij Dei, quod intercessione pro nobis sua apud æternum patrem impetrauit, & sua erga eundem obedientia pro nobis præstita ac persoluta meruit, de quo ipse inquit: Nisi ego uadam ad Patrem, Spiritus non ueniet ad uos, & cum uenerit Paracletus, quem ego mittam uobis à patre &c. Et in prima concione, Actorum 2. de

 eodem

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000146

eodem dicit Petrus: Dextra Dei exaltatus, & promißione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hoc donum, quod uos uidetis & auditis. Et ad Galatas 4. Paulus dicit: Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra.

Has tantas res animis complecti & exercere pia meditatione, collectisq; teſtimonijs pluribus, fidē in animis noſtris confirmare, atq; accendere inuocationem, præcipue nos his diebus decet. Cogitemus perpetuo adeſſe miniſterio ſuo filium Dei & Spiritum ſanctum effundere in corda audientium & amplectentium Euangelium. Cogitemus & quis ſit Spiritus ſanctus, & cur mittatur ad Eccleſiam, & quomodo atq; in quibus ſit efficax, quiue fiant ναοὶ ἅγιοι καὶ οἰκητήρια Spiritus ſancti. Eſt Spiritus ſanctus tertium ὑφιστάμενον ſeu tertia perſona τῆς ὁμοουσίου θεότητος, procedens à patre & filio. Nam τὸ ἐκπορευτὸν δηλωτικὸν ἐστι τῆς φύσεως αὐτοῦ καὶ χαρακτηριστικόν. Nobis uero ſic patefacta eſt, ut ſit uelut flamma, immediate tales motus accendens in cordibus, qualis ipſe eſt, Sicut ad Romanos 14. dicitur: Regnum Dei eſt per Spiritum ſanctum. Et uocatur πνεῦμα ἅγιον, πνεῦμα ἀληθείας, σοφίας, πίστεως, χάριτος, ἁγιοσύνης, παρακλήτου, δυνάμεως, ἀγάπης, καὶ σωφρονισμοῦ, quod

quod & talis ſit, ſcilicet uerax, ſapiens, mitis, caſtus, et tales in cordibus credentium motus efficiat. Mittitur autem à filio Dei ad Eccleſiam tanquam Arrabo, ut hanc ſanguine filij Dei redemptam & patri reconciliatam ſanctificet renouando ad uitam æternam. Vetuſtas cum de creatione rerum loquitur, æternum patrem dicit eſſe αἰτίαν προκαταρκτικὴν τῶν γενομένων. Filium æternum αἰτίαν δημιουργικὸν. Spiritum ſanctum αἰτίαν τελειωτικὸν. Cum de bonis æternis Eccleſiæ proprijs loquitur, quæ ſua nobis interceſſione & morte meruit filius Dei, Patrem dicit eſſe ἀρχὴν καὶ αἰτίαν καὶ πηγὴν ἀγαθῶν, id eſt, principium, cauſam & fontem æternorū bonorū. Filium τὸν ἐξαποστέλλοντα, qui mittit ea ad Eccleſiam à Patre, Spiritum ſanctum τὸν διανέμοντα τὰ ἀγαθὰ ἐν τῇ διαιρέσει τῶν χαρισμάτων, qui hæc bona diſtribuit κατὰ μέτρον πίστεως & καθὼς βούλεται. Sicut Paulus inquit: Hæc concinne cogitata ſunt, & cum expreßis teſtimonijs doctrinæ ſacræ congruunt, quæ pij conquirere ac penſitare, & horum conſideratione animos confirmare debent. Datur Spiritus ſanctus non contumaciter repugnantibus Euangelio, aut furenter ruentibus in ſcelera contra conſcientiam, Sed ut Chriſtus inquit, petentibus, & ſicut Act. 5. dicitur, τοῖς πειθαρχοῦσιν, id eſt, obedientibus.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000147

Et fide accipitur per uerbum, sicut ad Galatas dicitur, ut promissionem Spiritus accipiatis per fidem. Item τὸ πνεῦμα ἐξ ἀκοῆς πίστεως ἐλάβετε. Et gratissimus est Deo cultus petere Spiritum sanctum. Cumq; dicat Paulus: τὸ θέλημα θεοῦ ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν, uoluntas Dei est sanctificatio uestra, hortamur & obtestamur Scholasticos nostros, primo ut obtemperent uoluntati diuinæ flagitanti, ut sit uita nostra sancta & congruens legi diuinæ. Deinde ut ardenter petant se regi, duci, ac doceri à Spiritu sancto, & diligentia in discenda doctrina Ecclesiæ, ac honesta & sancta morum gubernatione ostendant se esse templa Dei, & organa Spiritus sancti, in quorum mentibus luceat accensa uera Dei agnitio, et quorum corda ardeant flammis diuinorum motuum dilectione Dei, castitate, misericordia, indignatione aduersus hostes Dei. Considerate cum animis uestris, quanta res sit illa admirãda societas, qua nobiscum Spiritus sanctus ita coniungitur, ut suos afflatus Spiritibus nostris in cerebro & corde misceat. Ideo cauete ne accensas à Spiritu sancto in uobis flammas lucis & ardoris diuini obruatis & extinguatis opinionibus aut affectibus pugnantibus cum uerbo Dei. Harum rerum cogitationi, etsi illa deponenda nunquam est, tamen hoc præcipue tempore intentis animis incumbere debemus, & simul

simul augere & acuere diligentiam in frenandis affectibus & moribus ad pietatem componendis. Cum autem per ministerium uerbi et non aliter sit efficax in nobis Spiritus sanctus, decet nos & reuerentiam et gratitudinem erga ministerium nostram ostendere. Quare seuere præcipimus Scholasticis nostris, ut cras ueteri more & instituto huius Scholæ, munus ad aram suum offerant, & declarent hoc etiam officio, se ardenter expetere illam Spiritus sancti coniunctionem nobiscum, qua se nobis per ministerium uerbi & fidem communicat.

Cogitantes etiam de periculis uestris seriò mandamus Scholasticis nostris & animo uere paterno, ne immergant sese in Albim in hoc æstu, nec tentent natationes. Eaq; in re moueantur & suo periculo, sintq; memores dicti: Qui amat periculum peribit in eo, & parentum doloribus, quorum causa sunt, si sua petulantia contra tot nostras commonefactiones, obtestationes, minas & edicta, in pericula sese conijcant. Pridie Pentecostes, Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,
Caspar Peucerus artis Medicæ
Doctor &c.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000148

VEtus est familia, & meritorum fama, de memoria celebris, nobiliũ à Schlammersdorff, in ea parte Bauariæ superioris, quæ antiqua constitutione sapientum Imperatorum propria sedes est Electoris Imperij, Principis Palatini ad Rhenum. In ea familia aliquot uiri, prudentia, uirtute, & fide præstantes, apud illustrissimos Principes Palatinos ad Rhenum magnam partem gubernationis publicæ longo tempore sustinuerunt feliciter, ac cum laude, atq; in patriæ defensione præclaram his ipsis nauarunt operam. Fuit recens in eo præcipua auctoritas Iohannis à Schlammersdorff, qui cum legum, disciplinæ, & publicorum iudiciorum constitutus esset præses, custos & administer iuris, iusticiæq; sapienti distributione, & exequutione seueriore, præstitit hoc laudabiliter, quod est boni gubernatoris propriũ, ut sit: ὁ ἄρχων τὸν νόμον φυλαξ. Huius cognatus fratris filius, Bernhardus à Schlammersdorff, hac nocte è uiuis excessit, occultæ febris lento consumptus igne. Miserat eum huc ad discendam doctrinam Ecclesiæ, & aliarum necessariarum artium Illustrissimus princeps Fridericus Palatinus ad Rhenum, Sacri Imperij Elector suo consilio, & munificentia, tum propter illustria maiorum ipsius merita, ut opinor, tum propter opinionem, & spem non dubiam de præclara

clara adolescentis indole, quæ ex eo micabat talis, ut eximium aliquid promitteret, ac sponderet considerantibus, & in hac eum Academia erudiri, atq; auditorem reuerendi & carissimi Patris, ac Præceptoris nostri, domini Philippi Melanthonis, esse uoluit. Studiorum ergo rationem talem de consilio D. Philippi inierat, et uitam, ac mores ad eum modum instituit ac rexit, ut uestigia maiorum, si uita suppeditasset sequuturus, & opinionem de se conceptam ab alijs superaturus fuisset. Vixit modestissimè, & Deum uere timuit, ac rectè inuocauit in agnitione, & fiducia filij Domini nostri Iesu Christi. Toto morbi tempore crebra repetitione consolationũ diuinarum, qualis est: Accepistis Spiritũ adoptionis filiorũ Dei, in quo clamamus, Abba pater, Ipse enim spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quod simus filij Dei, & assiduæ inuocationis: ita se se instruxit ad mortem, ut sæpè lætus accinctũ se esse, atq; expeditum ostenderit ad migrandum, quandocunq; auocaretur.

Dixit inter cætera eo etiam se paratiore esse animo ad hanc ἀνάλυσιν quam sentiret instare, quod sciret in cœlesti Academia se futurum esse auditorem filij Dei & colloquuturum dulcissime cum præceptore suo Philippo Melanthone, de omnibus partibus sapientiæ cœlestis, cum audire eum

eum in hac uita non diu potuerit. Etsi autem gratulanda ei est, tam beata, & læta migratio in meliorem, & patriam, & Academiam, quæ quidem consolatio parentibus etiam mœsticiam lenire debet: tamen doleamus Ecclesiæ & reipub. talia ingenia eripi, de quibus spes est, futura ea, si supereſſent, ornamento ac præsidio generi humano, & oremus Deum ut in horum loca alia surroget. Huic Bernhardo hodie hora quarta funus fiet. Mandamus ergo Scholasticis nostris ut adire fores ædium prope nobilem Dominum Melchiorem Fasoldum conueniant, & funus deducant, seq; & Ecclesiam serijs precibus Deo commendent. Die 5. Iunij, Anno 1560.

LECTIONIS LIBRORVM DE ORATORE, significatio publica.

POST explicata Rhetorices communissima præcepta, & absolutam enarrationem orationis Murenianæ, in qua usus præceptorum aliquo modo conspici potuit, uisum est ère, & usu discentium fore, si deinceps eiusmodi libros iuuentuti proponerem, qui & præcepta complecterentur de tota dicendi ratione uberiora, & genere orationis constarent, quo & ipso ad imitandum

dum uelut illustri exemplo adolescentia in dicendi scribendiq; exercitijs cum fructu uteretur. Ad utrumq; autem aptissimi sunt libri Ciceronis de oratore, de quibus alicubi ipse Cicero profitetur, se quicquid iudicij de dicendo habuerit, in hoc potissimum opus contulisse, & omnem antiquorum, & Aristotelicam, & Isocratæam rationem Oratoriam in eo complexum esse. Qua laude maior nulla bis libris tribui potest. In quorum interpretatione cum & repetendorum præceptorum communium occasionem habituri simus, & filum ac genus orationis planè Atticum sit, hoc est, rectissimum & suauissimum, & ad imitationem in disputationibus etiam materiarum nostri temporis non paulo accommodatius, quàm oratio Ciceronis Forensis: hortor studiosam iuuentutem, ut hos libros scriptos à Cicerone eo tempore, quo ipsius eloquentia iam ætate, doctrina, & rerum maximarum usu iustam maturitatem scientiæ, iudicijsq; adepta erat, studiosè discant, seq; ad eorum librorum, in quibus eruditæ & perfectæ eloquentiæ, fragrantissimum quasi florem spirare animaduertimus, admirationem, lectionemq; accuratam excuscitent, & adsuefaciant. Quod non dubium est, facturos esse, & utiliter, & cum uoluptate singulari, omnes, qui horum lectioni plurimum temporis operæq; impenderint. De multorum autem eruditorum superioris

perioris ſæculi ingenua & conſtante confeſſione comperimus, collapſa temporum iniquitate ſtudia literarum elegantiora, tandem ex his libris Ciceronis reuiuiſcere, & inſtaurari cœpiſſe, ut & Sabellicus ſcriptor optimus in Dialogo de reparatione linguæ non obſcurè oſtendit: Cum autem nunc etiam, ſeu fato, ſeu hominum ignauia, et declinante ſubinde ad deteriora ſæculo noſtro, paulatim ruere elegantioris doctrinæ rectiſſima ſtudia incipiant, fulciamus quantum poſſumus eam quisq; ſuo loco ruinam, et ingenijs adoleſcentiæ ad optimorũ et antiquiſſimorũ ſcriptorũ lectionẽ excitatis, quantum licet imminenti barbariei obuiam eamus, eamq; feruentibus ſtudijs repellamus. Quod fiet à nobis cum aliquo fructu, et fœliciter, tum demum, cum multis nouis, malis, indoctis, maledicis, & nil niſi ueterum Monachorum ſtylum, & ineptas rixas, maliciam, & hypocriſin, referentibus libellis, quorum ferax eſt nimium huius ſæculi licentia, repudiatis, & exploſis, deinceps ad aſſiduа ſtudia diſcendæ, & propagandæ ueræ religioni, & doctrinæ de Deo diuinitus patefactæ adiungemus accuratam lectionem ueterum ſcriptorum in lingua latina, qui excellentibus præditi ingenijs, in uoluntate honeſtiſſima benè merendi de poſteritate, & propoſito & ſucceſſu laudabili, monumentis doctrinæ, & eloquentiæ utiliſſimis relictis

relictis ætatem noſtram inſtruxerunt, & de maximis quibusq;, grauiſſimisq; in uita rebus, & artibus perſpicuè, eruditè, ſapienter, & ornatè locuti ſunt. Inchoabo autem lectionem librorum Ciceronis iuuante Deo hodie hora quarta, perendiè uero in Ethicis legam, & die Iouis 9. librum Iliad: Homericæ interpretabor. Bene & fœliciter, ualete. Die 10. Iunij, Anno 1560.

Petrus Vincentius
Vratislauienſis.

SIGNIFICATIO PVBLICA DE LECTIONE ETHICES ad ſtudioſos auditores in Academia VVitebergenſi.

CRas ubi cœli medio regreſſus
Phœbus ad Nerei properabit undas,
Vmbra Gnomoniſq; notabit horæ
Signa ſecundæ.
Quod Scholæ iußit, ſacer ordo, noſtræ
Me Magiſtratus, licet arduum ſit,
Et meas uires ſuperet tenellas,
Ethica tradam.

Sic

Sic onus dorſo poſitum recuruo
Sæpius lentus malè fert Aſellus,
Sed tamen nutu Domini potentis
Iuſſa faceßit.
Et leuat pondus, ſtudioſa pubes,
Deditum uerè tibi pectus, à quo
Semper optatis tua præferuntur
Commoda noſtris.
Sed prius mos eſt aliquid monere,
Cum nouæ uobis operæ inchoantur,
Et ſolent dici pia corde & ore
Vota preceſq;.
Ergo quod fauſtum uelit eſſe Chriſtus
Patris æterni λόγ@ atq; imago
Pauca præfari ſtatui modeſte
Tempore dicto.

Die 11. Iunij, Anno 1560.

Petrus Vincentius Vratis.

AVDITORI-BVS SVIS.

QVO tempore tanquam in naui ſpoliatæ gubernatore remigem æquum fuerat aßiduum me magis & ſtrenuum præbere. Eo quaſi ſtationem meam me reliquiſſe, & inter

intermiſiſſe operas doctrinæ publicæ meo loco, ſane intelligo eße eiuſmodi, ut in reprehenſionem incurrere poſſe uideatur. Sed ſpero factũ hoc ad bonos facile defenſum uel ſaltem uenia dignũ uiſum iri, ſi ea conſiderentur, quæ tum me abduxerunt. In quibus præcipuum fuit officij ratio, quæ cuiq; curæ imprimis eſſe debet, & cuius neglectio culpæ nunquam uacat. Etſi igitur hoc itinere quo abfui, aberrauit etiam animus à triſticia et dolore, quem lacrymabili caſu funeris, quo omnium noſtri præceptoris ac potius parentis cariſſimi corpus nuper elatum fuit, cœpimus ingentem uniuerſi: Tamen ei cuius comitem nos fuiſſe non eſt ignotum, hæc opera potißimum data eſt, cui oblata profectione neceſſaria sapienti præſertim non potui non libenter et ſtudioſe me adiungere. Quod autem attinet ad tempus & labores doctrinæ publicæ, cuius partes mihi datæ ſunt, in eo non eſſe iacturam factam mihi perſuadeo, uel ſi qua ſit facta, ſarciri illam in promtu eſſe, Neq; enim ab alijs copia multiplicis doctrinæ defuit, & mea diligentia quod omiſſum forte eſt, compenſabitur. Vt autem confido, neminem qui antè hac me docentem audiuit, pœnitere ſuſceptæ operæ, Sic deinceps annitemur, ut noſtrum ſtudium noua induſtria augeatur. Nihil à me equidem magni aut eximij policeri poſſum, ſed quantum in hac mediocritate ingenij mei, ſedulitate

ſeâulitate & uigilantia, attentioneq; animo præ-
ſtari poterit, tantum licet, à me expectetur. Verum
iſta fieri rectius quam dici uolumus. Quod reſtat
igitur, qui me audiendum poſthac eſſe putauerint,
ij ad diem Iouis proximum rurſus conueniant loco
noto & hora noſtra ad explicationem eorum, quæ
reliqua ſunt de doctrina motus in libello Phyſico
Domini Philippi Melanthonis, quo ille χρισο-
μαθείας ex libris ἀκροαάσεων Ariſtotelis bre-
uiter collegit, & ita expoſuit, ut captui pateant
omnium, qui attendere uoluerint. Valete.

Eſromus Rudiger
Papebergenſis.

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS,
Caſpar Peucerus artis Medicæ Doctor &c.

ADoleſcentibus ſemper in ore ſit, & ani-
mo dulciſſima uox filij Dei, qua paruulos
blandiſſime ad ſeſe inuitat datis manda-
tis, ut ad ſe adducantur, & hos certos hæredes
æternæ uitæ pronunciat, Ac Deo præcipuè curæ
eſſe, & ſanctorum Angelorum exaubijs in hac uita
cuſtodiri, ac defendi affirmat, cum inquit: Sinite
paruulos

paruulos ad me uenire, horũ enim eſt regnum cœ-
lorum. Item, Non eſt uoluntas patris, ut pereat
unus de paruulis iſtis. Angeli eorum ſemper ui-
dent faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Huius di-
cti aſſidua cogitatione ſeſe excuſcitent adoleſcentes
ad inuocationem filij Dei, et ad ſerium ſtudium co-
gnoſcendi doctrinam de filio Dei. Perueniunt
enim ad Chriſtum ij tantum, qui eum uere agno-
ſcunt, & rectè inuocant. Nec alius ad Chriſtum
aditus patet & acceſſus, quam per agnitionem ip-
ſius expreſſam in ea doctrina, in qua ſeſe patefe-
cit, & per fidem, quam qui exercent in aſſiduæ
inuocatione, ij ſe certò ſciant in eorum numero eſſe,
qui iam potiũ promiſſa hæreditatis penetrarunt in
cœlum, & hærent in oſculis, & complexibus filij
Dei. Extinctus eſt autem obſtructi hepatis in-
flammatione heri ſub noctẽ adoleſcens Georgius
Richter natus in urbe Lipſica honeſtis parentibus,
qui cum eſſet natura doctrinæ capax, quamuis
puer admodum: tamen ſtudioſe didicit doctrinam
Eccleſiæ, ac fides eius cum antea in quotidiana in-
uocatione Dei, inq; morum compoſita gubernatio-
ne, tum in hoc toto morbo usq; ad extremum uitæ
halitum fulſit, in quo & placidiſſime obtempera-
uit Deo animo ad mortem paratiſſimo, ſine ulla
impatientiæ ſignificatione, & ſeſe filio Dei preci-
bus continuis commendans, ac certa ſpe uitæ æter-

næ electus lætabatur se in illam ueram & sapientissimam Academiam cœlestem migraturum esse. Non dubitamus igitur susceptum eum esse à filio Dei ijs oculis & complexibus, quibus adductos ad se paruulos in Euangelio excipit, hæredem iam esse uitæ æternæ, & socium agminis cœlestis, cuius est ἀρχηγὸς filius Dei. Etsi uero ipsi hanc consuetudinem cœlestis Ecclesiæ gratulari debemus: tamen cum egregia naturæ indoles, & ad doctrinas idonea, quæ in eo fuit, spem de eo fecerit omnibus optimam, doleamus tolli tales, quorum opera Ecclesiæ usui esse posset, & commonefacti de uitæ huius miserijs, quæ & breuis est, & plena ingentium periculorũ, & dolorum, Oremus filium Dei instauratorem uitæ, ut nos regat, et seruet aliquos Ecclesiæ milites, qui ipsum in hac uita ueræ doctrinæ propagatione, & uera inuocatione colant & celebrent, siat scriptum est: Non mortui laudabunt te Domine. Fiet autem funus huic Georgio hodie hora prima, quod ut deducant frequentes Scholastici nostri ex ædibus, in quibus habitat Magister Paulus Pfeffinger, seq;, & Ecclesiam, atq; hanc Scholam & studia doctrinarum filio Dei commendent, mandamus.

Datæ die Solstitij Anno

1560.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caspar Peucerus Artis medicæ Doctor &c.

NOndum coaluit uulnus, quod accepimus, cum nobis omnibus, optimè meritus præceptor, imò parens, mihi uero carissimus Socer, & liberis meis amantissimus Auus, morte uerè immatura est ereptus. Etsi enim ætas illi talis fuit, ut uideatur longiorem uitam appetere non debuisse, cum compleuisset ætatis annos 63. & dies totidem, hoc est, hebdomades annorum & dierum nouem integras: tamen ratione nostræ necessitatis, & consideratæ temporum horum difficultate, quæ imprimis ipsius præsentiam longiorem requirebant, nimis festinata morte à nobis abductus est. Ab eo die, quo carissimus Pater noster Philippus Melanthon ex hac uita placidissime obdormiscens, emigrauit, uix elapsi sunt dies nouies septem, hoc est 63. usq; ad hesternũ diem, qui fuit uicesimus primus dies mensis Iunij, septimus uero post Viti Martyris: & ecce noua luctus causa, eaq; ingentis nobis objicitur. Heri enim paulo ante decimam horam noctis, euocata est ex hac ærumnosa uita, fœmina omnib. matronalibus dotibus ornatissima Katharina, clarissimi uiri, eruditione, uir-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000154

tute, & meritis in hanc Scholam præstantis, Domini Viti Ortelij VVinshemij, Artis Medicæ Doctoris, Filia, nupta M. Sebastiano Theodorico VVinshemio, cuius uitæ integritas, excellens eruditio, & in docendo industria, fides, & assiduitas, omnibus huius Academiæ alumnis perspecta est, cui moriens coniunx reliquit filias quinq; quarum natu maxima nondum est egressa annum ætatis decimum tertium, & filium postremo partu editum, recens ablactatum. Hi ambo collegæ & fratres nostri, cum nobis multis de causis carissimi sint, & nunc acerbissimo inluctu uersentur, fieri non potest, quin ipsorũ calamitas nobis quoq; mœsticiam priorẽ cumulet. Amisit enim D. Vitus filiam quam habuit unicam, ex qua tot bellas & ab ipsa pie educatas neptes, & nepotulum suauissimum uidet superstites, à quibus omnibus dulcissima Aui appellatione salutatus excipitur. Sebastianus uero coniuge orbatus est dilectissima, prædita omnibus illis ornamentis, quæ in pia matrona describit diuus Petrus, cum postulat, φόβον θεοῦ, ἀγνὴν ἀναστροφὴν, πραότητα, ἡσύχιον πνεῦμα, καὶ ὑποταγὴ πρὸς τοὺς ἰδίους ἄνδρας.

Primum autem requirit in muliere timorem Dei, & studium uniuersum pietatis, Deinde uult eiucere in omni conuersione studium & amorem

rem Castitatis, cum qua coniuncta sit Mansuetudo, omnem acerbitatem, fastũ, & morositatem uitans. Huic uirtuti comes esse debet ἡσύχιον πνεῦμα, modestè ac tranquillè præstans scãulitatem in suæ œconomiæ gubernatione, frenans curiositatem, & inquietudinem discursantem per alienas domos, & ibi multa querulantem, scisscitantem, reformantem. His omnibus accedere uult Petrus reuerentiam erga maritum, quæ cum obseruantia obediat, & aliqua ipsius errata & infirmitatem toleret & dissimulet. Hæc pulcherrima ornamenta, quæ Petrus requirit in pia matrefamilias, in hac matrona fuerunt excellentia. Nam & uerbi diuini semper studiosissima fuit ipsa, & filias summa diligentia ad agnitionẽ et timorem Dei assuefecit, suamq; pietatem cum per totam uitam amore ac ueneratione ministerij, & honesta morum gubernatione declarauit: tum imprimis tempore morbi ostendit, quando edidit egregiam confessionem de præcipuis doctrinæ partibus, quarum ad salutem necessaria est cognitio, & integras sententias easq; prolixas ex scriptis Propheticis et Apostolicis memoriter pronunciauit, quibus sese, & maritum mœrentem, & hoc, quod euenit, anxiè metuentem, erexit, & ardentissimis gemitibus pias precationes, quarum copia & uarietate ex Psalmis Dauidicis & aliunde instructa erat, recitauit,

tauit, & crebro repetiuit, cum admiratione circumstantium. Et ut de cæteris uirtutibus hic non dicamus, quas diuus Petrus uult in pia muliere elucere, quarum testimonia uera habet ab omnibus uicinis & notis, egregia & constans fuit ipsius erga maritum reuerentia & amor, quem audiuimus sæpe prædicantem, hanc sibi à Deo singulari beneficio concessam fœlicitatem, quod uxorem haberet sua bonitate et obedientia omnes sibi coniugij molestias & difficultates mitigantẽ & lenientem. Cum igitur & pater tam præstanti filia, & Maritus tali socia uitæ, laborum, curarum, tolerantiæ & inuocationis orbatus sit, quorum utrũq; merito suo nobis carissimus est, non possumus ipsorum luctum, grauissimas habentem causas, sine acerbissimo dolore aspicere. Sed consilium Dei immutabiliter bonum, & haud dubiè etiam boni causa institutum, & nobis etiam reipsa tandem bonum appariturum, cum causas eius in consuetudine Dei æterna coram cernemus, nunc & ipsos propinquos & nos boni consulere decet, & hac nos consolatione erigere, quod uidimus eam Deo conditori animam reddere cum pijssima confessione, & ardenti inuocatione filij Dei Domini nostri Iesu Christi, qui iureiurando de talibus adfirmat: Amen, Amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Item:

Ego

Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet.

Nullum igitur nobis dubium esse debet, quin hæc matrona sit in numero eorum, de quibus scriptura inquit: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Et confirmet nos in eadem spe hoc Pauli dictum: σωθήσεται ἡ γυνὴ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης. Quare suam mœsticiam Pater & Maritus ex orbitatis consideratione & dissolutione suauissimæ consuetudinis ortam leniant, his & alijs promissionibus diuinis, quibus confirmamur, Deum adesse uelle afflictis & contritis corde, & protectorem et nutritorem fore orphanorum & qualiteruncq; orbatorum. Cum autem deceat nos ostendere, quod tanto luctu horum uirorum, qui de Academia & studijs discentium iam multis annis optime sunt meriti, serio afficiamur, reuerenter oramus et hortamur omnes Alumnos Academiæ huius, ut hoc triste officium præstent his eruditissimis uiris, collegis nostris, præceptoribus suis, quod ante 63. dies nostræ domui calamitosæ præstiterunt, Vt hodie hora quarta uespertina ante ædes M. Sebastiani conuenientes, deductionem funeris adiuuent, & simul Deum orent, ut hanc Scholam, & illius

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000156

fideles & sedulos gubernatores clementer tueatur, & conseruet. Data 22. Iunij, Anno 1560.

DECANVS COLLEGII MEDICORVM IN ACADEmia VVitebergensi, Vitus Ortel VVinsheimius, Artium & Medicinæ Doctor.

INstituti sunt in Scholis hi congressus publici, cum testimonium tribuitur illis, qui in superiores ordines transferuntur, cumq; fit renunciatio graduum, ob eam præcipuè causam, ut à multis concordi pectore, et ore, fiat compreeatio ad Deum, ut ipse hoc donum suum, hoc est, sobriam et sanam doctrinam, qua post sacratissimam uerbum suum nihil maius, nec diuinius dedit humano generi, contra Satanam infensissimum hostem, ut ueritatis, ita omnis ueræ doctrinæ, clementer tueatur, & conseruet pacem ac tranquillitatem Scholarum hospitijs, Scholisq; tribuat, ad doctrinarum studia excolenda. Et tam docentes, quam discentes faciat organa gratiæ, ac misericordiæ suæ. Hæc inquã prima, ac præcipua causa est horũ congressuum. Accedunt deinde & aliæ causæ, ut hæc spectacula in oculos incurrentia, in iuuenum mentibus excitent studium, & amorem uirtutis, ac doctrinæ & testimonij renunciatio ut fiat in honesto ac celebri cœtu, ubi iuuentus utiliter de studijs suis, et honestis officijs admoneatur, & erudiatur. Tales congressus Deo placent, quem precamur, ut eos, & in his ueram ac sinceram ueritatis doctrinã clementer tueatur. Conseretur autem ad diem Martis proximum titulus et gradus Doctoris in arte Medica, honesto ac docto uiro Magistro Iohanni Schutler Crossensi, in Sacello, quod arci adiunctũ est. Huic publicæ renunciationi, ut intersint, clarissimos dominos Doctores et Magistros oramus, Scholasticos quoq; hortamur, ut hos congressus ament & frequentent, in quib. conspectus tot præstantiũ, et doctissimorũ uirorũ ac præceptorum, illis, si non sunt βέβηλοι, iucundus esse debet, et coniunctio precũ grata est pijs mentib. Collegij nostri officia uicissim erga Academiã, et singulos quouis tempore constabunt. Deus omnibus nobis clementer adsit, nosq; Spiritu sancto suo regat, ut quæ faciamus, grata sint illi per Christum filium suum, Amen. Decimo Calendas Iunij, Anno 1560.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACademia VVitebergensi.

ORba parẽte suo schola nrã Melanthone cæsa
Mille grauis luctus mille doloris habet, (sas
Nam decus amisit nullis reparabile seclis,
Amisit columẽ præsidiumq; suum. Amisit

Amisit uitam: quia non modo gloria, uerum &
Vnica Musarum uita Philippus erat.
Vnicus ut Charitum flos flore nitentior omni,
Vnica sic uerae lux pietatis erat,
Et doctrinarum Sol unicus: occidit ergo
Sol studiosorum morte Philippe tua,
Praeripit Charitum uer irrevocabile, Phœbi
Occidit heu longa nocte sepultus honor,
Pierioq; choro spes omnis adempta reliquit
Ah desiderium triste Philippe tui.
Præside, signifero, duce, uindice, & excubitore
Doctrinæ studijs castra dicata carent.
Musicus ordo caret patre, præceptore, patrono,
Nostra caret summis hac schola morte bonis.
Vt solet excusso fluitans errare magistro
Turbine & in scopulos aut uada nauis agi,
Quæ tuto cursum tenuit prius æquore, donec
Puppe sedens celsa nauita rexit iter:
Sic ratis amisso nauclero nostra fideli
Iam uada cum scopulis naufragiumq; timet,
Sic rectoris egens Academia nostra periti
Ventorum metuit seuiciamq; maris.
Raptor ut insidias explorat ouilia circum
(Tunc ubi pastorem sensit abesse) lupus,
Inaestoditum captant pecus utq; leones,
Dum gliscit rabies extimulante fame:

Haud

Haud secus erepto nobis pastore Philippo
Insidiabuntur iam sine fine lupi,
Quos leuis ambitio, quos liuor, & impius error,
Sanguinis extimulat quos rabiosa sitis,
Quos face quos agitans torto trux angue Megæra
Semina dissidij spargere dira iubet,
Quosq; ueneniferis monstris ira complet Erinnys
Vt nisi sint furiæ sint nisi monstra nihil.
Hactenus at contraq; lupos contraq; leones
Hæc Schola Christe tuo numine tuta fuit,
Tu nos gnate Dei gestasti pastor ut agnos
Lactentes gremio fertq; fouetq; suo:
Ipse gubernator, turbantibus æquora uentis,
Seruasti, uehimur, qua modo, membra ratis:
Nos alæ texere tuæ, sub tegmine condit
Alarum teneras ut sua mater aues:
Te stetimus uires te suppeditante uigorem,
Teq; salutiferam subijciente manum,
Non aliter: succos quam sufficiente salubres
Vite, uiget gemmas palmes & auctus agit.
Nunc quoq; desertum bone respice pastor ouile,
Quemq; redemisti Christe tuere gregem,
Agmine seuorum ne ui grassante luporum
Inaustoditæ dilanientur oues:
Sis portus profugæ sis anchora fida carinæ,
Naufraga ne pereat fluctibus hausta maris,

Nauigij

Nauigij laceras tabulas & fragmina noſtri
Tu refice, in medijs quando fatiſcit aquis:
Nec pater eſſe ſcholæ nec rector deſine noſtræ,
Complectens alis noſq; foueto tuis:
Palmes & ut ſuccos è uite trahitq; uigorem,
Numine uiuifica nos tua membra tuo:
His & in alueolis examina collige, uerbi
Dulcia quæ ſtipent puraq; mella tui,
Quæq; colant hortos cœleſti rore rigatos,
Quæq; ſalutifero non niſi fonte bibant.
Hæc patris ipſe tui perfer Mediator ad aures
Et ſimul aſſenſu facrata uota tuo,
Qui λόγος æterni qui lux qui uiua parentis
Effigies, cuſtos agminis eſq; tui.
Nos licet orbatos tali iam præſide, qualem
Vix prior ulla tulit nec feret ulla dies,
Præſidij ſpes Chriſte tui confirmat, & addens
Ceu uires animis in ſtatione tenet,
Ne uelut abiectis fugiamus turpiter haſtis,
Dum pedes amiſſum clamat equesq; ducem,
Caſtra ſed ut tantò tueamur fortius orba
Iam duce, nos quanto plura pericla premunt.
Ac quoniam prodeſt Tyronum noſſe labores,
Nunc ad cenſuram uos uoco more ſcholæ,
Doctrinæ ſpecimen qui ſunt monſtrare parati
Vt decet hos iubeo nomina ferre mihi:

Non

Non illis noſtrum ſtudium nec amica uoluntas
Decrit ingenijs officioſa bonis.

Caſpar Cruciger.

IN PRÆLECTIONEM LIBELLI DE Anima.

PLato ſapienter nos admonet oraculi γνῶθι σεαυτὸν quo nobis præcipi oſtēdit, ut quantum fieri poteſt animæ noſtræ naturam, eiusq; diuinas actiones conſideremus. Sed nos qui ueræ Eccleſiæ ciues ſumus, quibus religionis ac pietatis ſtudium commendatum eſt, multo magis huius doctrinæ de anima cognitionem nobis expetendam iudicemus, cum diuina oracula ſæpè de reparanda imagine præcipiant. Non poſſunt autem dignitatem excellentiamq; hominis, qui ad imaginē Dei conditus eſt, multo minus reparationem tam præclari doni, intelligere, qui ne quidem cogitant, ubi aut qualis ſit. Vtrumq; ſignificatur, cum homo dicitur eſſe imago Dei, uidelicet qualis ſit Deus, & qualis ſit condita natura. Sicut Deus eſt ſubſtantia intelligens, & quidem talis in qua lucet hæc ſapientia diſcernens iuſta, & iniuſta, & habens liberrimam uoluntatem, iuſtam, fontem

lætitiæ

Læticiæ, & uitæ æternæ, Sic conditus est homo, ut esset natura intelligens, in qua lucet noticia Dei ac sapientia, & habens uoluntatem liberam, uolentem congruentia cum uoluntate Dei, plenam fiducia, & lætitia in Deo, & dominantem inferioribus uiribus sine earum contumacia, sine peccato & morte. Filius Dei in Euangelio λόγος nominatur, & imago æterni patris. Huius appellationis ratio intelligi non potest, si non ab ijs imaginibus quas mens format exemplum sumatur. In homine mens cum cogitat quidpiam, eius rei subitam imaginem gignit, cuius mirandæ pictiuræ ac celeritatis causas non penitus perspicimus, nisi quod umbram nobis grauissimæ doctrinæ proponat. Vt mens imagines gignit, ita æternus pater genuit characterem suæ substantiæ, ut Pauli uerbis utar, qui λόγος dicitur: Præterea & animæ partes in disputationibus, quæ sæpè in doctrina Ecclesiæ agitantur, sunt discernendæ. Paulus inquit in primo capite Epistolæ ad Romanos: Homines ueritatem in iniusticia captiuam detinere. Huius dicti explicatio ex discrimine potentiarum sumitur, ueritatem nominat ueras noticias de Deo, & de lege quæ in potentia cognoscente lucet. Sed potentia appetens auersa est à Deo, nec in uoluntate, nec in corde sunt motus & flammæ congruentes cum lege Dei, Nec instituí in hac pagella

omnes

omnes utilitates huius doctrinæ commemorare, quas suos loco declarabimus, tantum affirmo, cum multæ insignes disputationes sine cognitione doctrinæ de potentijs animæ dextræ explicari nõ possint, plurimum studij ac operæ à studiosis huic Philosophiæ parti impendendum. Quare reuerendi Præceptoris ac patris domini Philippi sanctissimæ memoriæ libellũ, qui de anima inscribitur, enarrare constitui, ac operam dabo ut de rebus tantis utiles ac necessariæ disputationes rectè explicentur. Die Iohannis Baptistæ, Anno 1560.

Albertus Lemeigerus
Hamburgensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caspar Peucerus artis Medicæ Doctor &c.

NErui *sunt gubernationis nostræ præcipui uocatio in iudicium, quam citationem uocat, et* Ἀρεσὸρ. *Illa admonentur scholastici, ut accusati et uocati pareant mandato et sententiæ Academiæ, sistant sese, audiant accusationem, & de hac respondeant, & causæ cognitionem, ac disceptationem Senatui Academiæ permit-*

tat, cum ea, qua par est reuerentia & subiectione. Hoc retinentur rei, ut causæ compositionem, & litium finem expectent. Qui uocati non comparent reasata petulanter obedientia, aut obligati ὀρκίῳ spreta religione iurisiurandi discedunt, fiunt periuri & infames. Hæc uolumus considerare adolescentes, ut magnificere religionem promissi consuescant, quo Academiæ obstringuntur, nec datam fidem temere uiolent, aut fallant. Sciant etiam nostra interesse plurimum, ut horum neruorum conseruetur autorias. Cum autem N. N. natus in oppido N. accersitus ad Senatum Academiæ, non comparuerit, uocamus eum denuo, ac præcipimus ei, ut cras hora duodecima adsit eo in loco, in quo iudicia Academiæ habentur, ut sententiam audiat. Quod si non obtemperarit, fiet quod legibus nostris constitutum est, cum ea, qua id fieri oportet, seueritate. Die 36. Iunij Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caspar Peucerus Artis Medicæ Doctor &c.

FAcile est imperiũ in bonis, ait uetus & sapiens comicus. Boni enim non solũ pudore et liberalitate, sed multo magis pia cogitatione

ne, ei respectu uoluntatis diuinæ serio flagitantis, & præcipientis disciplinæ studia, in officio continentur. Hi sciunt Academias esse ueræ et incorruptæ doctrinæ de Deo, & de eius erga genus humanam clementissima uoluntate per Filium Dominum nostrum Iesum Christum patefacta, & è sinu æterni Patris allata, & secundum hanc honestissimarum artium, & uirtutum, quæ præcipua generis humani ornamenta sunt, officinas esse debere. Talium nos & frequentia, atq; conuictu, & pietate, ac uirtute delectamur. Sed his admixti sunt aliqui petulantes ὑβρίσαι, & contumaces, Dei, hominũ, literarũ, et disciplinæ coemptores, qui prætextu, & titulo Scholasticorum infinitam licentiam exitiosam sibi ipsis, ordini Scholastico turpem, & in Deum, ac magistratus contumeliosam, sibi quærunt et usurpant, qui cũ impediant aliorum studia, et tranquillitatem, hostes doctrinarum potius, quam Scholastici censendi sunt. Hi sciant nos nequaquam concessuros esse, ut sua petulantia, uel aliorum studijs, et quieti impedimento sint, uel contumelia Deum, honestissimas leges Academiæ, ad quarum præscriptum nos uiuere, conueniebat, Siquidem & illustrissimi Principis, Electoris Saxoniæ liberalitate, & munificentia, & immunitatibus, ac priuilegijs communibus frui uellent, impunè adficiant. Sed usuros nos esse nostro iure in

ijs relegandis, et eijciendis è noſtro cœtu, Etſi profecto in tanta laxatione diſciplinæ etiam hæc pœna nimium leuis eſt. Non dubitent autem ſic à nobis puniti, niſi ſeſe emendauerint, Deo grauiores pœnas daturos eſſe. Nunc ſignificamus N. N. N. *cum ſæpius contra Leges Academiæ deliquerit, ac toties admonitus in uiam non redeat, ſeueritatis contra ſe uſurpandæ iterum cauſam iuſtam dediſſe. Nam & paſtoris cuiuſdam pij & docti uiri ſeruum nuper nulla re læſus ab ipſo, impudenter pulſauit, & uocatus à Rectore ad dicendam cauſam, iuriſdictionis noſtræ neruum contempſit, & poſtea honeſti ciuis, & de ſe priuatim bene meriti, cognati ſui domum, & feneſtras noctu lapidibus oppugnauit. Quare relegamus eum ex hac Academia annos quatuor.*

Cæteros autem pios & honeſtos Scholæ alumnos iuniores admonemus uoluntatis diuinæ, quæ uetat leges, iudicia, & ciuilis uitæ ordinem contemni, ne & ipſi temere in pœnas legibus conſtitutas incurrant, & iram Dei *aduerſus ſeſe irritent. Sit omnibus ſemper in conſpectu, & infigatur animis grauiſſima Syracidæ ſententia Capite 33.* Ἀνὴρ σόφος ὃς μισήσει νόμον ὁδ' ὑποκρίνομενος ἐν αὐτῷ, ὡς ἐν ναυσὶ γίδι πλοῦν, *Vir ſapiens non odit legem,* Hypocrita *uero non ſerio adſentiens legi, erit uelut cymba in ſæua tempeſtate, hoc eſt, fluctibus ærumnarum obruetur, et in calamitatibus conſolationem non habebit,* Hac triſti Dei deſertione, *nihil cogitari poteſt horribilius, aut atrocius. Quare & Deum timeamus, & honeſta morum gubernatione iuuemus & noſtram & aliorum publicam tranquillitatem. Die 27. Iunij, Anno 1560.*

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caſpar Peucerus Artis medicæ Doctor &c.

SEmper nocuit honeſtiſſimis ordinibus leuitas et peruerſitas eorum, qui non quid profeſſionem ſuam deceret & ordini glorioſum eſſet, quæſiuerunt, ſed cupiditatibus ſuis inſeruientes ea quibus ad ſalutem communem ſocietatis humanæ uti debuiſſent, ad commoda priuata ſua conuerterunt, ſiue ut rem facerent, ſiue ut alios ſupplantarent, ſeu quoquoq; inhoneſto conſilio alio, quæ etiam ſi maliciam coniunctam habent, tamen de errore iudicij exiſtunt omnia, Itaq; Plato uirtutem ſapientiam facit, cum à turpitudine nunquam abſit ſtulticia. Atq; haud ſcio an omnibus temporibus hoc genus communitatibus honeſtis plus nocuerit, quàm hoſtes & oppugnatores harum ma-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000162

nifesti. Nam ut de ijs qui sapientiæ et doctrinæ studium professi fuerunt, atq; ita de nostro ordine dicamus, quo non est, si uere iudicetur, honestior alius, de his igitur ut dicamus, Aristophanis calumniæ, quibus contra Socratem utitur, sapientissimum & innocentissimum uirum minimè infamant, quippe quas uita & moribus suis refutauit, cum Poëta ille operam dederit accusatoribus Socratis, siue conductus ab his, siue sua sponte priuato odio indulgens quod comici habuerunt in Philosophos. Sed illæ Epigrammatum & Lucianicæ atq; aliorum insectationes, quæ contra Philosophos extant illorum temporum quibus non magis nominis & professionis dignitatem tueri potuerunt, & neq; uita neq; doctrina probati speciem tantum appellationis inanis ostentarunt, hæ scilicet notam inurunt illis Pseudophilosophis tetram & grauem, ut quam ipsi sua culpa contraxerunt, quod reuera tales essent quales describuntur, & suam deformitatem, non picturas illas aliorum accusare potuerint, Atq; ita simul Philosophia, res omnium rerum pulcerrima, derisa & exagitata fuit futilium & nihili hominum uicio, qui se pro Philosophis haberi uellent. Quæ hoc tempore quasi præfari libuit in dolore nostro, quem ad omnes tam nostræ iurisdictioni subditos quam externos alios testamur nos accepisse ingentem, postquam ad nos delatum

delatum est de leuitate, impudentia et audacia quorundam, qui scriptionibus suis non tantum huic Academiæ & Oppido, sed ordini Scholastico uniuerso turpitudinem, dedecus & labem inferunt. Quemadmodum enim aluearia cum alias pestes suas habent, tum eos qui φῶρες & κηφῆνες appellantur, Ita comperimus quosdam ex Scholasticis nostris, & testimonijs quæ ab Academia nostra consecuta fuerunt, & officinis typographicis huius oppidi ad quæstum suum longo iam tempore turpissime abuti. Primum enim, ut lenissime dicamus, minime digna scripta quæ publicè legantur, neq; uisa neq; approbata ab ijs quibus inspectio et quasi censura eorum quæ typis exprimenda sunt, commissa est, talia igitur ut exprimantur non bonis artibus perficiunt, Postea cum illis chartis mendiculis quasi Cynici quidem βακτροπερσαίται uagantur, & stipem colligunt, non dissimiles illi Druidarum soboli, qui superioribus annis circumcursitantes errones Scholastici cognominabantur. Alij multo peiores & fuci & stelliones aliena scripta tam à Collegio nostro quam ab alijs priuatis edita, mutatis titulis & initijs, atq; assutis procœmijs nouis pro suis uenditare ausi sunt, & ut quæstus mendicitatis illius sit uberior, & sua illa scripta et aliena utriq; illi pluribus inscribunt et dedicant, Epistolis tantummodo nuncupatorijs, ut

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000163

uocant, mutatis, & sæpe ne totis quidem, sed nominibus tantum nouis insertis. Etsi autem uerum est priscos illos dedicationes tales librorum suorum & nuncupationũ procemia non usurpasse, ut Homeri, Hesiodi, Herodoti, Thucydidis & aliorum scripta arguunt, ueterem tamen usum esse horum manifestum est, nam originem habuisse uel saltem increbuisse uidentur temporibus ijs, quibus Aristoteles cœpit suas quasdam disputationes edere, quas exotericas uocauit, in quibus singulis usus fuit procemijs, ut scribit Cicero. Postea uero cum à regibus inprimis Aegyptijs doctrinæ scripta requirerentur, magis etiam & frequentius docti usurparunt, cum ad reges illos sua & aliena scripta mitterent. Hunc igitur si non priscum, ueterem tamen & admodum antiquum morem, quo sapientes illi & ad ornanda scripta sua, & commendanda præstantibus potentia & dignitate uiris doctrinæ studia, etiam ad celebrationẽ eorum, qui digni uiderentur, usi fuere, Et qui per se plus commoditatis in literis complectitur, quàm hoc loco dici attinet, Hunc morem inquam illud genus ad suã καπηλικὴν accommodat, cauponans Musas & literas, quod Pyrrhus de bello fieri intolerandum iudicabat. Cuius generis audacia eo usq; processit, ut nuper repertus sit, qui ad plures quàm quadraginta urbes tabellarium cum talibus scriptis

scriptis suis hinc ablegarit, et in quæcunq; scripta propter nomen autoris unius certi non expressum irrepere potuit, ea cum procemio à se assuto circumferenda pro suis dederit. Deferuntur ad nos querelæ multarum honestarum ciuitatum, quæ singulis pene mensibus tales mendiculos scriptores ad se uenire significant, neq; ciuitates tantum, sed ampliores etiam ordines de hoc ad nos conquesti sunt, & alicubi in uincula coniectum comperimus tabellariũ qui cũ libris stellionis & falsarij unius talis ablegatus, cuiusmodi mercẽ circumferret non sciuit miser neq; scire potuit. In his quantum mali insit, quantũq; dedecus hæc afferant Academiæ et discipulis huius, uel ordini potius nostro uniuerso, quantum etiam detrimenti hinc existat ijs Scholasticis, qui ope et subleuatione bonorum digni sunt, eamq; honesto modo quærunt, ab alijs æstimari (præsertim cum in promtu sit hoc facere omnibus) quàm à nobis explicari malumus, quos iampridem mentionis huius publico nomine pudet & piget, Qui ne cum ijs quidem scriptis quæ inspecta et approbata à nobis sunt, talem mendicitatem usurpari uolumus. Nemini paupertatem exprobramus, quam ille etiam ignarus religionis ueræ Poëtæ μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων esse pronunciauit, Sed ad uerum gloriæ studium, & subsidia uitæ pia & honesta quærenda nostros uniuersos ad-

 horta-

hortamur, Atq; illam minime honestam κτῆσιν, uel facinora potius leuitatis & audaciæ, Academia nostra hac publica significatione sua, ad suos & externos omnes testatur sibi minime placere. Et displicere sibi nuper declarauit ijs, qui facinorum illorum de quibus dictum est, coniuncti fuere, quibus quæ pœna irrogata fuerit ipsi norunt, & declarabit deinceps, qua par est seueritate, ad omnes qui iurisdictioni huius subiecti sunt. Typographorum autem perfidiam punient ij, ad quos pertinet. Quod restat igitur & hortamur & oramus nostros uniuersos et singulos, ut suo quisq; loco res communes & ornare & tueri studeat, quæq; his labem aspergere aut detrimenta afferre possunt, in se & alijs pro uiribus reprimat & auertat. Nam etsi uerum est quod ille dixit, uigilandum esse semper, multas esse insidias bonis, tamen hoc tempore nostro multo magis nobis uigilantia opus est, quo tanquam in naui spoliata gubernatore, omnibus à partibus sese pericula ostendunt multiplicia. Nos igitur nostram officium præstemus, & inuocemus filium Dei, qui est σωτὴρ Ecclesiæ suæ, & promisit opem omnibus inuocantibus eum in ueritate. P P. Prid. CL. VL. Anno 1560.

IN HOMERI PRAELECTIONEM.

VT

VT splendet inter ardui stellas cœli
Sol luminosi sons & ætheris decus,
Suaq; luce complet alta sydera
Nec orbe toto pulcrius corpus lucet.

Sic docta quotquot orbe toto carmina
Scripsere uates inclyti, & dein scribent
Homerus unus antecellit omnibus
Inuentione rerum & eloquentia
Exempla dans & argumenta posteris
Scribendi, inexhaustusq; fons tamen manens.

Docebit hoc uel nobilissimus Liber
Quo missa Pelidæ, refertur, irato
De Principum suasu, grauis Legatio.

Ignotus hic Poëta cui fuit prius,
Non sit modo æstimator omnium rudis
Rerum, uel aspernator improbus, sinet
His se moneri uersibus salubriter.

Cognosce primum iudicaq; postea
Quæ sint Homeri scripta, uel cuiusmodi,
Vltroq; dices, calculum iungens tuum
Antiquitatis totius suffragijs.

Vates Homero nullus eruditior
Vates Homero nullus eloquentior.

Quod ergo sit fœlix & omnibus faustum
Interpretari scripta, sicut cœpimus,

Est

Est constitutum, uatis optimi, nobis
Cum diligentia fideq; pristina
Librumq; nonum Crastina ordiar die.

Quarto Nonas Iulias.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caspar Peucerus Artis Medicæ Doctor &c.

HOdie *decessit ex hac uita adolescens, Dauid Lutherus, natus in Eleutheropoli ulteriorum Elysiorum, quod oppidum tum propter Ecclesiam rectè sentientem de Deo, & constanter amplectentem ac profitentem ueram doctrinam filij Dei, tum propter recte, & prudenter constituta studia adolescentiæ celebre est. Ecclesiam filij Dei docet, & gubernat ibi fœliciter reuerendus uir pietate, fide, doctrina, & constantia in confessione doctrinæ insignis, Iohannes Gigas. Studia adolescentiæ magna cum laude formauit & rexit Erasmus Benedictus, uir doctissimus, & de patria optimè meritus, qui quidem & scholam*

scholam ea sapientia constituit, ut nunc etiam post mortẽ ipsius floreat, & frequentetur. His doctoribus & præceptoribus hic Dauid à teneris rectè institutus in doctrina de Deo, et assuefactus ad ueræ inuocationis & pietatis exercitia, primarum etiam artium rudimentis mediocriter excultus, Vratislauiam uenit ad Iohannem Cratonem artis Medicæ Doctorem, uirum uirtute, omnium artium, ac disciplinarum scientia, in primis uerò artis medicæ peritia, & fœlicissimis medicationibus clarissimum, qui cum adolescentem propter indolem idoneam ad literas, ac sedulitatem in domesticis officijs mirifice diligeret, commendauit eum clarissimo uiro Magistro Petro Vincentio. Huic postea cum de consilio Cratonis uenisset in hanc Academiam, uberioris ingenij cultus capiendi causa, seruiuit fideliter & diligenter huc usq;, ita ut non minus quã Cratoni fidem eidem, & diligentiam in omni officiorum ac ministeriorum domesticorum genere probarit. Extinctus est autem ardenti totius corporis incendio, quod de magna exarsit putredine humorum crudorũ, quos immoderatius usus fructibus crudis, ut Cerasis, in hoc æstu restinguendæ sitis causa contraxerat ac coaceruarat. In agone sese filio Dei commendauit ardentibus precibus, & huius sese fiducia erexit, & consolatus est, plenus spe, & desiderio uitæ cœlestis, in qua

eorum

coram aſpecturus eſſet filium Dei, & denuo colloquaturus cum ſuo præceptore Philippo Melanthone. Funus ei fiet hora tertia, cuius deducendi cauſa, ut conueniant Scholaſtici ante ædes Magiſtri Petri Vincentij mandamus, & quidem ut hoc officio ipſi etiam Magiſtro Petro, tanquam Præceptori optimè meritò, cum minister eius fuerit, ſtudia ſua & beneuolentiam declarent, iuſtiſſimum eſt. Cumq; ceremoniæ funebres inſtitutæ ſint non ad ociosa ſpectacula, ſed ut de futura reſurrectione mortuorum, & æterna beatorum uita, nos commonefaciant, ſinguli ſeſe, & ſuam, ac publicam uniuerſorum ſalutem Deo commendent, ac cogitent, unicam eſſe perpetuam patriam cœleſtem, & hanc expetendam eſſe, ὁ γὰρ λόγος ἀλλὰ μᾶλλον ἔργον, præparatis ad eam animis, aſſidua meditatione doctrinæ de filio Dei, & repetitione conſolationum, quæ in ea doctrina propoſitæ ſunt. Sitis etiam diligentiores in regenda ualetudine, & morborum cauſis, atq; occaſionibus uitandis, neq; intemperantia uim adferatis corporibus ueſtris. Conſtitutio cœli uerè Auſtrina, calida, & humida commouet ῥεύματα καὶ ἐπιδόσεις. Aeſtu torrefacta, & reſoluta corpora fatiſcunt, & elangueſcunt, & miſcentur æſtui ex interuallis crebræ & impetuoſæ tempeſtates cum pluuijs largis, & aquarum exundationibus, quæ corpora æſtu

ra æſtu laxata replent humoribus alienis. Hi uero à natura imbecilli deſtituti putreſcunt, & alieno calori in corpore fomitem præbent ac pabulũ. Incenſi ergo calore interno & externo ſitim concipitis, quam reſtincturi flammam augetis, & corpora magis aggrauatis. Multi etiam fructibus ſeſe implent quærentes refrigeria, quibus putreſcentibus febrium & inflammationum incendia exiſtunt, ac fluxionum commotiones, quarum quæ inteſtina exulcerant, dyſſenterias cient. Obteſtamur uos itaq; ut parcẽtes ualetudini ueſtræ, ab eſu crudorum fructuum uobis temperetis, & ingurgitationes in hoc æſtu moderemini. Cum enim ipſa cœli κατάσασις per ſeſe corpora ſatis affligat, ſi accedat intemperantior uiuendi ratio, neceſſe eſt, naturam tandem obrutam, uerè crudorum humorum, & putredinis, atq; incendij uehementia proſtratam, aut fluxionibus exhauſtam ſuccumbere. Obtemperetis ergo præcepto Pauli, qui iubet, ut habeatis honorem corporibus ueſtris, quæ condita ad imaginem Dei ſunt, & ſunt domicilia Dei, in quibus Spiritus ſanctus ſuos afflatus ſpiritibus ueſtris miſcet. Die 10. Iulij,
Anno 1560.

TVMV-

TVMVLVS IOHANNIS GIGANTIS.

Corporis ossa mei posui hic anima incolit astra,
Nec moritur nitens sanguine Christe tuo.
Quã fœlix, quemcunq; hodie Deus euocat, ille est,
Ne uideat fessa tristia damna ratis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Caspar Peucerus artis Medicæ Doctor &c.

TErtiam orbis habitati partem ueteres uocarunt Libyam, appellatione facta ex Hebræo Laban, quæ uox album significat, allusione quadam, ut opinor, ad candidum terræ colorem, qui talis est propter aëris nitentem serenitatem ex uicini & uertici perpetuo imminentis solis splendore, propter deustarum arenarum candorem, & propter conspicuam Atlantis montis ex niuium nitore albedinem, quem inde clarum montem hodie Nautæ cogminant. Posteriores eandem Aphricam græco nomine uocarunt, ὥσπερ ἀνεὺ φρικῆς οὖσαν, nomine partis toti tractui imposito. Aphrica enim proprie pars fuit Libyæ inter Cyrenaicam & Numidiam. Hodie totam Libyæ litto-

littoralem oram à frœto Herculeo per Tingitanam & Cæsariensem Mauritaniam, et per Numidiam, Aphricam, Cyrenaicam & Marmaricam ad Aegyptum usq; porrectam secundum maris littus, Vno nomine Barbariam nominant ab incolis Barbaris, qui post mutatã de præscripto Mahometis religionem, ex Arabia in Aegyptum infusi, indeq; progressi, totam eam oram, expulsis inde Vandalis, qui non multo ante eo ex Hispania traiecerant, subegerunt. Ad eam oram his proximis annis Hispani sæpe naualibus prælijs fœliciter dimicarunt ductu potissimum & auspicio Caroli V. Imperatoris, cum Sarracenis & Turcis, qui Pyraticis direptionibus mare & latrocinijs ac plagijs littora uicina perpetuo infestant ac depopulantur. Carolus ipse successu prosperrimo restituit in Regnum Muleassem Regem Tuneti non procul à ruderibus ueteris Carthaginis, qui Muleasses paulo post à Filio denuo electus & oculis captus, fuit in exercitu Caroli exul hic ad urbem VVitebergam. Pepulerat autem cum regno Hariadenus Barbarossa, nobilis pyrata, patria Mityleneus & suis & Turcicis auxilijs, cum paulo ante in eodem littore occupasset & munijsset Algieram Mauritaniæ urbem, Iubæ ueteris Maurorum regis sede & Iuliæ Cesareæ cognomine in Romanis historijs & recens insigni clade Caroli V. celebrem. Hanc

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000168

Hariadenus & posteri eius retinuerunt exuti regno Tunetano à Carolo. Sequutus est Hariadenum Dorgutes Turca successibus & fœlicitate in Pyratica illo non inferior. Hic occupata Meninge Lotophagorum Insula, quam hodie Gelphes uocant à sinu maritimo ut opinor, & capto in continenti promontorio aduerso Zetha, quod à uicina minore Syrte hodie Zerbe cognominatur, moxq; ex occasione Aphrodisio etiam ad sinum Adrumentinum Regulis Tunetanis adempto, (quod Aphricam uulgo, Mauri Mahadiam uocant) Dynasten sese assensu Tyranni Turcici constituit, & designatus Turcicæ classis Præfectus, in mari mediterraneo diu magno cum dedecore, & multo maiore cum detrimento Christianæ gentis impune, nemine prohibente grassatus est. Hunc ergo cum ante sub Carolo Aphrodisio rursus eiectum, recens etiam ex Lotophagorum Insula classis Hispanica, quæ Hispano, Germano & Italo milite instructa fuit, profligasset, & accessisset inde ad obsidendam Tripolim medio penè loco sitam inter Syrten utramq; in ueteri Aphrica, quam adhuc Pyrata tenet, ibi uel loci uel roboris sui fiducia paulo securior, improuiso aduentu Turcicæ classis oppressa, & partim in hostium redacta potestatem, partim submersa magna ex parte periit, paucis nauibus fuga seruatis, tanto cũ detrimento publico,

publico, ut cladem maiorem memoria multorum seculorum non perpessus esse Christianus orbis existimetur. Id factum est die Mensis Maij undecima. Nunc imminet Pyrata Melitæ Insulæ, quæ Malthæ nomine hodie nota & Pauli Apostoli naufragio celebris, sola penè Rhodiensibus dominis reliqua est. Sed & hanc relicturus & Siciliam atq; Italiam potius tentaturus creditur, de quibus, cum defensoribus destituantur, & toto mari dominentur Turcæ, quid futurum putamus? de nobis uero, quid hisce auulsis & aditu per has terras ad Germaniam patefacto, quarum obiectu hactenus tuta fuit? Expediunt arma Turcæ & in Pannonia, repetituri Zigettum, quos usuros hoc successu non dubitemus. A septentrione uero paulatim propius accedunt Ruteni, quos Moscos nominant, ueteri ut opinor appellatione μοσχοι κῶν, quorum in Asia ad Meotidem & pontum Euxinum sedem antiquitus fuisse constat, & trahunt hi secum magna agmina Tartarorum. Hæc dum ab his terris & à conspectu nostro longius, non ita multo post ad nos etiam peruasuras calamitates, nobis minitantur & denunciant, interea ante fores & ante oculos nostros fruges iam demetendas, et colligendas ac reponendas ad usum, tempestatibus prosterni, confringi, radicitus extirpari, aut inundationibus obrui ac mergi, uel absorberi hiati-

hiatibus, uel ruentium aquarum impetu abripi, oppidaq; & uicos igne cœlesti conflagrare, deniq; omnia certam nobis famem à frumenti & pabuli penuria portendere cernimus, quorum utrumq; totics prædixit reuerendus Pater & Præceptor noster Philippus Melanthon, quando monitu Spiritus sancti absq; omni dubio præsagiens animo magnitudinem futurarum calamitatum, cum gemitu & lacrymis & summa obtestatione uestri, uos horum periculorum exaggeratione cohortabatur ad resipiscentiam, uitaq; & morum seriam emendationem, & ad ardenter atq; assidue precandum. Metuebat ille Germaniæ præcipuè à duabus rebus: A fame, propter helluationes hominum, luxum, ac diffluentem luxuria & libidimibus uitam ἀσελγειαν: Ab irruptionibus Turcicis & Ruthenicis propter ὕβριν omnium ordinum, & contemptum doctrinæ cœlestis atq; Idolatriam, quæ à quibusdam cædibus immanibus & sanguine, ab alijs Sophismatum præstigijs stabiliretur. Et has notasse irruptiones conijciebat Prophetam exclamantem Psalmo 120. Heu mihi quod peregrinus sum in Mesech, & habito in tabernaculis Kedar. Significari autem appellationibus Mesech & Kedar Moscos & Arabes non est obscurum, & consentaneũ est uoluisse Prophetam pingere hæc postrema tempora, quibus Ecclesia sit exulatura inter has

has duas barbaras gentes omnium truculentissimas, quarum utramq; imminere ceruicibus nostris ex propinquo conspicamur.

Obsecramus uos ergo Scholastici, ne has dei ra diuina testificantes calamitates, & cætera maiorum malorum prænuncia signa contemnatis, nec paternas commonefactiones nostras rideatis aut aspernemini, nec feritate morum & legum ac disciplinæ omnis contemptu grauius irritetis iram Dei, & pœnas in nos iam directas acceleretis. Sed detis operam, ut uera animorum pietate et precum ad Deum assiduitate, modestaq; & sancta morum gubernatione & disciplinæ cultu, impetretis à Deo mitigationem præsentium & impendentium malorum. Quouis scopulo duriorem & quauis immaniorem Tigride esse oportet eum, quem cogitatio & conspectus eorum, quæ commemorauimus, non afficit. Ideo has repetimus admonitiones, & ut harum repetendarum esset occasio, decretum est Senatusconsulto Academiæ, ut leges Scholæ recitentur publicè, quibus sui quisq; officij admoneatur. Has ut debita obseruantia colatis, & uera præstetis obedientia, cogitate requiri à uobis autoritate diuina primũ, deinde illustrissimi Principis Ducis Saxoniæ Electoris, tertio & nostra, quam gerimus tributam nobis à Deo & ab illustrissimo Principe Electore. Nec dubitetis Deum uel cessante

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000170

Magistratu disciplinæ contemptũ, & obedientiæ legibus ac Magistratui debitæ, petulantem uel recusationem uel uiolationem puniturũ esse: Rursus pietate & uitæ sanctimonia ac modestia, non dubitetis multas leniri & auerti calamitates, atq; impetrari commoda salutaris gubernationis, pacis ac tranquillitatis, ubertatis rerum in uita fruendarum, defensionis ac protectionis & similium, sicut ad Timotheum dicitur, Pietas habet promissiones præsentis uitæ & futuræ. Nec ulla unquam fuit Ethnica gens tam prophana, aut tam Cyclopicè furiosa, ut uirtutum & honestatis studia non esse necessaria, aut non curare Deum iudicarit discrimen honestorum & turpium, etsi doctrinam Euangelij propriam prorsus ignorauit, De lege diuina uero exiguam particulam retinuit & intellexit. Inter Charondæ leges, quas Thuriensibus tulit, sanciuntur hæc.

σωφρωνείτω ἕκαστος ὥς οὕτω τευξόμενος θεὸν ἵλεον. οὐδεὶς γὰρ κακὸς θεοφιλὴς.

Et Zaleucus in procemio quod suis legibus addidit, præfatur his uerbis:

ὀυ τιμᾶται θεὸς ὑπὸ ἀνθρώπου φαύλου, ἀλλ' ἀρετῇ καὶ προαιρέσει τῶν καλῶν ἔργων καὶ δικαίων.

Mandamus igitur Scholasticis, ut hora 11. ad leges Scholæ audiendas in auditorio Collegij maioris,

ioris, ut uocant, conueniant, quas eo etiam repeti prodest, ne quis delinquens contra leges, sese harum ignoratione tueri possit. Cumq; neq; è repub. sit, neq; utile Scholasticis ipsis, ut uagentur sine certo Magistratu, Præcipimus ijs, qui Catalogo Scholasticorum nondum adscripti sunt, ut si commorari hic et frui immunitate legibus concessa uolent, sua apud Rectorem nomina profiteantur, & huius atq; Academiæ sese submittant autoritati, quæ patriæ proxima & ad salutem, incolumitatem & profectus uestros in studijs optimarum artium, ac doctrinæ cœlestis comparata, ijs nititur & consistit legibus, quas audituri estis. Quod si hoc aliqui contemtu qualiscumq; potestatis nostræ facere recusarint, ij re comperta Magistratui subijcientur, cuius grauius fortasse sunt experturi imperium. Et à corpore nostro uolumus alienos esse, qui odio legum quærunt occasionem, et licentiam liberius uiuendi, ac quiduis potius quam nobiscum coniungi uolunt, quam coniunctionem multi præstantes Principes expetiuerunt, & expetunt ac magnifaciunt. Videant etiam ipsi illi, ne accidat eis, quod de neutralib. ut uulgo, nominantur, seu medijs Aristoteles annotauit, ut sicut qui in medijs ædibus habitant, ab imo infumentur, desuper commaculentur. Die 14. Iulij, Anno 1560.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000171

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caſpar Peucerus Artis Medicæ Doctor &c.

IN Rhetia inferiore non procul à Vindelicorum limitibus, ſitum eſt oppidum Imperij Iſena. Ad hoc oppidum fuit natus honeſtis parentibus Iohannes Straub, Medicus huius oppidi. Is heri ſub horam nonam noctis ex hac uita emigrauit, extinctus maraſmo Senij, qui eſt uere μαράνσις τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, cũ paulatim ætate deficientib. uiribus, & corpore lento, occultoq; calore tabeſcente, tandem aliquot diebus ante mortem corripuiſſet eum ἐκ ὑλωτικῆς τινος defluxio alui largior. Superato enim inſigni climactere anni ſeptuageſimi ſecundi, tertium annum ad ſextum Menſem usq; produxerat. Vixit autem in his terris annis amplius quinquaginta. Totus eius uitæ curſus, qualis fuerit, notũ eſt publicè. Honeſte & grauiter uixiſſe eum, & fide, induſtria, ac fœlicitate in medicando, de plurimis meritum eſſe optime conſtat, & quod in medico præcipuè laude dignum eſt, nunquã uel operæ pepercit ulli in adeundis, & conſiderandis ægrotis, ne occaſiones medicandi negligeret, uel defatigatus eſt aſſiduitate operarum. Excelluit doctrina, iudicij dexteritate,

tate, ac pietate. Cumq; propter maturitatem ætatis et prudentiam magnifieret, in huius oppidi gubernatione operam ordini Senatorio nauauit præclaram. Pietatem animi cum antea totius uitæ integritate, ac honeſtate probarit omnibus, tum uero in hoc extremo actu conſtanter oſtendit. Repetebat enim crebro perſpicuam & illuſtrem fidei ſuæ confeßionem, atq; aßidua, & non intermittente inuocatione ſe filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto commendabat, addens gratiarum actionem, quod ipſum redemptum ſanguine ſuo ad huius Eccleſiæ ſocietatem adiunxiſſet, & commemorabat ſententias, quibus niteretur atq; inſiſteret, & quibus ſe conſolaretur, ac præmuniret ad agonem ultimum. Audiui eum ſæpißime his uerbis exclamantem cum multis ſuſpirijs: Domine confirma in mente & corde meo hanc ſcintillam agnitionis tuæ & fidei, quam Spiritu ſancto tuo per uerbum in me tuum accendiſti. Et uerba Pſalmi addebat: Ne proijcias me in ſenectute mea, & cum defecerit uirtus mea, ne derelinquas me. Meditatione autem migrationis ex hac uita, ac ſpe læticiæ, & uitæ æternæ, in qua eſſet coràm aſpecturus filium Dei, ita erigebat animum, ut auidißime mortem expeteret, et uideretur mœſtior eſſe, quod illa diutius differretur. Cum enim produceretur ægritudo, ſæpe erumpebat in has uoces: Domine fac finem,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000172

& ex hac ærummnoſa uita, transfer me ad læticiam æternam, in qua fruar tua luce pleniore, te radios in me lucis tuæ coram puriſſimos & perfectiſſimos ſpargente, cuius in hac uita guſtum percepi. Filijs & teſtamento, & uiua uoce aliquoties cum animi quadam commotione, ac uoce, etiam contentione, quæ res cordis ardentis uiuis Spiritus Sancti flammis, argumentum erat. His ergo & commendabat doctrinam harum Eccleſiarum comprehenſam in confeßione Auguſtana, præcipiebat timorem Dei, precationes aßiduas, & erga miniſterium Euangelicum, ſtudium, atq; obſeruantiam. Fuit ergo & uir bonus, & medicus bonus, cumq; Deum uerè timuerit, & rectè inuocarit, agnitione, & fiducia filij ad extremum uſq; halitum, annumerandus eſt illis, de quibus ſcriptum eſt: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Sepelietur autem hodie hora quarta. Idcirco hortamur Scholaſticos, ut ad funeris deductionem ante ipſius ædes, quæ non procul abſunt ab arce, conueniant, & qui conſilio, & opera eius in ualetudine curanda, ac recuperanda, uſi ſunt, memores beneficiorum acceptorum, hoc etiam officio, ſuam erga eum gratitudinem declarent. Pij uero aſtitcientes mœritum tot præſtantium uirorum, quibus orbata eſt hactenus Schola & reſpublica huius oppidi, cogitent & ſignum eſſe hunc et cauſam pœnarum

pœnarum publicarum. Petant ergo ut Deus clementer impendentia mala auertat, aut leniat, & alios idoneos Doctores in horum ueſtigia collocet, quorum opera ipſo ducente, & benedicente, lux doctrinæ cœleſtis conſeruetur in hic terris, & coniungantur Eccleſiæ, conſenſu doctrinæ, & inuocationis, ne, quæ turbant Eccleſias & indies ingraueſcunt magis magisq;, ac gliſcunt diſſidia, efficiant maiores diſtractiones. Die 23. Iulij, Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caſpar Peucerus Artis Medicæ Doctor &c.

QVod ſæpè aliàs facimus, iterum non ſolum Scholaſticos monemus, ut uitent intempeſtiuas lucrubrationes, quæ per ſe plurimum ualetudini nocent, Sed etiam ſeuerè prohibemus compotationes, & diſcurſationes nocturnas, quæ & aliorum quietem, ac communem oppidi tranquillitatem turbant, & uerè autoribus pericula accerſunt. Conſtat enim ex illis rixas, clamores, prouocationes, tumultus, dimicationes, cædes, & alia turpia mala, ſæpè orta eſſe. Quorum omnium fœditas & turpitudo non ſolum indigna

digna est, honestißimo docentium & discentium cœtu, ac societate, Sed etiam dolore adficit in pijs Spiritum sanctum, & impedit inuocationem, & illos ipsos nocturnos uagatores corporis & animæ periculis implicat, atq; inuoluit. Hæc autem qui leuia ducunt, omni ferro, & ipsis Caucasi rupibus duriores sunt. Quibus tamen iterum atq; iterum edicimus, cum fuerint deprehensi, nos in eos tanquam in contumaces grauißimè animaduersuros esse, & pro delicti atrocitate uel ex Academia, & oppido cum infamia eiecturos, uel coërcendos politici magistratus carceribus, & pœnis tradituros esse. Non enim ferendum est nobis Scholastico agmini, quod præcipua pars Ecclesiæ est, immixtos turpes heluones titulo Sclolastici nominis impunè barbariem plusquam Cyclopicam, & licentiam infinitam sibi usurpare, In quibus puniendis etiam Politicæ potestas suo officio non defutura est. Nunc autem propter tumultum noctis, quæ proximam præcesßit, in quo uiduæ cuiusdam filius lætaliter uulneratus est, uocamus ad iudicium duos, quorum ad nos nomina delata sunt N. ab N. & N. N. N. quorum alter die ab hinc tertio aufugisse dicitur, alter heri cum stipulata manu fidem dedisset sub iuramento, se non discessurum, simulato periculo ex uulnere, fuga priorem culpam nouo periurio cumulauit. Mandamus ergo illis sub

sub pœna uiolati iuramenti, ut die septimo Augusti hora duodecima sistant se Academiæ Senatui in loco iudicij nostri usitato, qui est in auditorio Iurisconsultorum, & ad accusationem respondeant. Quod nisi fecerint, significamus nos nihilominus in contumaces decretum iustum facturos, & id quantum in nobis est, executuros esse. Sciant etiam se si nostrum iudicium fuga eluserint, alibi tamen, si quid grauius uulnerato acciderit, nequaquam tutos fore. Cæteros autem Scholasticos hortamur propter gloriam Dei, & suam salutem, Ac serio præcipimus, ut in hac schola sanctißima doctrinæ cœlestis, & optimarum artium studia, in quibus plurimos cum laude, & fructu uersari uidemus, uirtute, pietate, & uitæ modestia, ac suauitate morum ornare studeant, mores & obedientiæ legib. debitæ, et diuini præcepti, ἀκριβῶς περιπατεῖτε μὴ ὡς ἀσόφοι ἀλλ' ὡς σόφοι, & dulcißimæ commonefactionis, quæ in Euripidis dicto traditur: Ὃ παυσομαι τὰς χάριτας ταῖς μούσαις συγκαταμιγνὺς ἁδίστην συζυγίαν. Hoc uerum atq; pulcherrimum decus & ornamentũ, qui consequi uolent, quemadmodum uelle omnes debebant, facile fœditatem illam nocturnarum tumultuationum prorsus beluinam & efferam, sua etiam sponte euitabunt. Datæ 2. Augusti, Anno 1560.

DECA-

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MAGIster Caſpar Cruciger VVitebergenſis S. D.

DIes huius Menſis octaua, quæ eſt 6. iduum Auguſti, de hiſtoria Henrici Quarti Imperatoris me admonet, qui eo die mortuus eſt, anno Chriſti 1106. ætatis ſuæ 56. Cumq; Leodij ſepultus eſſet, iniuſto & crudeli Romani Pontificis edicto de ſepulchro rurſus extractus, Spiram translatus, totum quinquennium in templo Spirenſi iacuit inhumatus, denegantibus ſepulturam Epiſcopis: eò quod ab ijs criminibus, quibus in Pontificem deliquiſſe diceretur, nondum eſſet expiatus. Extinctus eſt autem mœrore animi, qui inde extitit, quod (præter alia à Pontificibus iniuſtè & crudeliter aduerſus eum tentata & peracta) etiam Henricus V. filius, eorundem artibus & impulſu, ei imperium abrogauerat, & bellum inſuper denunciarat: niſi priuatus, depoſitis armis, & exercitu dimiſſo ad colloquium accederet, & in eas conditiones conſentiret, quas Pontifices ferebant. Tales ſunt & fuerunt artes Pontificum omni tempore, qui impudenter collatum ab Apoſtolis Eccleſiæ Romanæ primatũ, & alligatum ad ordinariam ſucceſſionem autoritatem commenti,

commenti, oſtentatione & iactatione falſa tituli Catholicæ Eccleſiæ (cùm ſcelera tegerent ſua, & uenditarent idola) terruerunt orbem terrarum.

Contra has præſtigias, quas ſatellites Pontificij ſubinde renouant, et nouis colorum fucis pingunt, ſimus muniti perſpicuis & firmis ſcripturæ teſtimonijs: Primum ſciamus prorſus diuerſum eſſe munus eorum, quibus commendata eſt miniſterij Euangelici procuratio adq; adminiſtratio, à poteſtate Politica. De miniſterio enim ſcriptum eſt: Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Et Iohan. 20. dicitur: Sicut miſit me pater, ita ego mitto uos: Cumq; hæc dixiſſet, afflauit eos, inquiens, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, illis remittuntur, Et quorum reti-
nueritis, retenta erunt. Et 2. Corim. 10. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed efficacia Deo, & ſubigentia omnem intellectum, ut obediat Chriſto, & Marci 10. Qui ſubiectas habent gentes, dominantur eis, & ius ſuum in eas ac poteſtatem exercent: Non eſt autem ea ueſtra conditio. His quid eſt & fuit diſſimilius, quam aulæ Pontificum, & Epiſcoporum, ac ſtudia, conſilia & artificia horum? qui rapta potentia aliena, condiderunt dogmata cœleſti doctrinæ aduerſantia, leges q; ſanxerunt conſtitutionibus aut prohibitio-
nibus

nibus diuinis contrarias, & commissis inter se Monarchijs orbis Christiani, hunc nouis subinde bellorum motibus inuoluerunt.

Deinde firmiter statuamus non posse esse Ecclesiam Dei apud eos, qui polluti idolis, parricidijs et libidinibus, dogmata pugnantia cum fundamento & cultus prohibitos expresso uerbo Dei, pertinaciter retinent ac defendunt, & idola stabiliunt parricidijs. Sed est Ecclesia ille cœtus, qui amplectitur ac profitetur puram Euangelij doctrinam, traditam à filio Dei Domino nostro Iesu Christo, & utitur Sacramentis, ut sunt instituta à filio Dei. Non gignit enim Ecclesia noua dogmata, nec condit Sacramenta noua, sed custos est & interpres doctrinæ in scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensæ, & de his testimonia tradit posteris. Vt cum in 2. Petri Epistola dicitur: Ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίστει ὑμῶν τὴν ἀρετὴν, ἐν δὲ τῇ ἀρετῇ τὴν γνῶσιν, ἐν δὲ τῇ γνώσει τὴν ἐγκράτειαν, ἐν δὲ τῇ ἐγκρατείᾳ τὴν ὑπομονὴν, ἐν δὲ τῇ ὑπομονῇ τὴν εὐσέβειαν, ἐν δὲ τῇ εὐσεβείᾳ τὴν φιλαδελφίαν, ἐν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ἀγάπην. Ecclesia declarans hoc dictum interpretatur uocabula, πίστις est fiducia acquiescens in Mediatore. Ἀρετὴ est fides non ociosa nec ignaua, sed uiua, & efficax, uerè impel-

impellens ad inuocationem Dei, ut celebretur Deus omni officio pietatis. Γνῶσις iudicium est: *ut, ubi est ardens studium rectè faciendi, ibi sit etiam iudicium ne nimium facias, aut pecces in alteram partem.* Ἐγκράτεια est moderatio cibi, potus, uoluptatum, iræ, zeli, & similium affectuum: Hæc enim si modum mensuramq; excedant à naturæ præscriptam, aut ferantur extra metas legibus cœlestib. definitas, contristant Spiritum sanctum, languefaciunt fidem, turbant γνῶσιν, impediunt studium exercendæ pietatis, & inuocationis. ὑπομονὴ est moderatio doloris et mœsticiæ in afflictionibus, & in odijs repressio cupiditatis uindictæ. Εὐσέβεια καὶ φιλαδελφία monent hæc omnia referenda esse ad Dei gloriã, & Ecclesiæ salutem, ut fiant propter Deum, & prosint consociationi Ecclesiæ. Ἀγάπη sinceritatem requirit, ubi absit dolus & hypocrisis.

Cum ergo Ecclesiæ nostræ retineant fundamentum Christi, Prophetarum et Apostolorum, et fideliter reddant doctrinæ uocem ab his Doctoribus acceptam: non dubitamus nos esse in uera Ecclesia filij Dei (de qua scriptum est, Oues meæ uocem meam audiunt) & filium Dei, ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα nostrum certò nos seruaturum esse, sicut promisit: Nemo rapiet oues meas de manibus meis. Sunt autem Scholæ præcipua pars

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000176

ægminis Ecclesiastici: In his enim excoluntur & instruuntur ingenia ad usum Ecclesiæ, quæ artium præsidio carere non potest. Harum enim aliæ genus sermonis, quo Ecclesia utitur, intelligere, et res propriis ac significantibus uerbis explicare: Aliæ ordine tractare dogmata, et ubi opus est illustrare oratione docent: Doctrina numerorum, ope Astronomiæ & Geometriæ numerat et distinguit seriem annorum Ecclesiæ: (Qua si temporum distinctione destitueremur, in quantis uersaremur tenebris?) Physica declarat & illustrat exempla ex rerum natura assumpta, & uires in homine demonstrat atq; discernit. Iccirco institutum est sapienti consilio maiorum, ut ordine per has artes prius ducantur, qui ad doctrinæ sacræ tractationem adhibendi sunt: Inde orta est in Scholis distinctio classium, in quas studia distributa sunt: quam distinctionem conseruare non utile tantum, sed & necessarium est. Et addita sunt Examina & ornamenta honorum, qui conferrentur explo-

Cum autẽ in nostra Academia hæc consuetudo conseruata sit, decretum est, ut 33. honesti & docti uiri, qui priuatim et publicè hactenus auditi sunt, creentur publicè liberalium artium & Philoso-phiæ Magistri, proxima die Iouis. Ad hanc re-

nunciationem oramus, ut conueniant Doctores, Magistri & Scholastici, & nobiscum uota sua precesq; coniungentes, hanc Scholam nostram & salutem uniuersorum filio Dei commendent.

AVDITORIBVS PHYSICES S. D.

DOctrina Physica causarum explicationem profitetur, Causæ autem nomen proprium est eius ὁ θερμὴ κίνησις, quam efficientem uocant, quæ sola causa est, et esse dicitur, quippe cui et causæ definitio tantum conuenit, quæ apud Platonem est δι' ὃ γίγνεται, eamq; Cicero interpretans causam esse dicit, quæ id efficit, cuius est causa, reliquæ alio respectu, aliaq; consideratione causæ appellantur. In Physicis igitur & suauissimam θεωρίαν habet, & doctrinæ illius maxime propriam, efficientium causarum inquisitio, Tales sunt quæ primæ qualitates appellantur in quolibet corpore naturali, Vnde ortus & interitus, mixtiones & mutationes in his omnes, ratio deducit. Ad has disputationes antequam accederetur, & principia rerum naturalium explicari oportuit, & de primis quasi partib. ex quibus corpora componuntur, quæ sunt materia, & forma, & quod hæc, & quomodo discerni oporteat, Item de natura, quid

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000177

sit, & proprietatibus certis corporum quærendum fuit quæ ad materiam fermè spectant omnia, quorum cognitio cum alias utilitates habet, tum huic etiam ipsi causarum inquisitioni in plærisq; inseruit, quemadmodum de methodo doctrinæ Physicæ, ut à ueteribus ea tradita est, sæpè diximus. Ex his uerò subtilibus & minutis disputationibus postquam iam tanquam ex scrupulosis cotibus enauigauit explicatio publica nostra, iam ad pleniora illa et suauiora accedemus, quæ causarum efficientium cognitionem suppeditant, Et hodie, loco noto, & hora nostra tertium librum Physices, Domini Philippi Melanthonis, reuerendæ memoriæ, in ordinaria, & publica doctrina incipiemus, qui de Elementis docet, & qualitatibus eorum, & mutationum & mixtionum causis, Quæ doctrina etsi ex Aristotelicis libris πρὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς, & quarto μετεωρων λογικῶν præcipuè petitur, & quæ in indicato libello nostro exponuntur, inde sunt excerpta plæraq;, omnino tamen sine cognitione aliqua rudimentorum talium in illorum librorum lectione uersari difficile fuerit, Itaq; hæc præcepta de ueteribus illis scriptis quid fieri possit, & debeat uidebitur, & res & tempus subijciet. Doctrinæ autem de qualitatibus et efficacia harum quæ utilitas sit, & quàm latè pateat, noster autor ei præfatur, & nos explicantes illa rectius docere

possimus

possimus, quàm si hoc loco auditoribus nostris eam commendemus. Die 13. Augusti, Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caspar Peucerus Artis medicæ Doctor &c.

FVit in hoc oppido per annos penè quadraginta, & Professoribus Academiæ, & ciuibus notus, Georgius Steger Arithmeticus. Primum enim inter eos locum habuit, quorum opera seruiuit templo Arcis in quotidiana Psalmorum recitatione, & sacrorum publicorum celebratione. Postea relicto illo loco cum abditis superstitionibus repurgata esset uox doctrinæ, uictum quæsiuit instituendis & exercendis adolescentibus in doctrina numerorum, & uulgari Logistice, in qua fidem eius, & diligentiam multis profuisse meminimus. Vixit honestè, sed tenuiter, & cum ætate confectus, & fractus (peruenit enim penè ad annum ætatis septuagesimum) non sine difficultate operas usitatas obiret: tamen ne uel mendicando, uel gratuitum beneficium percipiendo onerare quenquam, sed honestis artibus citra detrimentum aliorum, uictum comparasse, & uitam transegisse diceretur, operas tandiu præstitas ne qui-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000178

dem in extrema ſenectute intermittere uoluit. Is heri circa duodecimam apoplexia extinctus eſt. Cum autem conſtet fuiſſe uirum honeſtum, pium, et timentem Deum, non dubitemus eum eſſe in numero beatorum, ad quos pertinet promiſsio ſalutis, & uitæ æternæ confirmata ſanguine & morte filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Huic funus fiet hora tertia Pomeridiana, quod deducturi ut conueniant ad ædes Academiæ publicas, in quibus eſt Noſocomium, iuxta Vallum, hortamur. Die 13. *Auguſti, Anno* 1560.

SCRIPTVM PRO-POSITVM IN FVNERE PIAE ET pudicæ Virginis Eliſabethæ filiæ reuerendi uiri Georgij Maioris Doctoris & Profeſſoris Theologiæ, cum aliquot Epitaphijs, quæ euocata eſt ex hac uita 14. Auguſti, Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Caſpar Peucerus Artis Medicæ Doctor & Profeſſor.

QVOD ueteri Græco Verſu dicitur: Φοβᾶ τὸ γῆρας οὐ γὰρ ἔρχεται μο-

νος,

νος, id nimis uerum eſſe multi in uita experiuntur. Sæpe enim qui & floruerunt & claruerunt antè honoribus, fortunis, liberorum uirtute & numero, tota priuatæ uitæ conditione, in ipſo limine ſenectæ hac excuſſi fœlicitate conijciuntur in calamitates, quæ & ipſam accelerant, & languorem conſectarum uirium atq; corporis ægritudines adaugent, & animos doloribus perpetuis excruciant. Creſcit enim ferè ſub ætatem ingraueſcentem cum calamitatibus ipſis ſenſus etiam earundem, & urit hic tantò grauius, quantò quis calamitatibus ferendis minus aſſueuit. Res triſtis eſt, ut de cæteris non dicam, & plena ingentium dolorum, uidere interitus liberorum, & eos requirere ac deſiderare oculis atq; animo, in quorum pijs officijs & cultu ac ueneratione, animus mœſticia & perturbationibus defatigatus hilariter acquieſcere, imo quorum recreari conſpectu complexuq; & conſuetudine poſſet, & quorum ſtudio, opera & cura foueri ſenectutis imbecillitas debebat & poterat. Sed ad priuatas & domeſticas ærumnas cum publicæ etiam calamitates accedunt, quid addi poßit, non reperio. Viderat Noha mundum utrunq; ante & poſt diluuium, & inundatione diluuij genus humanum propter peccata deletum eſſe norat, nec fieri potuit, quin propterea in maximis fuerit animi doloribus: Sed quo animo aſpexiſſe eum & tuliſſe

tuliſſe totis trecentis quinquaginta annis poſt di-
luuium exiſtimamus, non tantùm interitus multo-
rum, qui ex ipſo nati erant, in quo minus mali
fortaſsis ineſt, quàm in ſceleribus ipſis & turpitu-
dine: Sed degeneres mores & animos ſuorum, diſ-
ſenſiones, odia, certamina, creſcentem inter ſuos
idolatriam? De his ut cogitarim hoc tempore, &
domeſticæ calamitates reuerendi uiri D. Doctoris
Georgij Maioris, & publica rerum omnium per-
turbatio me admonuerunt. Amiſit is non multo-
rum annorum ſpacio filios ſex: ſed poſtremos
duos nuper admodum. Heri filia Eliſabetha or-
batus eſt, uirgine omnibus ijs dotibus, quæ ſunt
uirginitatis, excellente. Ipſe & annis grauis, &
corpore æger propter attenuatas ætate & morbis
uires decumbit in lecto. Infœlix omnibus his, Sed
eò infœlicior, quòd tot præſtantibus uiris, quorum
opera Deus doctrinam cœleſtem ab erroribus re-
purgatam reſtituit, & eccleſiam ab idolatria mul-
tiplici uindicatam inſtaurauit ac rexit, & quos
duces ipſe & Rectores conſtanter ſequutus eſt,
quod his ergo ſuperſtes, uix dum confirmatam
aliquantulum & teneram adhuc Eccleſiam, ex
doctrinæ ſinceræ ceu ſerenitate, & piæ conſenſio-
nis atq; concordiæ tranquillitate, in pelagus turbu-
lentarum præſtigiarum & contentionum petulan-
tiſſimarum quaſi fluctus quoſdam, furijs malicio-
ſorum

ſorum hominum adigi atq; impelli, horumq; ue-
nenatis dentibus multos uiros ſanctos, et de Eccle-
ſia optimè meritos, uelut caninis aut uiperinis
morſibus, & cum his ſe quoq; præter meritum im-
peti ac lacerari, uulnera deniq; Eccleſiæ exulcera-
ri improbis conatibus eorundem eousq; uidet, ut
ſpes nulla ſanationis relicta eſſe uideatur. His ca-
lamitatibus & priuatis ipſius & publicis, quæ
cum ipſo nobis communes ſunt, ſi non afficeremur,
ἄλογοι prorſus eſſemus et immites. Filia toto ui-
tæ tempore μεριμνῶσα τα τοῦ κυρίου, in hoc omni
ſtudio atq; aſsiduis piæ lectionis, meditationis &
inuocationis exercitijs inaubuit, ut eſſet ἁγία τῷ
σώματι καὶ τῷ πνεύματι, ſiaut Paulus inquit. In
morbo uerò, qui paulatim febrili calore corpus
abſumpſit, repetitis ijs, quib. antè ſeſe inſtruxerat,
ita animũ præparauit & confirmauit ad agonem
ultimũ, ut nil tam quàm lætam & placidam ex hac
uita migrationem expeteret, & qui uitam ei diu-
turniorem optarent ac precarentur, eos reprehen-
deret. Eo die qui mortẽ anteceſsit, conuerſa ad Pa-
rentes & mœſtos ac lacrymantes conſolatura, ne
dolerent, monuit: Sed lætarentur potius, quòd
ad cœleſtem euocaretur Eccleſiam, in qua paulò
poſt iterum uiſuri ipſam & complexuri eſſent.
Deinde in preces effuſa ardentiſsimas, primum
gratias egit Deo æterno patri Domini & Salua-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000180

toris nostri Iesu Christi pro uniuersis beneficijs, in primis uero quod ipsam in uera Ecclesia nasci his parentibus, & ab ijsdem de Deo & filio Dei Domino nostro Iesu Christo rectè erudiri, & ad inuocationem seriam atq; aßiduam adsuefieri uoluisset, longaq; & grata commemoratione celebrauit beneficia, quæ communicasset omnibus credentibus Deus per filium, & pro Ecclesia ac parentum incolumitate, protectione & conseruatione uota fecit. Postea filio Dei Domino nostro Iesu Christo gratias egit, quod constitui Mediator & interpellator noster apud Patrem uoluisset, & assumpta nostra carne uictima factus esset pro peccatis nostris, & patrem persoluto λύτρῳ placasset. Egit & Spiritui sancto gratias, quod hanc agnitionis Dei & fidei lucem in mente ipsius accendisset, deq; hac testaretur in animo ipsius flammulis ueræ ac uiuificæ consolationis, quam experiretur, & simul precata est, hanc lucem fidei & conceptam ex fiducia misericordiæ diuinæ spem uitæ æternæ ac læticiam in corde ipsius fouere ut uellet & augere. Cum his precibus reddidit animam Deo conditori, quæ sine omni dubio nunc demum uerè facta Elisabeth, id est, Dei sese coram ipsi ostendentis et communicantis ναὸς ἅγιος καὶ οἰκητήριον, in quo Deus conquiescet, sicut in beatis omnibus in tota æternitate, colloquitur in Ecclesia

cœlesti

cœlesti cum beatis, de ijs rebus, quas in hac uita ex scriptis Prophetarum & Apostolorum didicit. Fiet autem funus ei hora duodecima, ad quod deducendum ut Scholastici frequentes conueniant ante ædes D. Doctoris Maioris, præcipimus, & in deductione funeris Scholæ huius orbitatem cogitantes, Deum serio & ardenter precentur, ut ipsum D. Doctorem in hac mœsticia publica & priuata consoletur, cui quidem ὥσπερ μηδὲν ἑαυτῷ ἀδικὸν ξυνειδότι ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ παρέστι ἀγαθὴ γηρότροφος οὖσα, contra iniquißimas calumnias & odia planè Cainica hostium nostrorum, & confirmet ei uires corporis & animi, ut in sua statione diutius Ecclesiæ Christi seruire poßit. Die 16. Augusti, Anno 1560.

EPITAPHIVM ELISABETHAE FILIAE REVERENdi uiri D. D. Georgij Maioris de Ecclesia Dei & Schola optimè meriti.

HAC requiescit humo Maioris nata Georgij
Elisabeth, nomen dulce quietis habens.
Hæc inserta fide Christo sub gurgite sacro
Ceu rosa surgebat spéq; fidéq; uirens.
Testis amor uerbi, reuerentiaq; ipsa parentum,
Et casti mores, & sine labe pudor.

Iamq;

Iamq; suos superans pietate & moribus annos
Ornabat patriam filia parua domum:
Cùm febris hanc lenta consumtam tabe peremit,
Nec uerita est tantum mors temerare decus,
Hei mihi quot gemitus uobis uenêre parentes
Poneret ut leto nata tenella caput?
Quotq; iterum plausus uobis uenêre parentes
Clauderet in Christi cum sua fata fide?
Et Christum ingeminans discessu læta supremo
Pro uobis tenero funderet ore preces?
Ergo agite, & mœstos iterum deponite luctus,
Parendum est nobis cum pia fata uocant.
Antè laborabat terris, nunc plena quietis
Tempora agit Christi nata recepta sinu.

Anno 1560.

Iohan. Maior.

EPITAPHIVM PVDICISSIMAE VIRGINIS ELIsabethæ, filiæ reuerendi uiri Domini Georgij Maioris, sacræ Theologiæ Doctoris &c.

FLoribus hoc sparsis amicitur iurè sepulcrum,
Sertaq; purpurei signa pudoris habet.

Nam

Nam tegit Helisabes in operta uirginis urna
Dente uenenatæ membra soluta necis.
In qua forma decens, & idonea gratia morum,
Et simul hospitium dulcis habebat amor.
Cuius in innocuis animis, & corpore puro,
Omnigenæ dotes uirginitatis erant.
Quàm cupida æternæ fuerit, quàm certa salutis,
Iam iam labentis uox documenta dedit.
Progenies Maioris erat, qui fidus & acer
Cœlestem puro semine spargit agrum.
Hic ut iam morti, luc deuincente, propinquam
Alloqueretur, amans prolis, & ingemeret.
Illa, ah chare parens, uultuq; & uoce seuera,
Ah quid das mœsti signa doloris, ait.
Ah curas depone graues, ah comprime fletus,
Tristari natæ ne uideare bonis.
Euocor ex inopis densa caligine mundi
Ad cœli æterna luce nitentis opes.
In Domino morior, nihil & mihi certius, hæres
Quàm sim donantis cœlica regna, Dei.
Transferor ad superos, cùm te quoq; fata uocabunt,
Rursus in Elysijs conueniemus agris.
Tunc me care Parens ibi complecteris abundè,
Parsq; beatorum magna cohortis eris.
Nunc ut sancta tuis Ecclesia dotibus uti,
Et patrem domus hæc possit habere diu,

Te

Te Deus ætherei perfundat flaminis aura,
Quæ tibi sufficiat robora iusta, Vale.

Henricus Mollerus Hessus.

IN TVMVLVM HONESTAE ET PVDICISSIMAE

Virginis Elisabethæ filiæ reuerendi uiri D. Georgij Maioris, Sacræ Theologiæ Doctoris, quæ piè in uera inuocatione Dei obijt 14. die Augusti, Anno Christi 1560. Anno ætatis suæ 18.

HOC etiam mœstus pater Elisabetha sepulcro
Condidit extincti corporis ossa tui.
Molliter in Christo mundi secura quiescis
Contigua, fratres sic soror inter, humo.
Virgo pudoris amans es Christo nupta marito,
Quem fassa es cordis non simulante fide.
Ille tibi solus cordi fuit, ille precantis
Audijt ardentes aure fauente preces.
Mens tua cœlestis fruitur conspectibus aulæ,
Viuit & in Christi læta, uigetq; sinu.
Optat & expectat lucem, cum libera rursus
Reddetur membris consociata suis.
Tunc erit in cunctis plenè Deus omnia sanctis,
Plenaq; tunc nostri gaudia cordis erunt.

Martinus Henricus.

Iob 1.

Iob 1.

Dominus dedit, & Dominus abstulit,
sit nomen Domini benedictum.

EPICEDION IN OBITVM HONESTISSIMAE ET PVdicissimæ

Virginis Elisabethæ Maioris filiæ reuerendi uiri D. Doctoris Georgij Maioris &c.

Ἄτροπε οὐλομένη, καὶ ἀνθρωποῖσιν ἀφύκτη
Ἡ μάλα εἷς χαλεπὴ εὐσεβέεσσι βροτοῖς,
Εἷς σε τι πρῆξε κακὸν δῖος πότε εἰπὲ γέοργος
Ὅττ' αὐτὸν θῆκάς δυσυχῆ ἄνδρα μέγαν.
Φῦσ' οὗτος κρατερὸς μάλα καὶ πεπνυμένους υἱὸς.
Ἐξ οὓς συ πνῖξας κῆρι μελαίνα, ἔχεις.
Τόντ' ἔτι τῷ θυμῷ θάνατον τοι πιστοῦ ἑταίρου
Ἀλγοῦντ' εἰστε νέον γ' ἤγαγες αὖθις ἄχος.
Ὡς συγερωπ' Ἄτροπε κλαυθμὸν καὶ μείζω ἐγείρεις,
Κυδύσῳ τε γεροντ' ἄλγεα πλεῖστα πορεῖς.
Αὐτοι λευγαλέῳ νούσῳ τε τικμένου ἦτορ
Καὶ φθείρεις κεδνην κῆρι θύγατρα λυγρᾷ.

Παρθέ-

Παρθένος ἡδ' ἁγνὴ εἰδῆα ὃς ἤθεα κεδνὰ
Ἥτε κάλον ἦεν τοῖσι τοκεῦσι γέρας
Τ' οὕνεκα τοὺς γονέας τῆς δ' αἰνὸν πένθος ἱκά=
Οττι λίπεν λαμπρὸν γ' ἠελίοιο φάος. (νει
Καὶ μέτα σοῦ ἡμῖν ἄχος ὦ κύδιστε γέωργε
Ἐστὶν καὶ ποτμὸν σοῦ ὀδυνῶμεν ἅμα
Ἀλλὰ τίς ἂν δύναται κρατερῷ Θεῷ ἀντεφε=
(ρίζειν
Πάντες τοι θανάτοι ἐνθάδε γευσόμεθα:
Τέτλαθι ὀῦν μοῖραν ταυτὴν κύδιστε γέωργε,
Σεῖο Ελιζαβετθ τεθνα' ἕκητι θεοῦ,
Ἡδε βίου ξυροῦ ἐπὶ τοι πτερόεντος ἔουσα
Τὸν χριστὸν καλέει ἱμερεούσα θανεῖν.
Γνοῦσα ἑὸν χριστὸν θνήσκει σωτῆρα Ιησοῦν
Ποιμένα τῆς ζώης εἵδε καὶ ἐσσομένης.
Αὐτὴ δορκομένης ὄσσοιν ἐτὶ τὴν χθόνα δῖαν
Ἔλλαβε ὅσσ' ἤτει καὶ παρὰ ἐσθλὰ θεοῦ.
Νῦν δὲ ὅττι μέγιστον ἐκείνη ἐστὶ λαβοῦσα
Τὸν βίον οὐράνιον ἢ ἀστερεόντα πόλον.
Παρθένος ἡδ' ἡμῶν ἀπέβη εἰς εὐρὺν ὄλυμπον
Ἀΐδιον Νύμφον χριστὸν ἔχουσα θεόν. φαις
Ἡ λίπε πορφυρέους στεφάνους ἀλλῆσιν ἀδέλ=
Τέκμωρ παρθενικὸν ταῖς κεφαλῆσι φέρειν.
Ἥδε ἑνα τοῦ Νύμφῳ στέφανον περικάλλεα
Πίστιος ἐν κεφαλῇ ἦλθε φέρουσα, ἑῷ. χριστῷ
Νύμφη

Νύμφη τοῦδ' εστιν μαλακῶς κόλποισι καὶ
(εὕδει
Χριστοῦ, πᾶσι κακοῖς ἢ ἔπλετο λυσάμενη.
Κερδος δὴ γλυκερὸν τούτω θάνατος γε τέ=
Σωτῆρ' ὃς χριστον ἢ εἰδει ἐόντα ἑόν. (τυκται
Χαῖρε γέωργε πικρῶν δακρύων ἐπιλήθεο
Καὶ διδότω νούσου ἰάμα σεῖο θεός. (πάντων,
Χαῖρε μετ' ἀϊδίης ἀλόχου κεδνώντε θυγά=
Καί μετα σοῦ γαμβρου κρελλίου ἰσθι (τρων.
(σάος.

Ιωάννης Βωκήλιος.

EPITAPHIVM.

Ενθάδ' Ἐλιζαβετθ θῆκεν δὴ παρθένος ἁγνὴ
Σῶμα ἑὸν, θυγάτηρ ἡδε γεώργου ἔφυ.
Τοῦ μεγάλου, ὅστις πιστόστε Φιλίππου ἑταῖρος,
Ἥδε σωφρονος ἔην θεῖα διδασκέμεναι.
Παρθενικόντε γέη θαλερὸν νῦν σῶμα καλύπ=
Ἡ ψύχη Νύμφῳ νῦνδε πάρεστι θεῷ. (τεν,
Σῶμ' αὖτις ζήσεν σαρκ' ἥδε ἐπιειμένον ἔσται,
Ὃς ἀστήρτε φανεῖ ἄγλαος ἀντιθεῷ.

EPITAPHIVM ELISABETHAE, FILIAE GEORgij Maoris Doctoris Theologiæ.

HIe ligt ein verwelckts Röselein/
Sampt zweien seiner Brüderlein/
Wartn bis Christus die Soñ erschein
Vnd seine Blümlein in gemein/
Erweck vnd erquicke wider/
Wenn er komen wird ernider/
Da werdn sie grünn in herrligkeit/
Welch jtzt hie ligen in schwacheit.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caspar Peucerus Artis Medicæ Doctor &c.

EA Pædagogiæ pars, quæ continet exercitia externa, pertinentia ad secundam tabulam Decalogi, præcipuè requirit diligentiam in officijs quibusdam iusticiæ, & tuenda temperantia, ac modestia. Iusticiæ propria sunt reuerentia erga Parentes & Præceptores πράττειν τα ἴδια, non turbare quietem, et operas ciuium & aliorum stulta & pernitiosa curiositate, rixis, uociferationibus, barbaricis tumultibus: Temperantiæ sunt, seruare modum cibo & potu naturæ conuenientem, cauere & fugere helluationes immodicas, & ingurgitationes, quibus non tantum ualetudo læditur: Sed mens rapitur extra sese: Modestiæ sunt, in sermone, gestu, incessu, uestitu, & actionibus omnibus, ac moribus uitare obscœnitatem, scurrilitatem, arrogantiam Thrasonicam, leuitatem, conuicia, toruitatem, atrocitatem, et minas. In his rebus petulanter discedere à legibus, & iudicijs Parentum, ac Præceptorum, & aliorum honestorum hominum, initium est exitiosæ contumaciæ, & horribilium furorũ in rebus maximis. Ideo offenduntur grauiter homines honesti, cũ aspiciunt, aut commemorari audiunt exempla negligentiæ & petulantiæ, præsertim in adolescentibus destinatis militiæ literariæ, quæ magistra esse debet harum uirtutum. Nostrum dolorem qui ad docendi militiam, & ad regendam disciplinam delecti sumus, sæpè declaramus commonefactionibus, obtestationib. minis, cumq; his nihil proficimus, pœnis etiam. Plato præclarè dixit: αἰδως καὶ δίκη πολέων κόσμοι καὶ δεσμοι, φιλίας συναγωγοι, τὸν μη δυνάμενον αἰδοῦς καὶ δίκης μετέχειν, κτείνειν ὡς νόσον πόλεως. Complectitur autem uerecundiæ nomine utranq; uirtutem, temperantiam, & modestiam. Nam secundum Menandrum: ταμιεῖον ἐστὶν ἀρετῆς ἡ σωφροσύνη. Contra ἀσωτία principium est, & fons cum aliorum flagitiorum, ac scelerum, tum præcipue immodestiæ, cum ratione turbata & uiribus inferioribus flagrantibus incendio affectuum & appetitionum,

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Hortamur ergò Scholasticos nostros, ut semper mandata Dei, iudicia Parentum et Præceptorum, et ordinem actionum, quem probant homines honesti, in componendis & regendis moribus, intueantur, & sequantur. Cum autem hodie hîc pernoctatura sit Serenissima Regina Daniæ, illustriss. Principis, Electoris Saxoniæ &c. Domini nostri clementissimi socrus: Præcipimus Scolasticis nostris seuere, ut domi se contineant, sint modesti, nec præbeant occasiones tumultibus aut rixis: Sed ostendant honestate uitæ et morum, se uirtutum, & optimarum artium studiosos esse, non petulantiæ, & licentiæ. Prohibemus etiam seuere, ne quis accedat ad machinas bellicas, quæ sub id tempus, cum urbi appropinquarit equitatus, ex uallo displodentur. Comperimus enim heri aliquos, acceptis non leuibus damnis, curiositatis suæ dedisse pœnas, cum incautius sese spectatoribus curiosis admiscuissent. Reliqui ergo & suorum periculorum cogitatione, et exemplo aliorum commonefacti, uitent occasiones. Quod si qui aut plagis repulsi, aut comprehensi, & in carceres detrusi fuerint auctoritate publica illustrissimi Principis Electoris, quomodo inde se liberent, uiderint.

Die Septembris 2. Anno 1560.

THEO-

THEOLOGIÆ STVDIOSIS S. D.

VT Nohæ Arca, ita & Ecclesia, & Scholæ hæc nostra uariis fluctibus, & tempestatibus exposita & quassata, sine duce & gubernatore uisa: tamen à custode filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, sedente ad dexteram æterni Patris mirabiliter in his undis seruata, emersit. Quare ardentibus uotis eundem Rectorem nostræ nauis oremus, ut ipse porrò eius cursum, & omnium remigum consilia & actiones ad Ecclesiæ & Scholæ huius ædificationem, & sui æterni Patris gloriam regat, sicuti præceptum est, Quicquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Etsi aũt in hac longinqua & periculosa nauigatione multas, ac sæuas procellas prospiciamus, et labores nostri non tam multis uideantur profuturi, quã cum sunt Halcyonia: tamẽ ideo non abijciamus remos, sed obtemperemus mandato diuino, quod præcipit operas uocationis, & speremus Deum gubernaturũ euentus. Erigamus nos hac dulcissima consolatione: Labor uester non erit inanis in Domino. Vterq; labor & docendi, & discendi certò placet Deo, & diuinitus mandatus est, & sonant uerba mandati diuini, Narrabis ea filijs

 tuis,

tuis, & quanquam omnes, & docentes & discentes simus infantes, & lactentes: tamen ex talium ore & infirmitate robur et uirtutem suam perficit Deus, ut destruat inimicum & ultorem. Cognoscimus nunc omnes docentes & discentes tantum ex parte, sed tamen huius infirmæ & pueralis cognitionis initia & elementa, in omnibus saluandis uult lucere Deus, sicuti alibi dicit Apostolus: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Omnis qui audiuit à Patre & didicit, uenit ad me. Item: Hæc est uita æterna, & cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Læti igitur cum inuocatione Dei uersemur in labore docendi, & discendi, hoc est, cognoscendi ueri Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & leniamus nobis dolores priuatos & publicos, quibus plurimis premimur, hac spe, quod post hanc uitam certò simus futuri in illa luce, ubi Deus erit omnia in omnibus, ubi in consuetudine cœlesti uidebimus Deum facie ad faciem, & eum ut dulcissimũ patrem coram complectemur, de quo iam, ut infantes, & infantes & pueri sentimus, loquimur, cogitamus, seminamus quidem in lacrymis, sed certi quod in exultatione metemus, sicut inquit Psalmus: Euntes eunt & flentes portant pretiosum

sum semen, uenientes uenient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Deinde opponamus & huic dolori, cum nostri labores in docendo & discendo, non uidentur profuturi multis, ut certo statuamus laborem nostrum non esse inanem in Domino, id est, ipsum filium Dei in hoc suo ministerio efficacem esse, aliquos tamen erudiri, & emendari, & ad colligendam, & conseruandam Ecclesiam, aliquo modo nostros labores, & sedulitatem prodesse, sicuti inquit: Ero uobiscum usq; ad consummationem seculi. Item: Ego ero in ore tuo. Item: Qui manet in me & ego in eo, ille feret fructum copiosum.

Quare etsi propter domesticas & publicas ærumnas in magno sim mœrore, et ualetudo adhuc satis sit adflicta: tamen erectus talibus promissionibus, non frangar animo, nec desperatione uocationis meæ officia omittam, sed quantum Deus mihi iam senescenti roboris ac uirium concesserit, id totum, sicuti fidelem Remigem decet, ad tuendam in hoc communi remigio nostro, stationem meam conferam, & cras Deo iuuante, Epistolæ Pauli ad Thessalonicenses scriptæ, enarrationem exordiar hora tertia. Die 17. Septemb. Anno 1560.

Georgius Maior D.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000187

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caſpar Peucerus Artis medicæ Doctor &c.

ROmanæ hiſtoriæ meminerũt Rhetiæ primæ et ſeandæ, ai Vindeliciã includunt. Vtraq; uerſus Alpes montoſa, uerſus Danubium plana eſt, & campeſtris. Diſtinguitur utraq; Lyco amne, & ſecunda Oeno fluuio ortum uerſus, prima ultra Rhenum & Lacum Brigantinum extenſa, per Alpes Griſonum ad Rhodani fontes terminatur uerſus occaſum, quas iuga Rhetica Tacitus uocat. Poſtea cum fracto & ruente Imperio Romano aliæ gentes alios inuaderent & occuparent tractus, Rhetia utroq; ueteri nomine amiſſo, à nouis colonis Alanis cæpit dicit Alemania. Sed & hoc paulo poſt abolito ſocij Alanorum Sueui, (Hæ duæ gentes enim una cum Vandalis Germaniam, Galliam, et Hiſpaniam peruagatæ Colonias ubiq; condiderunt.) Hoc ergo Sueui abolito confirmata potentia, obtinuerunt, ut ab ipſis Sueuia idem tractus appellaretur, quod nomen & huc usq; conſeruauit. Pars exigua Rhetiæ ſecundæ in extremo uerſus Noricum limite, & ea quidem amœniſſima, frugumq; feraciſſima, uetus nomen retinit, aius Metropolis eſt urbs Norlinga, ſic uel à Boreo

à Boreo limite, uel à uicino Norico cognominata. Hæc urbs una eſt inter primas, quæ excuſſo Ponticificiæ Tyrannidis iugo, & inueteratæ ſuperſtitionis legibus proiectis & radicitus extirpatis, ſeſe ueræ doctrinæ profeſſione atq; cõfeſſione cum noſtra Eccleſia coniunxerunt, atq; hanc coniunctionem ſanctè religioſeq; coluit, neq; auelli ſe à ſocietate confeſſionis periculis ullis paſſa eſt, cum Germania ciuili bello ardente inter medios conſtituta hoſtes, ab utrisq; amicis confœderatis & hoſtibus paria propemodum damna, & pares clades acciperet, & deinceps in hoſtis uictoris poteſtatem redacta, minas atrociores experiretur. Fuit officioſa ſemper in ornandis Eccleſijs, et literarũ ſtudijs iuuandis. Aluit continuo in Academia noſtra munificentia publica magnum numerum Scholaſticorum, quod eò potiſſimum conſilio fecit, ut rectè inſtituti in ea doctrina, quam ipſi probant & ſequuntur, & aſſuefacti ad amorem ac ſtudium ſimplicis ueritatis atq; concordiæ, ſcirent ueſtigijs Præceptorum ipſis inſiſtendum, & conſenſionem cum hac Academia, et Eccleſia tuendam eſſe. In ea urbe natus eſt Ieſſeus Herlin, patre Senatore uiro honeſto & graui, qui cum antea triennium hic uerſatus eſſet, & reuocatus domum, patriæ in gubernandis ac formandis rudioris adoleſcentiæ primis ſtudijs operam nauaſſet annos tres, reditu-

rus ad Academiam in itinere aqua frigida auidius hausta, hepar afflixit. Quod cum dissimulasset, ἀτονία hepatis aucta in διάῤῥοιαν desijt, qua ingrauescente cum frustra institutio et roboratio prostrata prorsus uirtutis in hepate tentata esset, tandem consumptus est. Expirauit autẽ heri hora undecima placidissimè cum edita confessione fidei, sese, & Ecclesiam suæ patriæ, & hanc Scholam ardentibus gemitibus, ac suspirijs commendasset Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo. Tali fine cum uitam clauserit suam, dubium non est, quin sit in numero, seu cœtu beatorum, de quo dicitur: Iustorũ animæ in manu Domini sunt. Pater etiam, quanquam orbatus est filio, in quo fuit indoles præstans, eruditio egregia, ætas matura rebus gerendis, & qui iam ostenderat, quantum posset esse usui Ecclesiæ ac reipublicæ: tamen eò se consolatur, quod non amiserit, sed præmiserit filium in uitam beatorum plenam æterna luce, in qua coràm cernit Deum, & filium Dei, et Spiritum sanctum, Imo est uerum & uiuum totius trinitatis domicilium, propius cognoscit & considerat, ac rectius intelligit causas arcanorum consiliorum diuinitatis, quæ in uerbo patefacta sunt, & aut sic conditi simus. Fiet autem funus huic Iessæo hodie hora duodecima, Ad hoc deducendum conueniant Scholastici, ante ædes clarissimi uiri, D. Doctoris Melchioris

chioris Fendij, quæ sunt ad Vallum in platea figulina, quæ uocatur, Chreichgoia. Et in funere uota faciant pro Ecclesia, quæ Sophistarum petulantia horribiliter lacerata, uerè est σῶμα ἀθέως καὶ ἄζυμος διεφθαρμένον, ut Deus sanet Ecclesiæ uulnera, coniunctione plurimorum contra præstigias Sophistarum, quæ uelut unguis in ulcere, ne unquam uulnera uetera Ecclesiam prohibent. Pridie Michaelis, Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,
Caspar Peucerus artis Medicæ Doctor & Professor.

DEstinatus est crastinus dies memoriæ Castorum Angelorum, quo Ecclesia repetit & cum gratiarum actione celebrat beneficia, quæ Deus excubijs & præsidio Angelorum præstat pijs cœtibus publice, priuatim singulis. Hæc quanta sint nemo non in suis & suorum periculis creberrime experitur, & nota sunt exempla, quæ semper sint in conspectu, ut de præsentia Angelorum & sollicitudine horum pro nobis, ac uicissim de reuerentia erga hos custodes uitæ ac corporum nostrorum, nos commonefaciant, & excitent animos ad gratiarum actionem erga Deum,

Deum, quod tali præsidio munit ac tuetur nos miseros aduersus immanem rabiem & callidissime structas insidias hostium Diabolorum. Duces Saxoniæ fratres Electores Fridericus & Iohannes Torga naui descenderunt VVitebergam, cum recens rupta glacie Albis intumuisset, & prægrandes glaciei moles ueheret: Hæ impetu undarum ad nauim allisæ, ita eam quassarunt, ut cum VVitebergæ ad uicinam ripam adducta esset, uix egressis principibus carina nauis mox late finderetur, & latera resoluta deciderent. Intuentur id spectaculum principes stantes in ripa magna cum admiratione, & quanto in periculo fuerint cogitantes, agnoscunt solos sanctos Angelos compagem iunctarum trabium fulcijsse, ne fatiscceret ac dilaberetur, priusquam enataßet, & gratias agunt Deo, quod ex hoc ipsos periculo clementer eripuißet ac seruaßet. Talia sibi accidisse plurima reperiet quisq; , qui uitæ suæ seriem diligentius retexuerit. Ethnicis persuasum erat peruulgata opinione, quæ ex ueteris ac primæ doctrinæ uestigijs adhuc reliqua fuit: Cuilibet homini, quam primum in lucem prodijsset, sorte decerni & adiungi duos genios, quos græci dæmonas quasi δαήμονας uocabant, eosq; adesse homini toto uitæ tempore, & eo extincto animam ad orcum deducere. Vnum ex his bonum genium, Alterum malum

lum esse credebant. Illi tribuebant quicquid prospere euenisset, Ab hoc tristia noxiaq; oriri & infligi censebant: Illũ procurare ac promouere quæ ex re nostra essent, ac defendere quem in fidem patrociniumq; suum accepisset, atq; arcere pericula nocumentaq; , & aduersari alteri quantum posset, hortatoremq; esse & impulsorem ad honesta ac salutaria consilia, studia, & actiones, unde eum ἀποτροπαῖον, ἀλεξίκακον, λύσιον: Φύξιον, δαίμονα λύοντα τὰς ἄρας nominabant: Hunc contra interuertere & elidere res bonas, calamitates uero & incommoda tum inuehere, tum si impenderent maturare, atq; in capita nostra cogere ac uelut per præceps agere, omninoq; ad scelera & flagitia incitare, & ex his ad uitæ pericula adigere, uel in subitum præcipitare exitium putabant, unde ἀλιτήριον, πρηστροπαῖον, παλαμναῖον, & δαίμονα πυροῦντα τὰς ἄρας nuncupabant. Extant & inter Menandri fragmenta hi uersus,

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπολίσεται,
ἐυθὺς γενομένῳ μυσαγωγὸς βίᾳ.

Sed aliter de discrimine bonorum & malorum Angelorum, deq; utrorumq; origine, & malorum lapsu ac pœnis, bonorum confirmatione, sacræ nos literæ in Ecclesia docent. Condidit Deus Angelos

Angelos utrosq; substantia spirituali finita, ex nihilo: De bonorum enim Angelorum substantia dicitur, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ardentem. Quem Psalmi locum Basilius cum interpretatur, inquit: οὐσία ἔνιν τὸ ἀέρεον πνεῦμα εἴ τύχοι ἢ πῦρ ἄϋλον. Et indidit utrisq; noticias legis & alias, καὶ ἐν τῇ προαιρέσει τὸ αὐτεξούσιον, cum iustitia. Sed mali μὴ τηρήσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν ἀλλὰ ἀπολίποντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον, ut est in Epistola Iudæ, propria uoluntate libere sese auerterunt à Deo contempto filio Dei: Ideo abiecti in pœnas sine fine nunc furunt odio Dei, sunt ψευσταὶ καὶ ἀνθρωποκτόνοι, & odio Dei sciunt in genus humanum, impellunt alios ad alia scelera, ad blasphemias, ad mendacia, ad cædes, ad libidinum confusiones. Sunt enim πνεύματα ἐναντία, Neq; hoc faciunt ut ipsis sit melius, sed ut Deum & filium Dei contumelijs afficiant, nec uoluntate & ordinatione, sed permissu Dei, hominibus insidiantur & nocent. Angeli boni perseuerarunt in ordinata obedientia, suntq; confirmati in bono, uidelicet, in dilectione Dei & piorum hominum, in ueritate & castitate: ut se eis diuinitas inter spirituales naturas patefaciat, sicut Christus inquit: Angeli eorum uident faciem Patris mei, qui in cœlis est, et ut nunquam à Deo deficiant.

ficiant. Nam ut rectè Basilius inquit: τελείωσις τῶν ἀγγέλων ἔστιν ἁγιασμὸς αὐτῶν, καὶ ἡ ἐν τούτῳ διαμονὴ, ἁγιασμὸς δὲ διὰ κοινωνίας τοῦ πνεύματος ἁγίου. Ideo sunt & dicuntur Angeli electi & sancti, quia non desciuerunt ab obedientia, in qua sunt conditi, & confirmati Spiritu sancto iam sunt sancti τελειώσει seu consummatione, non ut credentes in hac uita, qui ex lapsu restituti tantum sancti sunt imputatione & inchoatione, donec erunt consummatione sancti in cœlesti & æterna uita. Quanquam autem sunt præstantiores naturæ quam homines, tamen & constitutione ac mandato diuino & ueræ humilitatis studio præsto sunt ac seruiunt Ecclesiæ. Ideo in Epistola ad Ebræos uocantur λειτουργικὰ πνεύματα, destinata ministerio Ecclesiæ. Et Psal. 90. dicitur: Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Cum ergo præsidia sanctorum Angelorum comparata ac uelut in perpetua statione collocata sint ad piorum custodiam ac defensionem, quantopere his nobis opus sit, et quantis periculis expositi simus undequaq;, singuli cogimur, & ardenter à Deo petant, ab his custodibus & excubitoribus ne unquam deserantur: Inuitent etiam atq; alliciant eosdem singuli ad amorem sui crebris seriæ inuocationis Dei exercitijs, obedientia erga Deum, reuerentia erga Præceptores, diligentia

gentia in discenda uera doctrina, casta & honesta morum gubernatione. Illos uero ἀλάστορας, qui petulanter Deum, autoritatem magistratus, admonitiones, obtestationes, & castigationes paternas, et honestiorum iudicia contemnunt, Hos ergo atq; horum barbaricas discursationes, Cyclopicas commessationes et dimicationes, obscœnitatem, scurrilitatem, grassationes quæ seditionum speciem habent, & similia quibus sancti angeli maximo dolore afficiuntur, & alienantur atq; abiguntur, pij execrentur et fugiant, ne horum societate contaminentur. Nec quisquam sibi blandiatur spe perpetuæ impunitatis delictorum, nec latere posse putet perpetuo ea præsertim, quæ in magistratus committuntur, quibus illatæ contumeliæ & iniuriæ non tam ad ipsos pertinent quã ad Deum ordinis politici autorem & defensorem. Non dubium est, Deum ipsum retrahere ad pœnã seditiose tumultuantes & grassatores, quod et Menandri carmine indicatur: ἄγει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην: quod quidem tunc fit maxime, cum læti animis & securi superasse se pericula & pœnas euasisse credunt. Imo unumquemq; sua persequuntur facinora, ac uelut iniectis compedibus et uinculis constringunt, pœnisq; præter opinionem inuoluunt, ut Prouerb. 5. dicitur: πρανομίαι ἄνδρα ἀγρεύουσι σειραῖς τῶν ἑαυτοῦ ἁμαρτημάτων ἕκαστος σφίγγεται.

Circum-

Circumretit enim uis atq; iniuria quemq;,
Atq; unde exorta est ad eum plerunq; reuertit,
Nec facile est placidam & pacatam degere uitam
Qui uiolat factis communia fœdera pacis.
Etsi fallit enim diuûm genus atq; humanum,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet.
Quippe ubi se multi per somnia sæpe loquentes
Aut morbo delirantes protraxe feruntur.
Et celata diu in medium peccata dedisse.

Sed ut maxime res accurate occultetur, conscientia tamen non liberatur culpa, quæ tandem sensu perpetrati facinoris perculsa et turbata ita angitur & exagitatur, ut conquiescere nequeat: κακία γὰρ σιωπηθεῖσα ἕλκος ὕπουλον ἐστὶν ἐν ψυχῇ, Id cum recrudescit, urget & urit acrius multo quam initio. Et sunt per se cruciatus animorum quam corporum longe seuiores. Cum autem hoc die, ut alijs tribus festis celebrioribus reliquorum trium anni quadrantum, usitatum sit uetusto more & instituto Scholæ declarare gratitudinem erga ministeriũ publica testificatione: præcipimus Scholasticis nostris, ut cras frequentes adsint in Templo, et singuli oblatione muneris sui ad altare studium erga ministerium uerbi suum ac reuerentiam ostendentes, hoc etiam officio sanctos Angelos sibi deuinciant. Die Castorum Angelorum 1560.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000192

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Caſpar Peucerus Artis Medicæ Doctor & Profeſſor.

CElebratur ſententia Solonis, qui dixit: Optimum eſſe ciuitatis ſtatum, in qua boni honoribus adficiantur, & improbi pœnis. In quorũ altero uoluntas noſtra, et ſtudium ſingulare notum eſt bonis omnibus, qui uel inſtitutione doctrinarũ, quæ in hac Academia, Dei beneficio, rectè & ſedulo repetuntur, uel commendatione honorifica unquam à nobis iuuari aut ornari potuerunt. In cõhorcendis autem & puniendis improbis optaremus politicam poteſtatem ſeueriorem eſſe. Nam nos qui gladio armati non ſumus, poſtea quam contumaces ut infames & ἀλιτόρρας ex ſocietate Academiæ excluſimus, officio noſtro perfuncti ſumus. Qua tamen ipſa ſeueritate non niſi cum ἐπιεικείᾳ & ſumma moderatione uti ſolemus, præſertim erga ſanabiles. Sed aliquorum tanta eſt impudentia, ut paterna lenitate nequaquam flectantur ad emendationem, Sed ea potius ad confirmandam improbitatem & audaciam abuentur. Aduerſus tales ſeueritatis adhibendæ ſummam nobis adferri neceſſitatem omnes intelligunt. Lata eſt ãñ communib. Senatus noſtri ſuffragijs propter

propter ſæpius iterata quædam enormia delicta ante aliquot ſeptimanas in quendam Scholaſticum N. N. N. ſententia relegationis, quam de aliquot honeſtorum hominum, maximeq; uiri Nobilitate generis, ſapientia, uirtuteq; præſtantiſſimi Domini Adriani à Steinberg in ditione Electorali præfecti Supremi, benigneq; de Academia meriti, amici noſtri ſummi interceſſione, ita mitigauimus, ut priuata indicatione ſententiæ noſtræ contenti eam non publicaremus. Ac ſperauceramus condemnatum N. beneficio interceſſionis præfecti, & lenitatis noſtræ rectè uſurũ, & ſententiæ ad præfinitum tempus reuerenter ut par erat, obtemperaturum eſſe. Nunc illudi & præfecto & nobis ab ipſo uidemus. Nam nec ad præſcriptum tempus diſceſſit, et poſtea diſceſſu ſimulato, præter et contra edictum ſententiæ noſtræ ſtatim reuerſus tanquam feroculus miles in foro & plateis plumatus multas iam ſeptimanas circumuolitare non uerecatur, neglecta contemptaq; & noſtra, & Senatus auctoritate. Ea uero exempli peſſimi improbitas, contumacia, & inſolentia eſt, Quam neq; bonus quiſquam probare poteſt, & nos ad eam connicere non oportet. Ac talem magiſtratus contemptum non ſolum leges ciuiles puniunt, Sed etiam Deus ipſe deteſtatur, ſicut oſtendit dictum Pauli: Obedientiam præcipiens, non ſolũ propter iram,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000193

Sed etiam propter conſcientiam. Quare nunc publicè ſignificamus nos hunc N. ab Academiæ ſocietate propter impudentem contumaciam prorſus & perpetuo excluſum uelle, & eundem hoc ipſo iam publicè propoſito edicto excludere. Ac decreti noſtri grauiſſimas cauſas habemus. Vult enim Deus ſicut doctrinæ ita uirtutis & modeſtiæ officinas atq; magiſtras eſſe Academias, non ferociæ et improbitatis theatra, cui ut obtemperemus, neceſſe eſt καθάρματα hominum inſanabilium eiici, ne exemplo & ſocietate alijs noceant. Politica etiam poteſtas, quæ gladio armata eſt, poſt hanc publicationem edicti & ſententiæ noſtræ, non defutura eſt ſuo officio. Hortamur autem cæteros ſtudioſos propter gloriam Dei & ſuam ſalutem, ut ſint pij, modeſti, tranquilli, nec polluant ſe ſocietate & contubernio improborum & contumacium, ne eis accidat quod ſapientiſſimi uerſus Theognidis monent recitati à Platone in Menone:

(σὺν θεῷ καὶ παρὰ τοῖς πίνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖ ἶσε καὶ ἄνδανε τοῖς ὧν μεγάλη δύναμις ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλα διδάξεαι· ἢν δὲ (κακοῖς συμμίγῃς ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νοῦν.

Oramus autem filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut ipſe præſidio Angelorum ſuorum clementer protegat Academiam noſtram & has regiones, in quibus ſonat pura uox Euangelij, & ſit cuſtos diſciplinæ, & efficiat nos omnes σπεύδειν ἐλεύθερος, ut ſtudia doctrinæ in quibus uerſamur, ſalutaria ſint Eccleſiæ, reipublicæ, nobis ipſis, & alijs. Calendis Octobris, Anno 1560.

STVDIOSIS VTILISSIMAE DOCTRINAE, QVAE traditur in titulo inſtitutionum de Nuptijs S. D.

SAcra res lectus ſociale fœdus,
Quod Deus ſanxit ſapiens & idem
Caſtus & purus, uoluitq; certa
Lege teneri.

Et uelut caſtæ Deus eſt origo
Mentis, & caſtas poſuit iugalis
Vinculi leges, ita uota caſtæ
Vult quoq; mentis.

Non Deum plenis data thura acerris,
Mentis & caſtæ pia uota placant:
Illius conſtans manet hæc uoluntas
Omne per ævum.

Cœtus hic laudes igitur meretur,
Qui Deum caſtè colit, & pudicis
Moribus uiuit, licitiq; ſeruat
Fœdera lecti.
Hoc decus iuſtè tribuatur iſti
Cœtui, & Chriſti ſacra quem regit uox,
Cuius & noſtro patefacta ſeclo
Splendida lux eſt.
Ethnicos inter reliquos libido
Regnat, hæc illis grauis eſt ruina
Cauſa, quos imi rapiens Auerni
Sorbet hiatus.
Teſtis eſt mundi ſeries peracta,
Quod Deo, nullus placet impudicus,
Qui uagis flammis, uetitiq; amoris
Ignibus ardet.
Hinc potens quondam perijt ſub armis
Græcia, & fontes, domus alta, Thebæ:
Vrbis at quid nunc preciosa tecta?
Luſtra ferarum.
Ergo diuinam timeamus iram,
Eſt Deus uindex grauis, at iugalem
Adprobat lectum, iubet & pudicam
Degere uitam.
Nuptias autem, thalamiq; ſancti
Pacta deſcribens titulo diſerto,

Legifer

Legifer caſtum docet Imperator
Pangere fœdus.
Caſtitas ergò, thalamiq; leges
Cui placent, cepto faueat labori,
Vtile eſt cunctis ſacra nuptiarum
Noſcere iura.
Hunc tibi exponam Titulum iuuentus
Nec fides deerit mea, nec labores:
Chriſte tu præſens faciles docentis
Dirige greſſus.

Ioannes Cnor.

SCRIPTVM PVBLICE PROPOSITVM IN ACADEMIA VVitebergenſi, quo decreto & ſententia Senatus Academiæ pronunciantur infames, periuri, & à ſocietate Academiæ excluſi nonnulli, qui in publicum Magiſtratum petulanter deliquerunt.

SENATVS ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

EXiſtimant uiolatores legum Academiæ facinoroſi & improbi, ſecum præclarè actum eſſe, cum turbata Cyclopicis uociferationi-

bus precatione, quiete, & somno Præceptorum suorum et aliorum hominum in Academia & oppido, aut eiectis petulanter fenestris, conubiæ noctis silentio, & caligine uelut Orci galea tecti, aut oppidanarum excubiarum, uel imbecillitate, uel negligentia tanquam Gygis annulo freti declinatis legum pœnis semel atq; iterum impunè euadunt. Hi scelere suo satis ostendunt se non intelligere periculi magnitudinem, quod ipsis denunciat uox diuina, præcipiens, ut obedientiam præstent non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quo in loco obedientiæ uerbo non tantum, ut in politicis Legibus, iusta officia externa, sed quiddam amplius postulari, declarat doctrina cœlestis, cum flagitat Honore adfici Magistratus. Significat enim obedientiæ summum gradum Honorem esse, complectentem duas res, quas Deus ab omnium ordinum hominibus serio flagitat, Primum honorificam animi opinionẽ, qua statuatur, Ordinem politicum, Imperia, & Magistratus esse res à Deo institutas, & defendi ope diuina, sicut scriptum est: Ego dixi dij estis. Item: Stetit Deus in medio Deorum, Et quidem uelle Deum genus humanum gubernari in ciuili uitæ consuetudine, certis Legibus, & frenari scelerum licentiam, & uelle conspici iram, & iudicium suum aduersus hominum scelera in pœuis, quemadmodum homicida-

cidarum, incestorum, Tyrannorum, grassatorum, et omnium, qui periurijs se contaminant pœnæ & exitus tragici euidenti documento sunt, totum Politicum ordinem, Imperia, Magistratus, leges, iudicia, pœnas, esse opera Dei, in quibus sapientia Dei, iustitia, & bonitas conspicitur. Ad hanc deinde honorificam cogitationem, uult Deus accedere alteram honoris partem, ut uoluntas humana ultrò & uero studio subijciat sese imperijs propter Deum horum authorem, ac uenereturq, & amet Leges, & Magistratus ipsos tanquam diuinitus constitutos Politici ordinis, & humanæ tranquillitatis custodes. Secus cum fit, intermina-tur uox diuina non modo iram, quæ pœnas Ciuiles significat, sed etiam conscientiæ reatum tristem, & horribiles cruciatus, quo malo nullum potest dici atrocius. Rea enim conscientia, deseritur homo à Deo, non regitur, nec defenditur ope diuina, Sed torquetur metu perpetuo non solum impendentium pœnarum in hac uita, sed etiam æternæ iræ, offensi contumaciter uindicis Dei post hanc uitam, nisi fiat noua ad Deum conuersio, ut ostendunt tragici & æterni interitus Absolonis, Semei, Iudæ, & similium multorum. In horum numero & ordine collocent sese cum alij omnes, qui contra religiosam iuramenti Academiæ præstiti obligationem, contra mandata Dei, contra

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000196

leges, & contra bonos mores, nocturnis temporibus latronum more in quieta & tranquilla ciuitate uagantur, uociferantur, tumultuantur, grassantur, & fores, ac fenestras domorum, perinde ut fit in seditionibus perfringunt, & populantur, atrociori barbarie quàm si hostes Scythæ, & Moschi urbe potiti essent: tum uero ac præcipuè scelerati illi, & periuri grassatores, qui nuper eò audaciæ processerunt, ut spreto respectu & ueneratione, quæ Academiæ gubernatori, ac Rectori Magnifico, Domino nostro, neglecta religiosa memoria sanctissimorum erga uniuersam Ecclesiam, & Scholasticum ordinem ubiq; meritorum & beneficiorũ, communis nostri Præceptoris, sed sperata ex nocturnis tenebris impunitate facinoris sui, ei domui, parietibus, & fenestris petulantissimè perfractis & defœdatis, intra quas Reuerendus ille & uerè sanctus Vir, quem in uita inimici etiam & hostes propter eruditionem, ueram pietatem, & multa eximia Dei dona, & merita in rempub. uenerati sunt, tot præclara monumenta plena pietatis, doctrinæ, & consolationis ad Ecclesiæ & posteritatis instructionem, & usum elaborauit, sceleratas manus admoliri, & uim ac contumeliam turpiter facere non sint reueriti, illi, inquimus, sciant se non tantum ciuiles pœnas meritos esse, sed ream fecisse conscientiam contempti Dei, qui ut in omni-

omnibus alijs cœtibus, ita in Ecclesia, cuius pars est Scholasticum agmen, præcipuè uult lucere disciplinæ decus, et seuere flagitat hunc sui cultum, quo adficitur à studiosis præstanda reuerentia, pietate, & obedientia erga Magistratum, & piè sanctéq; meritos Præceptores. Sciant etiam se ultrices furias, ubicunq; locorũ fuerint, in conscientia sensuros esse, uel eo ipso momento, cum uita erit cum morte commutanda, animaq; inter dentes fixa hærebit, facinoris perpetrati cum impietate, et periurio aduersus legitimũ Magistratum, iustè, piè, uigilanter, & cum laude, et utilitate publica præclare fungentem munere suo, quod nos testari necesse est, et cum contumelia scelerate aduersus piæ sanctæq; memoriæ cariss. Præceptorem nostrum, et eius honestissimam familiam. Nam & hæc digna omni ueneratione est, cum in ea tanquam uera & genuina sobole illius nuper rebus humanis erepti sanctissimi uiri pietas erga Deum, & erga homines beneficentia, castitas, industria, & aliæ multæ excellentes uirtutes reluceant, quemadmodum norunt non ciues solum, sed hospites etiam & peregrini, quorum plurimi præstantes homines cum significatione singularis beneuolentiæ & honoris eam domum ferè quotidiè frequentant: Et uero Magnifici domini Rectoris, uiri clarissimi CASPARI PEVCERI artis medicæ Doctoris, ea est

ea est eruditio, pietas, uirtus, fides, et in omni officio erga Academiam & quosuis opis ipsius indigos homines benignitas, & beneficentia, ut & illius defuncti respectus, & hæc ipsa uirtutum et eruditionis Peuceri, ac meritorum publicorum dignitas, & amplitudo, etiamsi Magistratu hoc tempore functus non esset, ab iniuria domum & familiam ipsius merito uindicare et tueri debuerit. Nunc uero cũ uiro præstantißimo etiam summus in Academia Magistratus publico consilio demandatus fuerit, de quo benè laudabiliterq; gesto nos ei gratiam debere agnoscimus & profitemur, quantum facinori per se scelerato, in quemcunq; patratum sit, atrocitatis accedat ex uiolatione Magistratus, etiamsi authores lateant, res ipsa loquitur. Nulla gens adeo est, aut unquam fuit immanitate barbara, & ferox, quæ non Magistratuum sacrosanctam esse authoritatem censuerit, & eius uiolationem diuinitus, & quidem atrocibus exemplis puniri agnouerit. Quare sciant hi etiam Lucifugæ grassatores et Νυκτοκόρακες, se Deo pœnas daturos esse, etiamsi aliquandiu fortasse Legum supplicia sui occultatione declinauerint. Immotæ enim sunt regulæ de ultione diuina traditæ in communibus sententijs, quarum ueritas Dei & omnium hominum consensu, & experientia confirmata est, & cum doctrina cœlesti congruit, qualis illa est Menandri: εἰμαρ-

εἰμαρμένον τῶν κακῶν βουλευμάτων,
κακὰς ἀμοιβὰς ἐστὶ καρποῦσθαι βροτοῖς.

Et hæc Phauorini. Οὐ δύναται καταφυγεῖν ἄνθρωπος θεὸν φεύγων, ὁπου γὰρ ἂν καταφύγῃ, ἡ δίκη αὐτὸν εὑρήσει. Et similes infinitæ. Frustra igitur tales promittunt sibi uanæ spei errore diuturnam impunitatem.

Historiæ omnium temporum ostendunt Deum horribiliter puniuisse reos uiolati Magistratus, seu ut loquuntur, criminislæsæ Maiestatis. Sed recitabimus unum insigne exemplum dignum memoria commonefaciendæ iuuentutis causa. Scribit Bergomensis ante annos 83. Mediolani duos nobiles homines, qui sibi uidebantur iustis de causis Galeatio Sfortiæ Duci Mediolanensi irasci, quorum alteri de coniugis suæ amore suspectus erat, alterius uerò agnatum Abbatiæ cuiusdam prouentibus priuarat, ingressos templum, ac ducem conspicatos pugionibus ipsum confodisse. Hoc parricidium in sacra domo perpetratum & diuinitus & humanitus atrocißimè, ut par erat puninitum est. Nam & uterq; grassator ab accurrente Satellitio in continenti minutim concisus est, Et per sententiam iudicij publici postea latam statutum est, ut omnis illorum consanguinitas utriusq; sexus nulla etiam ætatis habita ratione in quartum usq;

usq; gradum interficerentur, domibus eorum diru-
tis, & solo æquatis, arboribus etiam fructiferis
eradicatis, reliquis succisis. Hac tanta, læsam par-
ricidio Maiestatem censuerũt Maiores nostri uin-
dicandam supplicij atrocitate, in qua & Dei iudi-
cium & legũ seueritas aduersus grassatores ostẽ-
sa fuit. Estq; memorabile hoc exemplum ad om-
nem posteritatem. Nos armati gladio non sumus,
& lætamur in talibus nocturnis tumultibus apud
nos Dei beneficio & prohibitione nullam adhuc
cædem factam esse, & ne deinceps fiat, Deum pre-
camur. Sed tamen ut nostri etiam Iudicij de his
facinorosis grassatoribus, quibus euenire facilè
posset, ut inter lapidum iactationes fortuitam ali-
quam cædem facerent, extet testimonium, etsi de
proximi facinoris autoribus nondum cognoscere
potuimus: tamen secundum Leges nostras, & ex
illustrissimi Principis Saxoniæ Electoris, Domini
nostri clementissimi, ad quem etiam hæc non mi-
nus quàm ad nos ipsos iniuria pertinet, et nostra,
qua ab illius celsitudine accepta fungimur autori-
tate, eos, qui proximæ grassationis, uel authores
uel socij uel conscij fuerunt, sunt, aut erunt, ac
tales deinceps contumaciter & Cyclopicè contem-
nentes, subterfugientes & detrectantes obedien-
tiam, & pœnas Legum, pronunciamus periu-
ros, infames & ἀλιτηρίας, & à societate Acade-
miæ

miæ in perpetuum excludimus, exclusós; esse hoc
edicto declaramus, & pollicemur nos hanc exclu-
sionem ignominiosam, ubi de nominibus facino-
rosorum nobis compertum fuerit, iterum & nomi-
natim publicaturos esse. Significamus etiam ubi
primum de authoribus nobis constiterit, quocunq;
locorũ se cõtulerint, nos contra eos, qui nuper uim
& contumeliam ædibus Magistratus ac Rectoris
sui scelerate fecerunt, interueniente & authoritate
& ope illustrissimi Principis nostri, ius nostrum
tanquam contra grassatores persequi uelle, nec
ab hoc proposito desituros, donec effectum erit,
ut extet sceleris ipsorum illustre ad alios exem-
plum. Nominatim uerò & disertè edicimus, quo-
niam paternæ nostræ beneuolentiæ, & in guber-
natione lenitatis in plerisq; eum abusũ deprehen-
dimus, ut petulantiæ neq; modum neq; finem statui
cernamus (quod in ea Schola ex qua primum lux
purioris doctrinæ Euangelij beneficio DEI in
totum terrarum orbem fœliciter, & cum fructu
propagari cœpit, & paucis sceleratis impunè
committi turpissimum est) nos deinceps quosqunq;
tales nocturnos grassatores deprehenderimus,
non amplius eos nostris tantum legibus à societate
nostra cum infamia excluſuros esse, Sed etiam
iunctos ad illustrissimum Principem Saxoniæ
Electorem, cum facinoris ipsorum declaratione
transs-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000199

transmissuros esse, ut eius Celsitudinis iusticiam, & seueritatem, & in puniendis sceleribus & reprimendis facinorosis potentiam ac neruos toties à nobis paternè, sed frustra admoniti, tandem malo suo experiantur. Hæc publicè significanda duximus, & ut animi nostri sententiam ac iudicium de præterito grassatorum scelere, aduersus summum in Academia Magistratum commisso, & propositum ac uoluntatem nostram in posterum aduersus deprehensos omnib. testatam faceremus. Scimus etiam illustrissimi Principis Electoris Domini nostri clemeutissimi eam uoluntatem esse in tuenda tranquillitate huius Oppidi, & conseruanda disciplina, ut nullo modo passurus sit, propter unum & alterum facinorosos & insanabiles nebulones, in Scholasticum agmen & hunc cœtum nostrum, quem ipsius Celsitudo sua liberalitate in Academia Ecclesiæ & Reipub. causa fouet & alit munificentissimè, quadrare illud Aeschini dictum: ὀυδὲν ὄφελος τῆς πολιτείας μὴ ἐχόσης νεῦρα κατὰ ἀδικούντων. *Reliquam totam multitudinem, quæ studio pietatis, & eruditionis comparandæ huc confluxit, & potissima ex parte piè modestèq; ipsa se regit, ac mores ad præscriptum Dei & legum reuerenter conformare studet, hortamur, ut porro tranquilla sit, & Deum uera pietate, fide, inuocatione et sedulitate discendi colat. Talibus*

Talibus non deerunt officia Academiæ, ipsos quibusq; fieri poterit modis, erudiendi, iuuandi, & ornandi, in quo secundum Paulum labores nostri, quos cum fide præstamus, non erunt inanes in Domino. Scimus honestos, pios & eruditos homines oculis, auribus et animis improborum petulantiam & scelera detestari, quibus uicissim muneris nostri, ut diximus, officia deesse non patiemur. Oramus autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiæ, et agminis Scholastici, ut ipse sit præcipuus Rector, & gubernator disciplinæ in republica, & cœtu nostro, & faciat nos σωφρόνως ζῆν, *salutaria Ecclesiæ, reipub. & animabus nostris. Conseruet etiam pacem & tranquillitatem in his regionibus, in quibus sonat pura uox Euangelij, ut doctrina latè spargi & propagari possit docendo & discendo ad gloriam diuini nominis, & multorum salutem. Sicut in Esaia Dominus clementissimè pollicetur, inquiens: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer. Datæ 3. Octobris, Anno 1560.*

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS
Caspar Peucerus Artis Medicæ
Doctor &c.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000200

CAnones primæ Ecclesiæ conditi in Synodo Nicena inter alios, quorum opera seruiuit Ecclesiæ, numerantur etiam mulieres quas διακονισσας uocant. Harum munus fuit præcipuum curare ægrotos, aduenas & exules, & uasa usui sacro destinata eluere atq; expurgare, sacra uero pertinentia ad ministerium uerbi & Sacramentorũ nulla attingere ipsis fas erat, sicut eadem ne diaconis quidem tractare licuit, quibus commissa fuit custodia, administratio & dispensatio pecuniæ publicæ, quæ ad alendos ministros & pauperes conferebatur. Talis διακονισσα fuit in publico Academiæ Nosocomio uidua Felicitas, quæ annos duodecim singulari fide ac diligentia Scholasticis pauperibus exulibus, & ægrotis curæ ipsius commendatis, plurima præstitit beneficia, non solum corporum fotu & curatione, sed & ciborum etiam apparatu, purgatione uestium, lectorum, conclauium, uigiliarum assiduitate, & uniuersim sedula porrectione & administratione eorum, quibus ægroti indigent in momenta. Nec continuitate uigiliarũ, molestiarum magnitudine, & ægrotorum morositate, quam ferre, & uincere non est cuiusuis, fracta est. Neq; exhorruit aut reformidauit contagiorum & infectionum periculà, cum ante annos octo sæua lues per oppidum grassaretur. Egressa fuit annum octogesimum, & Deum

& Deum uerè timuit, atq; assiduè inuocauit in agnitione & fiducia Iesu Christi, crucifixi pro nobis & resuscitati, cui in agone sese commendauit. Euocata est autem illa heri ex hac uita in aliam beatiorem, ad quam sese præparauit multo ante assidua & diligenti meditatione propinquæ mortis, & spe certa uitæ æternæ. Funus ei fiet hodie hora duodecima. Ad id deducendum ut conueniant Scholastici antè ædes Nosocomij hortamur. Die 15. Octobris, Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Caspar Peucerus artis Medicæ
Doctor & Professor,
S. D.

IN Mauritania ulteriore Sarraceni post Romanos expulsos & Gottos oppressos aliquot regna constituerunt, inter quæ longo tempore duo præcipuè eminuerunt, atq; opibus, potentia et subditorum ac sociorum numero floruerunt, quorum unum in urbe Maroco, ubi ueterem Regiam Bogudis coniecturæ collocant, triginta millib. passuũ ab Atlante monte, conditum Anno Christi 1015. aliquanto post nobilitauit & auxit Miramolinus Rex cognomento Almansor, cuius memo-

riam posteritati commendant occupata in Hispania regna, & illustratæ artes Mathematicæ ac Medicæ. Alterum uetustius sedem habuit in urbe Fesa non longo interuallo à Marocco in Mauritania Cæsariensi, à qua una pars urbis Cesareæ nomen retinuit, extructa Anno Christi 786. ab Idride quodam Sarraceno. Hanc urbem totius Mauritaniæ Metropolin, amplitudine, ædificijs, atq; opulentia celebrem, septuaginta millib. familiarum infinitoq; populo, ac rerum fabrilium, & preciosarum mercium tabernis frequentem, Deniq; Salæ amnis (qui hodie Razalma est) urbem interluentis nauigabili alueo peramœnam, Hanc ergo ante annos duodecim Muleamethes Scyriffus ex uita scholastica ad militarem & mox blandè aspirantis fortunæ successibus ad regnum euectus, ueterib. regibus ereptam sui iuris fecit ac ditionis, cum paulo ante et Marocum subegisset. Sed ludentis fortunæ instabilitate eo mox rursus de regni fastigio deiecto, pulsoq; in exilium socijs uicinorum armis, rediit urbs ad ueteres dominos. Viguerũt in ea & studia linguæ ac Philosophiæ Arabicæ, Regibus de publico suppeditantibus sumptus ijs, quos cum iudicio discendis disciplinis ac literis delectos atq; adhibitos publica Gymnasia exercuerunt. In ea urbe & regno scribuntur recens ultra octoginta millia hominum abiecto Mahometismo Christianæ

Christianæ fidei professionem amplexi esse, ex consuetudine cum Hispanis, & prædicatione eorundem, quorum non pauci numero, territi sæuitia & atrocitate suppliciorum, quibus rectè sentientes à Pontificiorum parricidiorum atq; idolatriæ satellitibus ac ministris excruciantur, in Africam exilij causa traiecerunt. Regem ipsum Calendis Iulij scribunt ablutione Baptismi Christianis sacris initiatum & Ecclesiæ insertum esse cum magno subditorum numero. Id cò magis in admirationem uenit, quod uix ullos antea à Mahometicis furoribus ad Christianam se religionem conuertisse compertum sit. Ita mirabili consilio, immensa bonitate & iusto iudicio Deus, paulatim lucem doctrinæ transfert ad aliam gentem à nostra, ex qua aliqui eam infinitæ licentiæ occasione negligunt, aliqui fastidiosè aspernantur, multi Sophisticè conuellunt, plurimi hostiliter persequuntur & oppugnant, & transfert ad illam gentem, quam unquam ad agnitionem Christi peruenituram esse, nemo suspicari poterat. Nobis uero eas quas ingratitudo nostra meretur, minitatur, imo intentat pœnas per arma Turcica & Moscouitica, nimirum tristissimæ Tyrannidis iugum & cum fœda obscœnaq; barbarie coniunctam aut Idolomaniam Moscouiticam, aut in Deum blasphemam impietatem Mahometicam, ex qua illa

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000202

recens conuersa multitudo Dei ductu emersit. Hæc iræ diuinæ testimonia et hæc pœnarum impendentium præuia signa, ut non contemnatis, uos obsecramus. Agite Deo gratias, quod ad societatem Ecclesiæ propagatione ueræ doctrinæ conuocat & adiungit plurimos, simulq; ardenter petite, ne ab ea nos societate excludat, Sed inter nos perpetuo sibi colligat, et conseruet Ecclesiam. Vos ipsi etiam quanto potestis studio et contentione date operam, ne uestra secludammi culpa. Inijcite frenos iuuenili ferociæ & stultis cupiditatibus uestris, ac seria diligentia meditamini & exercete, atq; ut Pauli uerbis utar: λογίζεσθε ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνα, οσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα. Amate & expetite ueritatem in artibus omnibus, & detestamini Sophisticen ac cauillandi studium, quo ueritas paulatim labefactata inclinatur, tandemq; euersa interit, ut res docet. Rectè & integrè discite doctrinam ecclesiæ, atq; hanc animi pietate, & honesta morum gubernatione exprimite, earum uirtutum exempla effingendo, quas hic Paulus nominat, grauitatis, iusticiæ, castitatis, quarum quæ σεμνότης à Paulo uocatur, modestiam complectitur, præcipuè uestræ ætati conuenientem, σοφρωσύνη γὰρ ταμιεῖον ἐστὶν ἀρετῆς μόνη secundum Menandrum, et ut præclare in uersibus Alexidis Comici dicitur: φερει τοῖς μὲν χρωμένοισιν

μένοισιν εὖ δόξης τὴν ὄγκον, τοῖς δ' ὁρῶσιν ἡδονὴν, κόσμον δὲ τῷ βίῳ. Cauete ne moribus uestris aut aspergatis labem ordini nostro, aut præbeatis occasionem hostibus nostris & maleuolis insectandi doctrinam nostrarum Ecclesiarum, & hanc Scholam, in quam omnium oculos et nutus propemodum directos defixosq; esse cernitis, aut ne offendatis, uel seducatis imbecilliores, Deniq; ea præstate, quæ coniungant animos, & stabiliant, ac tueantur consensionē atq; concordiam. Hoc præcipit Paulus cum ea iubet fieri, ὅσα ἐστὶ προσφιλῆ, οσα εὔφημα, id est, quæ consociant homines & copulant animos, quæq; exemplis bonis ornant doctrinam, inuitant alios, & merentur approbationem. Reuerenter obtemperate legibus, Magistratui, & Præceptoribus uestris, quos Deus coli præcipit non solum propter iram sed etiam propter conscientiam. Vt sciatis autem cui Senatus Academiæ publica autoritate gubernationem disciplinæ hoc hyberno semestri commendaturus sit, præcipimus, ut cras hora 8. conueniatis in Lectorio Collegij maioris, ubi fiet usitato more electi Rectoris renunciatio. Die 17. Octobris, Anno 1560.

RECTORATVS CLARISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI, DOMINI Petri Vincentij Vratislauiensis, liberalium artium Magistri, & Professoris publici &c. à Festo sancti Lucæ Euangelistæ Anni 1560. usq; ad Festum sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi Anni 1561. quæ est prima Maij.

DECANVS COLLEGII PROFITENTIVM ARtem medicam Caspar Peucerus Doctor S. D.

QVI primum in Academijs secundum artium & doctrinarum genera distinxerunt Classes & Collegia docentium, graui sapientiq; consilio ijs, qui in Collegia illa autoritate publica collocantur, præcipue imposuerunt onus & curam præstandi, ut doctrinæ quas profitentur, docendo illustrentur, & conseruentur incorruptæ, quod futurum censuerunt, si & ipsi artem suam integre didicissent, ac fideliter alijs communicarent, & uelut custodes publici prouiderent, prohiberentq;, ne temere inuolarent aut irrepe-

rent in Collegia, uel ne extra hæc etiam aut susciperent tractationem doctrinæ ex professo, aut usurparent ius experiundi et exercendi artem impostores, nothi alieni, non exculti doctrina, neq; explorati & approbati. Propterea Collegia et legibus armarunt, & publica munierunt autoritate, ut conferre dignitates, & ornamenta, tribuere testimonia, facere potestatem exercendæ artis possent ijs, quos idoneos esse ad eam rem perspexissent. His legibus & constitutionibus maximè opus fuit in arte medica. Nulla est enim quæ à pluribus contaminetur, & cuius prætextu plurium hominum corporibus et uitæ maiora inferantur nocumenta. Medicantur aniculæ ueneficæ & tonsorum, Iudæorum, Agyrtarum agmina, quæ peruagantur, & perreptant orbem terrarum, uel potius non mediantur, sed aut interficiunt ægros deceptos, aut ad eum modum corrumpunt, ut medicorum ope et industria uix restitui possint. Cuius rei culpam non minimam sustinent gubernatores, quorum nonnullos aut negligentiæ, aut curiositatis suæ pœnas dedisse meminimus. Sed in Academijs consuetudinem & leges examinum retineri et urgeri necesse est. Nostræ leges si quis testimonium doctrinæ & medicationum suarum petat, iubent exploratio-nem fieri, & in publico, ubi iudicia & censuras omnium, qui adesse uolunt, subeunt, & priuatim.

In publico aut disputatione aut alicuius scripti Hyppocratici, cuius autoritatem præcipuè sequimur, enarratione. Id cum distincte statuant leges nostræ, iustis de causis decreuit Collegium nostram, ut uir honestus & doctus, M. Sigismundus Schörckel Naumburgensis, qui multos annos in doctrina Medica uersatus, & ex aliquot annorum fœliciter administratis medicationibus claritatem quandam consequutus atq; admirationem, nunc iudicij de ipso nostri testimonium expetit. Vt is ergo specimen ex doctrina hausta, usuq;, & experiundo duce ratione confirmatæ artis suæ edat, publicè explicatione libri Hyppocratici de natura humana, qui pulcherrima methodo ordiendo à primis corporibus humani principijs demonstrat primos & ueros fontes omnium medicationum. Componit in eo libro Hyppocrates corpus humanum ex suis elementis primis & simplicissimis & proximis atq; compositis, & quomodo hæc commixta inter sese mutuoq; & commoderato, coalitu ceu conflata aut coacta in massam unam non temere aut fortuito, sed certa atq; ordinata lege, quæ mixtionem ad formam certam dirigit. Quomodo ea ergo corpora constituant: quæq; singulorum inter se analogia, quæ mixtionis ratio eadem conseruet: quæ rursus aut lædat, aut labefactet, aut destruat illa, & quas ob causas. Et econ-

uerso quomodo illata uicia emendẽtur, fiatq; restitutio corrupti in integrum. Ex elementis mixtorum omnium fingit produciq; etiam corporis humani principia proxima, quatuor nimirum humores, qui & seminibus & uisceribus cum formatur corpus materiam, cumq; id absolutum est membris uniuersis nutrimentum suppeditant. Sed hæc inter enarrandum declarabit interpres, qui ne deessent exempla auditoribus libellum seorsim excudi curauit. Tribuet autem huic prælectioni dies sex in septimana, & quidem diebus Lunæ Martis, Iouis & Veneris secundam, diebus Mercurij & Saturni quartum pomeridianam in Lectorio Medicorum. Ad eam prælectionem cum utilissimam & cognitu planè necessariam doctrinam contineat, commendat hoc Hippocratis scriptum atq; imprimis expressum in co methodi exemplum Plato in Phœdro: Ordietur cras hora secunda. Die 20. Octobris, Anno 1560.

IN

ANNO 1560.

IN DECIMVM ILIADOS.

HOC labente die ſub prima crepuſcula noctis
Mœonidæ decimum continuabo librum.
In quo ſpectatum medios abiturus in hoſtes
Quid rerum in cæſtris conſilijúe gerant.
Tydides unum comitem ſibi poſcit Vlyſſem
Inter tot fortes corde manúq; Duces.
Nempe quod huic pectus ſapiat, præſensq; Minerua
Auxilium ſoleat ſemper adeſſe uiro. (uæ,
Admonet exemplum, uitanda pericula forti
Quæ nec conſilium nec Deus ipſe regit.
Et quod bellator ſocio confidit Vlyſſe
Significat fortes à ſapiente regi.
Cætera ſuauiloquo deducet carmine uates
Quo melior toto nullus in orbe fuit.
Palma inter doctos uates debetur Homero,
Quem porrò ſolita ſedulitate legam.

Die 23. Octobris, Anno 1560.

Petrus Vincentius
Vratislauienſis.

ORA-

ANNO 1560.

ORATIO ILLVSTRIS ET GENEROSI D. D. CHRISTOphori Burggrauij à Dhon &c. qua Senatui Academiæ & cæteris conuiuis ante diſceſsum ad prandium inuitatis gratias egit & uale dixit die 27. Octobris, Anno 1560.

MAgnifice Domine Rector, illuſtres & Generoſi Domini Comites & Barones, uiri pietate, eruditione & uirtute præſtantes, Preceptores et amici cariſsimi. Gratias ago toto pectore æterno Deo, patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum Filio unigenito & Spiritu ſancto, quod me in ueſtra Academia ſonante ueram de Deo doctrinam, per filium mediatorẽ è ſinu æterni Patris prolatam, & in hac mundi ſenecta hoc in loco per eximia Dei organa præceptores noſtros denuo accenſam, hactenus, quæ diuina eſt ipſius clementia, benignè conſeruauit. Deinde & hoc grata mente prædico, quod uiuere me uoluit in hac Academia, in qua non modo in horeſtarum artium ſtudijs operam aliquam ponere: uerum & hominum doctiſsimorum, mihiq; de quo præcipue gaudeo, amiciſsimorum, conſuetudine dulciſsima familiariter uti & frui licuit. Ex quibus non poſſum non grata mente meminiſse uiri ſanctiſsimi

(piæ

(piæ memoriæ) Domini Philippi Melanthonis, Præceptoris & Parentis noſtri dilectiſſimi. Cuius beneficia cum partim ex publica inſtitutione, partim priuatis admonitionibus & ijs quidem paternis, tanta in me extiterunt, ut non modo non uerbis illa aſſequi, ſed ne cogitatione, quidem ad eorum amplitudinem accedere mihi liceat, nulla unquam illorum in animo meo memoriam obſcuratura eſt dum uiuam, obliuio. Vobis uero præſentibus, quos DEVS adhuc uult eſſe ſuperſtites, & acceptæ doctrinæ puritatem propagare, quibuſcunq; potero ſtudijs & officijs gratum meum animum, propenſamq; uoluntatem probare conabor. Cum autem ea ſit rerum mearum ratio, ut mihi imposterum uobiſcum uiuere non liceat, uolui ante diſceſſum meum Senatum Academiæ huius, cum reliquis dominis atq; amicis meis ad tenue prandium inuitare, ac primum paucis uerbis gratias agere uniuerſo celeberrimæ huius Academiæ Senatui, qui ſingulari quadam in me pietate, beneuolentia & promptitudine ſumma me huius Vniuerſitatis administratione fungi uoluit, pro qua uoluntate omnibus uiciſſim & ſingulis huic Academiæ addictis, debitam animi mei gratitudinem polliceor, officiaq; & ſtudia mea omni in loco promitto. Deinde & Magnifico Domino Rectori, ac cæteris

teris Præceptoribus meis pro fideli ſtudiorum meorum informatione ac conſtanti erga me uoluntate, ea qua debeo diligentia gratias ago, atq; uniuerſis & ſingulis, ſeorſim uero Magnifico domino Rectori, cum quo ſingularis mihi dulciſq; et grata iamdudum conſuetudo, multaq; familiaritatis interceſſerunt officia, operam, fidem, & gratiam meã uniuerſam defero. Singulares etiam gratias eas q; quàm poſſum maximas ago dominis Comitibus & Baronibus, cæteriſq; amicis dilectiſſimis pro omnib. officijs amicitiæ et communibus. ſtudijs, quorũ dum in uita manſero, memoriam conſeruare ſtudebo. Quauquam autem Magnifice domine Rector tanta M. T. aliorumq; Præceptorum collatorum in me beneficiorum ſit multitudo, ut nullo unquam tempore parem me referre gratiam poſſe confidam: tamen cum qualemcunq; grati animi teſtificationem neceſſariam eſſe intelligerem, uolui ad conuiuium hoc non magnificum quidem & ſplendidum, optimo tamen & amico animo inſtructum uos ſimul conuocare, quod non neglexiſſe, habeo gratiam, atq; in eo quoq; amorem ueſtrum erga me agnoſco. Oro autem Magnificum Dominum Rectorem cum dominis Comitibus, Baronibus reliquiſq; Preceptoribus & amicis, ut tenuitatem hanc boni conſulant. Quod reſtat, omnes æterno Deo patri Domini noſtri Ieſu Chriſti una cum

& Spi-

& spiritu suo sancto commendo & ardentibus uotis Deum precor, ut Ecclesias & Scholas harum regionum clementer conseruet, defendat, & gubernet. Me uero ut gratiæ & beneuolentiæ uestræ, qua me hactenus complexi estis, in posterum quoq; commendatum habeatis, etiam atq; etiam peto. Dixi.

RESPONSIO MAGNIFICI D. RECTORIS MAGIstri Petri Vincentij Vratislauiensis ad eundem Dominum habita.

ILlustris & Generose Domine, cum ratio officij, quo in præsentia fungor, mihi potissimum respondendi adferat necessitatem, faciam quod iubeor cum breuitate. Primum omnium gratias agimus æterno, omnipotenti & uero Deo, æterno Patri Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, quod in tanta temporum uarietate & sæpe ominosis mutationibus Ecclesias harum regionum, & dulcem communium studiorum & doctrinæ alumnam hanc Academiam nostram clementer respexerit & conseruauerit, quem nunc etiam, ut alias semper, ita in hoc congressu oramus ueris gemitibus & toto pectore, ut Academiam, in qua primum studia purioris doctrinæ Euangelij diuinitus

diuinitus ministerio Lutheri & Philippi sanctæ memoriæ Præceptorum nostrorum rursus excitati sunt, porrò Spiritu sancto suo regat, & nos in hac orbitate post amissa summa ornamenta et præsidia sub umbra alarum suarum contra Pontificios furores, & Sycophantarum maledicentiam & rabiem protegat, ac deinceps etiam seruet, quod cum benignè facturum esse de ipsius immensa bonitate non dubitamus nobis polliceri, freti dulcissima promissione expressa dicto Prophetæ: Propter me faciam propter me, ne blasphemer. Vestra etiam consuetudine illustris & generose Domine, mirificè omnes delectati sumus, cui & hunc animum, et iudicij dexteritatem gratulamur, quod summam & uetustam generis nobilitatem doctrina & eruditione ornandam censueritis. Cumq; uestra Generositas non solum ad studiorum amorem, pietatem, animi moderationem & singularem suauitatem morum exemplo suo alios sui ordinis homines inuitare studuerit, atq; ita hoc toto tempore quo uersata est in Academia nobiscum, uixerit ut dulcissimo Menandri uersu imaginem morum et ingenij uestri expressam esse existimemus, cùm inquit, ὡς ἡδὺ σωέσει χρηστὸς κεκραμένη, Sed etiam delato à nobis summo in Academia magistratu eadē Generositas uestra cum summa grauitatis & sapientiæ laude perfuncta

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000208

functa sit, nos uicißim & illarum omnium quas dixi præstantißimarum uirtutum præconium meritò uobis tribuimus, & ab Academia & nobis omnibus gratiam uobis & beneuolentiam perpetuam deberi profitemur, Ad quam etiam quasi mutuo fœdere facto Generositati uestræ nos in præsentia uolumus alligatos. Optamus etiam ut instituta migratio V. G. prosperè fœliciterq; eueniat, & oramus æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut totum curriculum uestræ uitæ uelit esse salutare Ecclesiæ & reipublicæ & animæ uestræ. Postremò petimus ut V.G. nostri memoriã cum beneuolentia constanter tenere et inter studia communia cum pluribus nostrũ, uel potius cum omnibus inchoatam amicitiam benignè tueri uelit, pro quo & animo & officio nos uicißim debitam V. G. gratitudinem & beneuolentiam pollicemur. Dixi.

ELEGIA IN OBITVM CLARISSIMI Poëtæ D. Petri Lotichij Secundi.

HEV fama infelix, Rheni modò sparsa per (agros,
Pectora cur toties nostra dolore reples?
Nuper

Nuper doctiloqui narrabas fata Philippi,
Qui uir perpetuò uiuere dignus erat.
Et nunc Lotichij præstantis prodere uatis
Audes fata? nimis nuncia dura mihi.
Conquerar, an sileam? tristem mihi Spira dolorẽ
Bis peperit, posthàc Dij meliora ferant.
Optima quæq; prius rapit inclementia mortis,
Ingenijs semper dira minata bonis.
Sic quoq; Lotichius mediæ sub flore iuuentæ,
Occidit iste suum (proh dolor) ante diem.
Multos progenuit Germania culta Poëtas,
Quos omnes longum commemorare foret.
Multos Ausoniæ, multos quoq; Gallica tellus,
Ingenijs gaudens utraq; terra suis.
Lotichio at palmam Musæ tribuêre Secundo,
Hic uatum Princeps duxq; caputq; fuit.
Stigelius mihi testis erit, testisq; Sabinus,
Lumina Pierij quos reor esse chori,
Sic tu censebas studijs exulte Micylle,
Audiui ex ore hoc, sancte Philippe, tuo.
Omnia certatim Charites tibi dona Secundo
Et uires numeris contribuêre tuis.
Petre Secunde, quidem gaudebas nomine tali,
At nulli uatum, Petre, secundus eras.
Te quoties uidi properatum fundere carmen,
In quo uisa tamen nulla litura fuit.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000209

Non aliter, quàm cum largus delabitur imber
E cœlo, aut madido rore rigatur humus.
Non referam uarias exculti pectoris artes,
Virtutum laudes, eloquijq; decus.
Prætereo, medicæ quàm felix Doctor in arte,
Doctrinæ gnarus quàm fuerisq; Dei.
Ergo tuam meritò lugent sacra numina mortem,
Te Phœbus deflet, Pegasidumq; chorus.
Te Nicer ipse dolet, Rhenus te luget, & Ister,
Te lacrymis Alpis prosequiturq; suis.
Te quoq; funereo gemitu deplorat Elister,
Nec Viadrus fletum continet ipse suum.
Ast quia sic uoluit mundi sator, arbiter æui,
Rumperet ut uitæ stamina, Parca, tuæ,
Ille ego (quod superest) qui te ceu fidus Achates
Dilexi, tibi nunc mollia fata precor.

Spiræ 9. Nouembris, Anno 1560.

Autore Georgio Cracouio
I. V. Doctore &c.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PE*trus Vincentius artium liberalium Magister & Professor.*

INsignis

INsignis & eruditio fuit & uirtus uiri honesti Magistri Francisci Titij VVitebergensis, Collegæ nostri in communitate Philosophica, qui etsi naturali calamitate non solum κακοσκελὴς seu uaris pedibus, qualem Euphorionem Chalcidensem Poëtam fuisse accepimus, dilectum nihilominus potenti in Euboeo matronæ Niciæ: Sed etiam toto corpore imbecilli & pauperculis parentibus ortus esset: Tamen adflicti studuit mox à puerilibus annis, corporis ingenio damna leuare sui. Industria igitur, cum alioqui ingenio felici, & omnium doctrinarum capaci præditus esset, facile perfecit, ut intra paucos annos nulli æqualium eruditione cederet, post se autem parasangis non paucis relinqueret plurimos. Ob quam rem à Collegio Philosophico laus eruditionis minimè uulgaris ei meritò tributa est, quam ipse postea uirtute & pietate erga Deum eximia semper ornauit. Cum autem Theologiæ studijs omne curriculum uitæ suæ pio proposito destinasset, comparauerat sibi excellentem cognitionem linguarum, & cum primis Hebreæ, in qua eò usq; progressus erat, ut ad eam discendam commode, tabulas eruditas confecerit, quas reuerendum uirum, Patrem & Præceptorem nostrum, sanctæ & perpetuæ memoriæ, reuerenter colendum D. Philippum Melanthonem misisse Basileam cum honorifica com-

commendatione, ut Episcopij typis exaudantur, meminerimus. Inchoauerat & medicinæ studia exemplo ueterũ Patrum & Prophetarum, quos cum Ecclesiæ doctrina usum eruditæ medicationis exercere solitos fuisse, constat. Ita hic Titius cum hortulum extra muros haberet, mirificè delectabatur plantulis serendis, quod in earum cultura, & prouidentiæ Dei testimonia sese deprehendere, & renascentium floscalorũ quotannis uicissitudine, se de resuscitatione corporum nostrorum commonefieri, intelligeret, Vita eius plena erat exemplis, ueræ pietatis, doctrinæ, patientiæ, inuocationis Dei, & in discendo aiusdam indefessæ industriæ. Nec dubitamus, si ei uita contigisset longior, Ecclesiæ illum salutare Organon futurum fuisse. Sed uir optimus heri diuturna epatis imbecillitate confectus, decessit, cum quidem assidua inuocatione filij Dei ostendisset suam confessionem & fidem, sæpius iterata hac uoce: Veni Domine Iesu, paratus sum, cupio dissolui & tecum esse. Cui quidem etsi æternæ cum Deo lætitiæ societatem inuidere non debemus, cum certum sit in eorum numero eum esse, de quibus scriptum est: Beatui mortui, qui in Domino moriuntur. Tamen nos orbatos esse tali commilitone, Ecclesiæ causa dolemus, cui bonorum ingeniorum interitum, incrementa calamitatum denunciari uox Prophetæ ostendit hoc disticho reddita:

Tollun-

Tolluntur iusti ne cernant tristia secli
Tempora, præ foribus quæ monet esse Deus.

Oramus autem Deum æternum Patrem, Domini nostri Iesu Christi, ardentibus uotis, ut ipse inter nos sibi serat, colligat & seruet semen sanctum, & ut propter Ecclesiam quam in promissione Prophetica clementer ostendit etiam in senecta se seruaturum esse, in eorum, quos ipse euocat, locum, substituat organa utilia ad propagationem doctrinæ cœlestis & Euangelij de filio ipsius, cum nostra & posteritatis salute. Funus autem huic Magistro Francisco fiet hora tertia, ad cuius deductionem cupimus Scholasticos conuenire ante ædes Gregorij Titij fratris, è regione balnei prope arcem. Die 13. Nouembris, Anno 1560.

THEOLOGIÆ STVDIOSIS.

PLurimi errores omnibus ætatibus in Ecclesia orti sunt ex hoc fonte, quod homines spretis legibus diuinis suo arbitrio peculiares quosdam ritus quibus DEVM placarent, atq;

atq; honore adficerent, excogitandos atq; instituendos esse iudicarunt. Vbi enim ea opinio inualuit, cultum Dei positum esse in his externis exercitijs humana sapientia atq; authoritate excogitatis, sequitur necessariò contemptus legum diuinarum, et tota religio in theatricam quandam ἀσκησιν transformatur. Et quia speciem habent sapientiæ & humilitatis hæ traditiones, ac sua austeritate ad domandam carnem ualere uidentur, ut Paulus inquit ad Coloß. ideo sine fine ac modo cumulantur, et magno applausu ab imperita multitudine recipiuntur. Hinc tantus extitit cumulus ceremoniarum & externorum rituum in Papatu, quibus paulatim doctrina de ueris cultibus diuinis fuit obscurata & oppressa, & conscientijs hominum piorum laquei inextricabiles sunt iniecti. Sed his reiectis & damnatis sæpè reuocat nos uox diuina ad suam legem, quam uult esse normam uitæ & actionum nostrarum, ut apud Ezechielem inquit: In præceptis patrum uestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis: & alibi apud Hieremiam: Hoc est uerbum, quod præcepi uobis, audite uocem meam &c. Et passim conciones in Prophetis sæpè repetuntur. Inter alias uerò omnes, maximè illustris est, quæ extat apud Zachariam capite septimo, in quo expresse damnat omnes ἐθελοθρησκείας & constitutiones,

tiones, in quarum obseruatione cultus aliquis diuinus situs esse iudicatur, & utilem doctrinam de ueris ac necessarijs cultibus tradit. Huius capitis enarrationem inchoabo Deo iuuante, cras horâ quarta. Datæ 17. Nouembris, Anno 1560.

Henricus Möller
Hamburgensis.

MEDICÆ ARTIS STVDIOSIS.

SAnitatem integram & inculpatam omnes homines naturali quodam instinctu cupiunt ac expetunt. Est enim sanitas summum à DEO optimo maximo nobis in hac fragilitate constitutis, concessum bonum, quo natura & conseruatur, & eo maximè gaudet & delectatur. Eo amisso natura quasi distracta ac lacerata, dolet, languet, ac reliquis bonis, siue ea sint animi, siue fortunarum, aut uti prosus non potest: aut nulla eorum delectatione adficitur: quod patet in ijs, qui uel phreneſi, uel mania, uel lethargo, uel alijs grauibus corripiuntur morbis: Imò uita ipsa absq; sanitate, ingrata, acerba, & odiosa existit: quod testantur exempla nonnullorum, qui propter dolores, & morbos grauiores, tædio uitæ & impatientia

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000212

tientia sibi ipsis uitam abruperunt. Rectè igitur ualetudo bona summũ bonum esse existimatur, ut scriptum est: Non est census supra censum salutis corporis: Et Menander inquit: οὐκ ἔστι ὑγείας κρεῖττον οὐδ' ἐνὶ βίῳ. Et: ὑγεία καὶ νοῦς, ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο. Quapropter decreui de sententia grauissimi Collegij Medici (iuuante Deo) explicare libros Galeni de tuenda ualetudine. Quorum librorum lectio etsi principaliter ad artis Medicæ studiosos pertinet: tamen sunt ij libri ita scripti à Galeno, ut à nemine, cuiusquam sit professionis, sine insigni fructu legi & cognosci possint, præsertim à Philosophiæ & Physices studiosis. Explicantur enim hìc multæ doctissimæ & grauissimæ quæstiones, de aëre, de cibo, de potuum generibus, de exercitijs alijsq; rebus in uita hominum communi necessarijs, ut omittam, Ethica, historica, Geographica, quæ obiter à Galeno omni genere doctrinarum expolitissimo & eloquentissimo medico iucundè aspergũtur, ut in ipsa autoris enarratione patebit, in qua auditoribus fidem & diligentiam meam promitto. Auspicabor (uolente Deo) ad proximum diem Iouis hora secunda in auditorio Medicorum. Datæ 24. Nouembris, Anno 1560.

Iohannes Hermannus D.

STV-

STVDIOSIS DOCTRINAE PHYSICES, quæ est de Meteoris S.

EST uetus illustri sententia digna Platone,
Quam sapiens culto Tullius ore refert:
Nascimur ut patriam, carosq; iuuemus amicos,
Gaudeat & noster posteritate labor.
Illius exemplo (si quid didicisse uidebor)
Fœnore nunc grato dona referre libet.
Tu modo Consilij causas, studijq; laborem,
Qui sequeris dextrè munia iussa probes.
Et mecum placeat ueterum præcepta sophorum
Quærere, & aëras scandere mente domos.
Largiter unde suum natura ostentat honorem,
Præsentis referens plurima signa Dei.
Qui uelut infusus mundo, mortalibus æqua
Partibus ex uarijs, lance ministrat opes.
Vtilibus pluuijs fœcunda potentia terræ
Crescit, & innumeris fructibus ornat humũ.
Vere nouos flores, æstu producit aristas,
Poma per autumnum, plena quietis hyems.
Quis dubitet? Deus est nostri qui motus amore,
Omnia uiuifico tincta liquore rigat.
Ille facit lætas segetes, plantisq; uigorem,
Præstat, & alternas temporis ille uices.

Sed

Sed tamen hic labor est proprias inquirere causas,
Et procul à uulgo condita mente sequi:
Vnde tremor terræ ueniat, quæ causa cauernis
Extrudat gelido flumine fontis aquas.
Quid puteos feruere gelu, frigere sub æstu
Efficiat, salsus sit sapor unde maris.
Aestuet incertis cur fluctibus æquor, & undæ
Materia nunquam deficiente fluant. (hærens
Singula magna quidem, quorumq; homo, terreus
Hospes in hoc mundo, non rudis esse uelit.
Maius at est patrias animæ cognoscere sedes,
Aëris & miras edidicisse uices.
Vnde niues lapidesq; pluant, cur nubila cœlo
Ventus agat, subitis & fluat imber aquis.
Quid pariat rorem, gelidæ quæ causa pruinæ,
Discolor utq; suas contrahat Iris aquas.
Quæ fera uetorum uis sit, cum nube recluſa
Aura procelloso turbine quassa furit.
Qualiter & solem mox cingat & area lunam,
Et pingat speciem lumen utrumq; suam.
Mane rubens Phœbus pluuias ut ducat Olympo.
Et clarum pulsis aëre reddat aquis.
Vnde fragor cœli tantus, cum nubibus ignes
Exiliunt, stellas cur cecidisse putes:
Et uideas cœlum uasto se findere hiatu.
Ad pœnas properans cum Deus arma mouet.

Ardua

Ardua deijciens diuini tela furoris,
Fulmina, queîs medijs mors uenit atra iocis.
Lampada quid faciat, quæ sit uiolentia flammæ.
Cum rubet ardenti stella comata face.
Hæc pietas lustrare iubet, nec displicet unquam
Cura Deo, officij munere læta sui.
Grata illi quoniam fama est has sparsa per artes,
Quas colimus studijs turba sacrata bonis.
Has ergo occultas, uelut alta è nube micantes,
Res quoq; nosse tui muneris esse putes.
Quas uigili primis studio cognoscere ab annis
Est uirtus hominis, præcipuumq; decus.
Charta negat plures horum nunc dicere laudes
Tempore quas alibi commodiore dabo.
Te modò non pigeat nostras subijsse sub ædes,
Ex quibus hæc tenui parta labore feres.

Die 24. Nouembris, Anno 1560.

Michaël Lucius
Augustanus.

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS PE-
trus Vincentius Vratislauiensis artium humanitatis Magister
& Professor.

ET

ET pictor, & uir sapiens fuit, qui in mactatione Iphigeniæ, cùm tristem Aiacem, tristiorem Vlyssem, tristißimum Menelaum pinxisset, patris Agamemnonis uultum uelo induxit, ut nulla arte exprimi posse patrium dolorem significaret. Nam de radio immensi amoris sui Deus hanc flammam dilectionis parentum erga natos, quam στοργὴν appellant Philosophi, transfudit in hominum naturam, quæ in calamitatibus & morte liberorum in omnibus bonis parentibus erumpit in ingens doloris incendium, quemadmodum & hesterna lectio Euangelij de Iairo, & historia Cananææ mulieris, & infinita alia temporum omnium, & uitæ quotidiana exempla ostendunt. Et nunc in simili dolore, & eo quidem iusto, uersantur honesti parentes, uir præstans eruditione & uirtute M. Sebastianus Matthæus, & coniunx eius, amissa dulcißima filiola Eua, quæ hoc die sub auroræ exortum, ex hac mortalitate in societatem uitæ æternæ emigrauit, quorum decet nos affici orbitate. Sed pij parentes erigant se hac consolatione, quæ traditur in dicto filij Dei adfirmantis puellam non mortuam esse, sed dormire. Sensit enim illa iam decessura lucis & uitæ æternæ initia, cum in agnitione & inuocatione ueri Dei crebrò iterauerit recitationẽ Psalmi dulcißimi, Dominus pa-

scit

scit me, & nihil mihi deerit: Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es &c. Verè agnouit hæc puellula, se Euam, hoc est, quod uox nominis sonat, uiuam in Deo esse & manere, ac mitigante dolores morbi filio Dei, sensit umbram mortis, non mortem esse, sanctorum ex hac uita emigrationem. De qua insigni doctrina & Ecclesiæ propria, à pijs parentibus, quotidie erudita & commonefacta fuit. Cuius quidem piæ institutionis fructum, cum in agone uberrimum se experiri piæ precatione ostenderit, non dubitamus eam in numero sanctorum esse, de quibus scriptum est, Beati mortui, qui in Domino moriuntur: & de infantibus diserta adfirmatio est filij Dei, Talium est regnum cœlorum. Huius igitur animulæ sanctæ exuuijs funus fiet hodie hora tertia, ad cuius deductionem, Scholasticos ut conueniant, hortamur. Die 25. Nouembris, Anno 1560.

BLandus odoratis ceu natus flosculus hortis,
Fœcundum rorem Sole fouente bibit,
Prima luce uiget, nitidoq; colore superbit,
Atq; suo gaudet gramina odore frui.
Irruit at postquàm medij iam flamma diei,
Et grauis exustos uellicat æstus agros,

Sen

Seu niueo tactus cum pollice carpitur, ecce
Marcuit, atq; omni cassus honore cadit.
Sic homo, quando fuit primo uix editus ortu,
Et solis potuit cernere triste iubar.
Paulatim solido coalescunt robore membra,
Et subit ingenio uis, animoq; uigor:
Dumq; potens confisa rudi natura iuuentæ
Vrget, & inflammat motibus usq; nouis,
Dotibus elatus quæsito gaudet honore,
Fati securus nulla pericla timet.
Indomitus sublime petit, tentare paratus
Fortunæ casus, ambiguasq; uices.
Interea tacitis labuntur cursibus anni,
Accelerat cito summa senecta pede.
Mox trahit incautum mors importuna, cadendum
Inuito, rumpit Parca seuera moras. (est
Friget humo positum, fœtetq; exangue cadauer,
Cogitur & diris uermibus esse cibus.
Hospitium est adeò breue uita, breuissimus ordo,
Tempora solliciti plena laboris habet.
Nec rugas differt pietas, tristemue senectam,
Nec uitæ spacium tardat aceruus opum.
Sunt rigidæ leges, & ineuitabile ius est
Fatorum, cunctis mors properata uenit.
Crimina primorum. sceleratag; facta, parentum,
Et Præceptorum dogmata spreta Dei,

Hanc

Hanc meruêre sibi pœnam, tristemq; reatum,
Peccati merces mors inimica fuit.
Sed tamen hæc nobis unus solatia Christus
Affert, quod pœnis mite leuamen adest.
Ille patris pacem, uitam quoq; reddidit ille,
Per Christi mortem libera turba sumus.
Et uelut cœlo nunc hos, nunc collocat illos,
Aeterni donans regna beata patris,
Sic etiam allectos mansueta uoce pusillos
Promissa recipit sede, sinuq; fouet.
Te quoq; Matthæi te filia cara Sebasti,
Deliciæ, requies, spes patris, Eua, tui.
Te uocat hinc simili quoq; conditione, uocata
Pares, atq; Deo consocianda uenis.
Triste tuis desiderium licet ipsa relinquas,
Mœstus & ereptam ploret uterq; parens,
Tu tamen æternæ iam sentis gaudia uitæ,
Complexu frueris basilioq; Dei.
Viue igitur coniuncta Deo dulcissima sponsa,
Inter & Angelicos uiue beata choros.

M. Laurentius Durnhofer
Noribergensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PEtrus Vincentius Vratislauiensis artium humanitatis Magister & Professor.

EXemplum innocentiæ morum insigne meminimus omnes fuisse doctißimum uirum Magistrum Antonium VValterum, qui & iuuentutem Literariam in honestißima gente Pomeranica multos annos fideliter erudijt, & in gubernatione publicorum studiorum Academiæ nostræ usq; ad finem uitæ Collega nobis καὶ παραστάτης strenuus fuit, ac moriens ante quadriennium desiderium sui triste, Sed dulcißimæ consuetudinis debitam ipsius pietati memoriam sempiternam omnibus nobis reliquit. Post cuius obitum quot & quàm præstantibus gubernatoribus orbata sit hæc misera nostra & naufraga Cymba, præsertim hoc ipso anno, sine ingenti dolore animi, & mœsticia recordari non possumus. Præsertim cogitantes de usitato non solum reipublicæ, sed etiam Ecclesiæ fato, de quorum alterno edoctus sapienti consideratione antiquitatis omnium temporum & sui sæculi experientia non frustra Plato scripsit: ὅταν μέλλῃ κακῶς πράξειν

ξειν πόλις ἐξεῖλε τοὺς ἄνδρας τοὺς ἀγαθοὺς ἐκ ταύτης τῆς πολεως ὁ θεός. De altero præmonet Ecclesiam uox diuina inquiens: Iusti tolluntur ne uideant uentura mala. Etsi autē infinita signa portendentia impendentes calamites generi humano quotidie cernuntur penè in tota rerum natura: tamen nos in Ecclesia hac ipsa præmonitione diuina præcipuè moueri decet ad cogitationem non solum malorum, quæ impendent, sed etiam pœnitentiæ & inuocationis ad Deum aßiduè, ut pœnæ leniantur ecclesiæ, à qua tanquam à domo Dei, ut Petrus inquit, iudicium incipit. Ob hanc causam non desinimus esse hortatores piæ iuuentuti, quæ est seminarium Ecclesiæ, & quam paulo pòst sensus impendentium ærumnarum continget propius ad uitæ emendationem, modestiam, & ueram pietatem, inuocationem, & discendi doctrinam de Deo, et alijs artibus sedulitatem. Quibus uirtutibus in conuersis ad Deum propositam esse, atq; promissam pœnarum mitigationem, scimus. Sicut scriptum est in persona loquentis Ecclesiæ: Castigasti me Domine & eruditus sum, cui respondet Dominus: Ex quo locutus sum adhuc recordabor eius miserans, miseserabor eius. Sicut uigilaui ut dißiparem & adfligerem, Ita uigilabo super eos, ut ædificem & plantem.

Hæc cum in omnibus pœnitentiæ concionibus tum præcipuè in funeribus, quæ nos peccati et mortalitatis humanæ commonefaciunt, cogitemus. Ac simul animos erigamus ad beneficia filij Dei, qui uictor est & uitæ æternæ. Vt autem magistri Antonij, & aliorum præstantißimorum hominum, quorum breui temporis spacio multos amisimus, recordationem repeteremus, occasio est obitus filioli magistri Antonij, qui annum attigit quintũ ætatis, & quarto post emigrationem patris ex hac uita anno ipsum ad consuetudinem Academiæ cælestis secutus, hac nocte decessit, qui cum à matre uidua honestißima matrona & in puerili Catechesi doctrinæ Christianæ rectè institutus, & ad agnitionem & inuocationem filij Dei, Domini nostri Iesu Christi sedulò assuefactus fuerit, est in numero eorum, de quibus inquit Dominus: Talium est regnum cœlorum. Fiet autem funus hora quarta, ad quod deducendum, Scholasticos hortamur. Die Andreæ Apostoli, Anno 1560.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Petrus Vincentius artium liberalium Magister & Professor.

ANnus

ANnus iam fermè est tricesimus nonus cum ex oppido Franciæ Orientalis Schweinfurt, quod propter similem nominum significationem Troiam, sanctæ & immortalis memoriæ D. Philippus nominare solebat, in hanc Academiam uenit uir pius & honestus Valentinus Scrinarius Francus. Hic Sacerdotium præcipuæ dignitatis inter Pontificios in patria consecutus in re lauta esse potuerat. Sed ad dulcissimã Euangelij uocem, quæ tum quidem Dei immenso beneficio concionibus & scriptis Lutheri uiri Dei ex hac Schola per omnes terras tanquam classicũ emendationis doctrinæ et uitæ latè personabat excitatus, abiecta idolatria quam multiplicem in Pontificijs Ecclesijs esse agnoscebat, relicta & patria & dignitatibus & uitæ commodis, quibus florere potuisset, in hanc nostram Sareptam commigrauit, Subinde repetens animo & crebris sermonibus dictum Prophetæ: Elegi potius habitare in limine domus Dei quàm in tabernaculis impiorum. Itaq; nomen suum Academiæ tum Rectori professus est initio anni 1520. In quo uiro laudanda fuit constantia, quod semel agnitam ueritatem abijcere nunquam uoluit, tametsi ab hac parte illis præsertim temporibus euidens paupertas ante oculos esset, illinc nudè secessionem fecerat diuitiæ et multa uitæ commoda ostentarentur. Quo

ſceleratior eſt Staphyli ἀποσασία, quem et ambitio uana & incertarũ opum ſpes fallax, et hians auaritia atq; ingluuies inſatiabilis, impulit ad ueræ doctrinæ de Deo multorum annorum ſtudio abnegationem. Rectius hic noſter qui ſacerdotio impio, reditibus & dignitate permutatis uero iudicio cum ſtudio diſcendæ ueritatis, cũ in paupertatem incidiſſet, ne cui eſſet oneri, manu ſibi victum quærere, non dubitauit. Itaq; cum manu ſolerti & natura μηχανικὸς eſſet ſcholaſticis Academiæ huius inſtramentis Sphæricis, teſtudinibus, umbraculis, atramentarijs & id genus alijs rebus ad uſum quotidianum neceſſarijs artificioſè fabricandis, & utilem & optatam operam nauauit usq; ad uitæ ſuæ finem, quam ſenex pluſquã ſeptuagenarius in confirmata iam multorum annorum uſu doctrina & agnitione atq; uera inuocatione filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti heſterno die fœliciter abſoluit et concluſit relicto ciuibus noſtris & alijs conſtantiſſimæ pietatis & integritatis uitæ et morum innocentiæ commemorabili exemplo. Nam et domeſticã Eccleſiolam de ſumma doctrinæ Chriſtianæ & uera inuocatione Dei piè erudire ſolitus fuit, ex qua filium etiam reliquit uirtute ac eruditione præſtantem Magiſtrum artium optimarum Valentinum, & foris erga multos pro facultatibus beneficus fuit, et Eccleſiæ atq; Academiæ quibus

bus potuit modis obſeruantiam ſuam & pietatem in omni uita probare ſtuduit. Cumq; multarum calamitatum et diſſipationum ante bellum, in bello & poſt bellum ſpectator fuerit: tamen in doctrina quam rectè didicerat confirmatus, placidè à Deo precatus eſt & expectauit optatos euentus, nec ulla ab eo immodeſta uox unquam audita, aut mutatæ rectæ uoluntatis ſignificatio animaduerſa eſt, ut Sophocleus uerſus uera pictura fuerit uitæ & morum eius, ἅπαν τὸ χρησὸν πλὴν ἴσως ἔχει φύσιν. Talem ſenem qui huius reipublicæ non onus ſed ornamentum fuit, ac de quo uerè dici poteſt illud comicum, fuiſſe hominem antiqua uirtute & fide, cum & ciuitas & honeſta domus ipſius amiſerit, nos oſtendere luctus noſtri ſocietatem decet. Quare ad deductionem funeris quod fiet hora prima Scholaſticos hortamur, ubi ſinguli cogitent de communi hominum mortalitate, & quàm pauci ſint, qui huius uiri ſenium attingant, cogitent etiam de filio Dei Ieſu Chriſto Domino & uictore mortis & inſtauratore iuſticiæ et uitæ æternæ, cui Eccleſiæ & reipublicæ, ac ſuam quisq; incolumitatem Deo pijs precibus & gemitibus commendent. Datæ Calend. Decembris, Anno 1560.

IN PRÆLECTIONEM THEORICARVM Planetarum.

ETſi artes omnes ex ſuis fontibus diſcendas eſſe iudico, ut uenuſtiſſimè Ouidius monet, inquiens:

Nam quanquam ſapor eſt ablata dulcis in unda,
Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Quo uera ſingularum fundamenta percipiantur: Tamen limpidiſſimos riuulos ex ipſis fontibus ductos & natiuum ſcaturigimis ſaporem referentes, non eſſe negligendos aut contemnendos ſimul ſtatuo. Sicut enim ueri fontes plærunq; aut ex præruptis montium ſcopulis, aut ex altiſſimis ſpecubus ſcaturiunt, ut ad eos acceſſus nulli, niſi audaciſſimo fortiſſimoq; detur: Ita ſingularum artium fontes, mirificis, prolixis, et in ſpeciem intricatis demonſtrationibus ſunt præmuniti, quas quantumuis acri ingenio præditus adſequi nemo poteſt, niſi prius ex riuulis inde deriuatis aliquem guſtum, hoc eſt, totius artis breuem ſummam hauſerit. Ac in hunc uſum ab excellentibus artificibus tales εἰσαγωγαὶ artium inuentæ & excogitatæ ſunt, non ſolum ut rudia ingenia præparent ad longiores & difficiliores diſputationes & demonſtrationes, quibus artium fontes confirmantur, facilius intelligendas: Verumetiam ut confirment memoriam ingenio præſtantium ad facilius quæ in fontibus prolixè demonſtrantur retinendam, & cum opus eſt, in uſum deducendũ. Cum igitur & Theoricæ Planetarum olim Georgio Peurbachio ſcriptæ, hunc uſum præſtent, & aptiſſimè & breuiſſimè ſummã doctrinæ de motibus corporum cœleſtium contineant. Rectè in Scholis conſeruantur, & ſcholaſticis diſcendæ proponuntur. Quare rogatus ab aliquibus amicis eas iuuante Deo explicare decreui. Idq; publicè ſignificare uolui, ut ſi qui alij quoq; hac mea opera uti uelint, ſciant ſibi licere. Auſpicabor autem Deo uolente, die proxima Mercurij hora tertia pomeridiana in auditorio Mediocrum. Datæ Calendis Decembris, Anno 1560.

M. Sebaſtianus Theodoricus VVinshemius.

AD diem Iouis proximam, Deo iuuante, auſpicabimur interpretationem tragœdiæ Euripidis, cui titulus eſt Iphigenia in Aulide, eam fabulam eò libentius interpretor, quod nobis in manibus eſt eiuſdem interpretatio ſcripta ab Eraſmo Roterodamo uiro diſertiſſimo. Cumq;

uirum tantum, & noſtri ſæculi præciputum decus certo iudicio hanc, in qua uerændo elaboraret, præ cæteris delegiſſe uideamus, propterea & nobis illa meritò carior eſſe debet, neq; temerè Eraſmo hæc fabula placuit, ſunt enim in ea mirabiles affectuum, hominum, conſiliorum, & negotiorum ἐπινοίαι. Primum in Agamemnone inter ſe pugnant ambitio, Tyrannidis & crudelitatis parens, & Phyſicæ ſοργὴ erga filiam, uinciturq; & expugnatur ſtorge ab illa infernali peſte: deinde candor & rectitudo heroica in Achille ab aſtutia Vlyſſea ſuperatur, & in Menelao execrabilis perfidiæ exemplum erga fratrem pingitur, hæc inter uiros tantos, ut in re atroci magno animorum impetu agitata, pariunt mirabiles conſiliorum, contentionum, et certaminum motus. Sed uincit tandem ambitio pietatem, uincunt inſidiæ uirtutem, triumphat perfidia, & ſequuntur, quæ talia ſcelera certò comitari ſolent, pœnæ, Agamemnon à coniuge ultrice parricidij, interficitur, Vlyſſes autor & machinator ſcelerum à proprio filio opprimitur, ac feriunt, ſicut fit, pœnæ eam partem, per quam peccata committuntur, Menelaus cum uxore probroſa infamem, & quauis morte triſtiorem uitam in ſummo odio, & execratione ciuium exigit in tenebris & ſolitudine, ita ut ne in publicum quidem uel ipſe, uel uxor prodire

dire auſint, metu ne lapidibus obruantur. Talia exempla ſcelerum & pœnarum pinguntur in his fabulis, quæ aliud nihil ſunt, quàm imago humanæ uitæ, & doctrina de timore Dei, cultu iuſticiæ, ac pietatis, et concio de horribilibus pœnis, quibus atrocia ſcelera diuinitus puniuntur. Oratio in hac fabula fuſior eſt & ſublimior, quàm in cæteris, ut non ſine cauſa dubitarint aliqui, utrum hæc Sophoclem, an Euripidem parentem referat. Sed non eſt dubium quin Euripidea ſit, cum pro perpetuo erga Lacedæmonios odio, Menelaum omnium ſceleratiſſimum faciat, cætera in ipſa tractatione, ea, qua debemus, fide & diligentia explicabimus, ac memores erimus præcipuè noſtri inſtituti, ut ea, quæ ad Grammaticam rationem pertinent, qualia in choris non pauca ſunt, quantum à me fieri poterit, inexcuſſa non relinquamus. Precor æternum Deum, qui Pater eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut nobis docentibus & diſcipulis diſcentibus, Spiritu ſancto ſuo adſit, mihi iam ſeni uires ſufficiat, et pacem nobis, ac tranquillitatem ad has Scholaſticas operas Eccleſiæ & Reipub. ſummè neceſſarias et utiles, clementer largiatur, per Chriſtum filium ſuum, Amen. Die 8. Decembris, Anno 1560.

Vitus VVinshemius Senior D. Artis Medicæ.

IVRIS

IVRIS STV-DIOSIS.

INter reliquos adquirendi modos, longè amplißimus et legitimus eſt, is, quo ad hæreditatẽ alterius ab inteſtato uocamur. Nititur enim ipſa ratione naturali, quæ quaſi tacita quædam lex, ut Paulus I. C. ait: Liberis Parentum hæreditatem addicit. Ideoq; nulla tam barbara, neq; tam inculta fuit gens, quæ defuncti hæreditatem ad proximum redire debere, non agnoſceret. Et lege quoq; ipſa duodecim tabularum prætorum edictis, & principum conſtitutionibus ſuſtinetur. Et pari morientium uoluntate ſuſtentatur. Nam non difficulter colligitur & iudicatur, eum, qui cum teſtari, & ſuo arbitrio hæredes ſcribere poſſet, nec ſcripſit, ab inteſtato hos uocare uoluiſſe, quos prima ſucceßionis ſpes attingit. Sed apud Romanos, quorum Iure nunc utimur, tanta legum, edictorum, & conſtitutionum mole, & tot interpretum laqueis, hæc materia inuoluta & obſcurata fuit, ut doctißimis quibuſuis difficilius nihil uiſum ſit, quàm haſce, de hæreditatibus ab inteſtato, ſucceßiones, in corpus unum colligere, et commodè tradere ac proponere poſſe. Decreui igitur eam materiam, Deo uolente, aggredi, quam in breuißima quædam capita et ἀξιώματα contrahant, ut ſtu-

ut ſtudioſi Iuris, totam huius rei tractationem præ oculis propoſitam habere poßint. Plurimum enim diſcentibus prodeſt, in tot interpretum multitudine, eorumq; inter ſe diſſentientibus opinionibus & diſputationibus, ueram & ſimplicem, ac ipſis legibus congruentem interpretationem ordine redactam, & comprehenſam tenere. Inchoabo autem adiuuante Deo, hunc de ſucceßionibus ab inteſtato tractatum, ad proximam diem Iouis hora octaua. Quæ ſi minus commoda auditoribus uiſa fuerit, deinde à me mutari poterit. Adiungam etiam huic tractationi librum quartum Codicis, eundemq; hora ſecunda conſueta maiori breuitate, quàm hactenus à me factum eſt, pertexam. Legam autem in ædibus Chriſtophori Schrammij. Datæ 8. Decembris, Anno 1560.

Valentinus Forſterus D.

INI-

INITIVM ANNI 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PEtrus Vincentius Vratislauiensis artium humanitatis Magister & Professor.

INter admirabilia Dei opera, quæ numero sunt infinita, & magnitudine stupenda, nullum est uel maius, uel admirabilius, uel ad humani generis salutem abundantius atq; uberius, quàm diuinæ & humanæ naturæ in æterno Dei filio Domino nostro Iesu Christo copulatio. Qua primum in arcano consilio diuinitatis decreta, & primis parentibus denunciata per filium Dei λόγον, simul generis humani in tristem & æternum interitum collapsi instauratio, & reparatio salutaris inchoata est, impetrato per eundem filium λόγον καὶ ἱκέτην apud æternum Patrem, mirifico & stupendo iusticiæ & misericordiæ Dei temperamento, cum ira Dei & pœna in filium assumpturum creaturæ suæ massam deriuata, immenso & inenarrabili Dei erga homines amore, et commiseratione parcitur ei uniuerso cœtui, qui patefactione, & publicatione arcanæ sapientiæ, & uolun-

tatis Dei per orbẽ terrarũ sonante colligitur & instauratur ad æternæ iusticiæ, uitæ & gloriæ cũ Deo societatẽ. Nullæ mentes humanæ aut angelicæ huius Mysterij à seculo ut Paulus inquit, absconditi magnitudinẽ cogitatione cõsequi possunt. Et obstupescere ad uirginis salutiferũ partũ καὶ ἁγίαν θεοῦ ἐνανθρώπησιν necesse est, quidquid est in tota rerum natura rationis particeps. Sed hic stupor ut in genere humano emendaretur, & in piam admirationem, hoc est, in agnitionem essentiæ, & uoluntatis Dei, hominibus salutarem & gratam, ac redemptori debitam prædicationem conuerteretur, patefecit sese diuinitas missio ex Maiestatis suæ arcana & incomprehensibili sede filio, qui ab initio, ut Iohan. 8. dicitur, cum Ecclesia locutus est, & cum sit λόγος ἀΐδιος καὶ αὐτός, decretũ Euangelij de restitutione humani generis ex sinu æterni patris allatum primus dixit, & deinceps Patrum, Prophetarum, & post assumptam humanam naturam ex uirgine, suo ipsius, & Apostolorum ministerio per totum orbem salutaris doctrinæ uocem sonare uoluit, instituto ad eam latissimè diffundendam, & diuinitus semper conseruato, atq; defenso mirabiliter, & propagato ministerio doctrinæ in Ecclesia.

Agnoscamus igitur utrumq; immensæ bonitatis Dei beneficium, & filio Dei Domino nostro

Iesu

Iesu Christo gratias agamus toto pectore, & assidua precatione, quòd humanam naturam assumpsit, quòd intercedit pro nobis, quòd uictima factus persoluit λύτρον pro genere humano, quòd instituit ministerium, in quo ipse est efficax, & instaurat in nobis iusticiam, & uitam: Et oremus coniunctis precibus & gemitibus cum Ecclesia cœlesti & adhuc militante in orbe terrarum eundem æternũ filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, ut nobis perpetuò sit Emanuel, & colligat sibi in his regionibus & inter nos perpetuam Ecclesiam, & faciat nos uasa misericordiæ, sanctificet ac regat nos, ut grata ipsi faciamus, & defendat cœtum nostrum aduersus Diabolos, & Hæreticorum, & Sycophantarum furores ac rabiem. Hæc nostra uota, ut sint conspicua, hortamur Scholasticos, ut gratitudinem suam erga ministros Ecclesiæ ostendant, et usitato more ad Aram unà nobiscum afferant munuscula sua, & uolentes faciant, quod ab alijs, qui non sunt ordinis nostri, hostiatim exigi solet. Præcipimus etiam, ut his diebus Festis, qui ad erudiendam Ecclesiam, et piam celebrationem beneficiorum filij Dei instituti sunt, modestiam dignam pietatis & liberalis doctrinæ studiosis, præstent, ac uitent nocturnos tumultus, & agrestes uociferationes. In quo scimus bonos ultrò nobis obtemperaturos esse. Alij si ab exactoribus

toribus erunt deprehensi, sciant se à politico Magistratu punitos iri. Ac puniet ipse Deus sui contemptum, sicut inquit uox diuina: Contemnentes me reddam contemptos.

Te igitur fili Dei Iesu Christe, qui nostri caussa homo factus es, flexis genibus cordis nostri supplices oramus, ut Ecclesiam & hanc Academiam tuam clementer serues & protegas propter gloriam nominis tui, & per te partam nostri omnium salutem.

Die admirandæ natiuitatis filij Dei, Anno 1561. quem Deus uelit nobis faustum esse, & salutarem.

NATALIS DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI Iesu Christi &c.

NEc melior, nec maior erit Sapientia cœlo
Cõgressu in medio superũ, nisi cernere uultu
Cum dabitur propiore Deum, mirandaq; uincla
Naturæ duplicis miranda in prole parentis.
Nec uidisse semel sat erit, iuuat usq; morari
Aspectu, & geminæ stirpis pia fœdera, & ipsas
Vestigare animo caussas, semperq; recenti
Lætitiæ indulgere super molimine tanto,
Et super hac bonitate Dei, & imagine amoris.

Felix ô cui se manifesta in luce uidendam
Maiestas æterna dabit: simul ille profanos
Arguet increpitans, tantisq; incredula rebus
Agmina, nec toties patefacto numine mota
Conuincet uisu, sed enim sub uindice flamma
Conuinci æternùm tantos gens illa furores
Sentiet, & scelus æterna iam in morte reuelli.
Intereà pater ipse Deûm tamen esse piorum
Concilia in terris uoluit, quæ cœlitus acta
Assererent dictis, populisq; exacta referrent:
Vulgariq; cupit famam, & constare per orbem
Notitiam Nati, qui ne mortale periret
Omne adeò genus in terris, Deus æthere ab alto
Visit humum, uerumq; hominem sese ore ferebat
Consortem indutus massam, sine crimine massam,
Quem pater ad pœnas ardens ob nostra reposcat
Deliquia, & culpam hanc ipsius morte piaret,
Vnus pro multis qui fata impleret, & ultrò
Sanguine deposito debentem uindicet orbem,
Euerso & lethi imperio, scelerisq; nefandi,
Iusticiæ iam dona iterum, uitamq; per altum
AEthera, in antiquam sortem ferat, et patris iram
Supplicibus superet uotis, flectatq; precando.
Et modus est simplex, cõpendiaq; una supersunt
Concilium quibus ipse Pater sibi cogere cœlo
Humana de gente parat, dum munere uerbi
Per populos dat iura, uiamq; ostendit Olympo

Voce

Voce sacra, cuius medio de munere solùm
Filius in terris uires agit, intus & astans
Notitiam dat habere sui, dehinc obside Flatu
Fœderis obsignat leges, hoc omine firmat
Quæ pepegit dictis: aliter, non artibus ullis
Vincere, nec cœli poteris euadere ad auras.
Sed licet æternam seriem, et uim numinis alti
Naturamq; Dei, stirpemq; in prole gemellam
Vnitam nexu, tàm angusto in lumine uitæ
Non acie assequimur, defectaq; robore mens est:
Ipse tamen nostri generis uelut induit artus,
Partem aliquam nostri generis sic ipse docendo
Filius informat, signisq; ita firmat, ut ausint
Et dictis adhibere fidem, & spem figere in illis,
Assensuq; sequi patefacta tot ædita diuûm.
His licet obsistat circum præcordia languor
Plurimus, assensumq; premat, tamen insitus aluo
Non maturus adhuc aliter ceu fœtus, apertos
Per cotylæ ductus, & tandem luminis usum
Expectat: sic sorte data, uelamine uerbi
Obtenti securum agitant immuniter æuum,
Et sacro impleti flatu saturantur, & optant
Ire ad conspectum cari genitoris, & auras
Lumine perfusas cœlesti, & munere uitæ.
Intereà dum fata sinunt, auraq; fruuntur
Mortali, nec adhuc cœli sunt luce recepti,
Primitijs studij dedunt sua pectora, & ultrò

 Indul-

Indulgent operis cœlestibus, ipsaq; tandem
Accipienda fide cœlestia munera norunt,
Quaq; datur, dictis inhibent, & probra reuellunt
Facta Deum contrà studijsq; animisq; parati
Vel mortem insignem Christi pro laude paciſci.
Quare agite ô homines quãdo ipsa uolubilis an-
Tempora, tantarũ renouant præconia rerum, (ni
Mirandosq; ortus pueri, iunctasq; duorum
Naturas generum, secum, inter seq; uolutant
Christicolæ, festosq; dies de nomine Christi
Læti agitant, Regiq; noui uenerantur honores
Cuius ab auspicijs iam pristina commoda mundus
Ingreditur, quibus exciderat defectibus ædæ:
Nos etiam accitis tantarum ad munera rerum,
Parsq; pij generis quod uerbi inuoluit amictu
Rex superûm, placidusq; fouet, uiresq; ministrat,
Linquamus terras animis, iuuat æthera mente
Concipere, atq; ipsum uotis expoſcere Christum
Informet mentes, fatisq; abstrusa recludat,
Inq; dies incepta suæ primordia lucis
Prouehat, inq; animis sacrata suscitet aura,
Vt tantis uitæ in tenebris propiore fruamur
Cognitione sui, ueroq; leuamine cordis
Præsentem experti uideamus numine amico.
At non hæc nullis animis opera alta Parentis
Expendat mortale genus, mentisq; benignæ
Argumentum ingens, diuini & pignus amoris.

Nam

Nam quæ te causſæ miſerantem incommoda nostra
Imperijs egêre suis deſcendere Olympo,
Et nostri generis tibi Christe inducere maſſam?
Humana ad nihilum penitus natura rediſſet
Victa parata neci, legem niſi fata tuliſſent,
Vt res humanas extrema in ſorte locatas
Filius aſſumpta mortalis imagine maſſæ,
Componat medius, cognataq; uiſcera ſecum
Sustentet Deus ille Deo genitore creatus,
Atq; humeris præ ſe portans, ita fœdere facto
Aſſereret gentes ab iniqua lege Tyrannum.
Ergo etiam Iſacidem medio iam in turbine lethi
Verſantem, & natos fatorum arcana docentem,
Accipimus dixiſſe Silon de uirgine natum
Seruatorem hominum cœliq; orbisq; potentem.
Nam fragili cinctus maſſa fit & ille cruentæ
Aßimilis pelli cum crimina noſtra piaret:
Atq; illa ipſa Deus ſeruans uelamina maſſæ
Indeiecta ſuæ, nos clauſos ſeruet in illis.
Deinde ubi iuſta Dei cenſura, atq; integer or-
Iuſticiæ, impenſis pœnæ pro crimine facto (do
Poſceret impleri: tùm ſors æquata ferebat,
Cùm genus humanum uetitos admiſerit auſus,
Vt quis in humana pœnam quoq; gente ſubiret.
Ac nec homo poterat rebus par eſſe gerendis,
Ni ſoboles æquæua Patri, mortalia membra
Suſciperet, tantasq; uices abſolueret ultrò.

Prætereà triplici deuinctus sorte Redemptor
Flaminis exercet munus, dum iussa parentis
Primus ad ora hominũ uulgat: dum labra resol-
Pro miseris conducta reis: dum sistitur aris (uit
Sacra ferens, nostrosq; pians uelut agna reatus.
Nullum adeò genus in terris, nullumúe creatum
Ire, redire uias adytis, atq; alta tueri
Mente potest consulta Dei, nec corda petentûm,
Non animum, mentemq; Dei, Sed Filius astans
AEternûm inspector, natusq; in corde Parentis,
Hic noua gratuitæ profert decreta salutis.
Atq; ut sorte pari precium pro crimine constet,
Veri hominis, ueriq; Dei se stirpe ferebat.
Deniq; non sat erat tam dura expendere tantum
Supplicia, atq; extrema pati, sed enim arduus ipse
Vt genus humanum stygijs seruaret ab undis:
Ille metus omnes, hostesq; Acheronte remissos
Suppositit pedibus, mortemq; in iura redegit
Omnia in antiquum referens quib. excidit Adam.
Verus & Immanuel præsens ubicunq; locorum
Agmina sustentat credentum, atq; alleuat ulnis
Ore fouens, uitamq; animis solamine dicto
Intus agit, monstratq; patrem, patris instar in illo
Consortiq; aura diuinos afflat honores. (est,
Et dubitant homines amplecti hæc munera, &
Muneris auctorem fido supponere cordi? (ipsum
Salue nate Dei tenui qui sorte sub orbem
Veniſti,

Veniſti, ut nostrã sortem, & mala cuncta leuares,
Abiectusq; lates inter stabula alta ferarum,
Vt nos excipiant speciosa palatia cœli:
O sate mente Dei collapsam labe salutem
Qui reuchis nobis, æternaq; munera reddis
Iusticiæ, pulsumq; hominem super astra reponis:
Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.
Effice ut hoc anno sæui inclementia Martis
Per maria ac terras omnes sopita quiescat.
Immunem à cœli morbis, Martisq; furore
Da patriam hanc, uideas quo sit discrimine rerum
Hei misera, & uiduata suo rectore Philippo,
Qui Patris, laudesq; tuas prouexit in orbe,
Nunc ô nunc dubijs tantum ne defice rebus:
Per te confecti curis, morboq; leuamen
Accipiant, duce te contingant sydera cœli.
Sed uelut obtectum fœno, & præsepe latentem
Inquirunt reges extremo Oriente profecti,
Et pueri teneris fundunt munuscula cunis:
Sic qui partem aliquam cœli quoq; in agmine ha-
Expetitis, lustrati animis accedite anas (bere
Et regis præsæpe noui, date munera egenti
Cum puero Matri, uobis meliora dabuntur,
Nempè Miniſterium specimẽ præsepis adumbrat,
Hoc illi domus est, non aspernate latebras
Hospitij uilis, nec longè scilicet ille
Quærendus uobis, præsens agit omnia uerbo,

Illic, non alibi, Christi datur ora tueri,
Et penitus tanti ad regis peruadere honores.
Et si qua est usquam pietas, si gratia restat,
Si quis amor Regis tanti, date digna ministris
Præmia, & adpositis cumulate altaria donis:
Dij pia facta uident, & habent sua præmia grati.

Autore Iohanne Maiore Ioachimo
Theologiæ Doctore &c.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACAdemia VVitebergensi Iohannes Cnor Hochstetensis Francus.

HAlcyon in pelagi scopulis, ut tempore bru-
Oua fouet plumis, tectaq; frõde parat. (mæ,
Et rapidi parcunt uiolentis flatibus Euri,
Bisseptemq; silent æquora tuta dies:
Sic quoq; supremo mundus dum fine laborat,
Et sunt innumeris omnia plena malis:
Halcyoni similis nostra hæc Academia, nidum
Ad scopulos posuit, Leucori parua tuos.
Vtq; pios Christo produceret auspice fœtus,
Sæpè dedit studijs ocia grata Deus.
Et quamuis fuerit sæuis agatata procellis,
Non tamen æquoreas mersa subiuit aquas.

Hanc

Hanc quia fœcundam coniunctio sancta Lutherē
Fecerat, officio fide Philippe tuo.
Hinc educta fuit magno cum fœnore proles,
Quæ sonuit laudes maxime Christe tuas.
Quæ fuerat quondam tenebris oppressa profun-
Lux Euangelij protulit inde iubar. (dis,
Quæq; suis caruêre diu cultoribus artes,
Hîc primum ueterem deposuêre situm.
O bonitas immensa Dei: Quid gratius isto
Munere? Quidue dari maius in orbe potest?
Sed nunc illa quidem caro priuata parente,
Morte Luthere tua, morte Philippe tua:
Et gemit & plorat, ueluti consorte peremptо,
Halcyonum gemitu littora arua sonant.
Interea officium præstat Schola nostra docendo,
Erudit infirmas ut pia mater aues.
Hisq; suum defert studium, mentemq; benignam,
Censuram studij qui subijsse uolent.
Ergo Magisterij qui claros ambit honores,
Is sua det solito nomina more Scholæ.
Sed tu Gnate Dei, semper tibi collige cœtum,
Doctrinæ custos qui uelit esse tuæ.
Halcyonum facire dies regionibus istis,
Atq; aliquem nidum da superesse pijs.

Calendis Ianuarij Anno 1561.

ELEGIA IN OBI-
TVM CLARISSIMI POE-
tæ D. Georgij Sabini.

NON ego diſcrucier? lacrymarũ (fundam? et flumina
Non doleam triſti non ego mente queram?
Impero uix lacrymis, mœrens tua fata Seaunde,
Ecce noui rurſus cauſa doloris adeſt.
Tu quoq; Sol uatum, Charitum tu maxima cura
Occidis ante diem, cuite Sabine, tuum.
Omnia ſunt luctus, ſunt omnia plena timoris,
Imminet heu ſtudijs magna ruina bonis.
Inuida mors ducit pulcerrima quæq; ſub umbras,
Illius haud finem dira tyrannis habet.
Auſa ferox, immane ſcelus, ſcelus auſa nefandum,
Extinxit uatem Teutona terra tuum.
Scilicet ô Herebi & tenebroſæ filia noctis,
Faucibus abſorbes optima quæq; tuis.
Vtq; tuum cunctis ſit formidabile nomen,
Famaq; per partes notior orbis eat.
In miſeros ſæuis homines doctosq; piosq;,
Nec ceſſas ſolitum perpetuare nefas.
Sed licet haud ulli parcas, tamen eſſe Sabino
Debueras æquus, mors truculenta, magis.
Ille etenim Phœbo & Muſis cariſſimus æuo,
Neſtoreo dignus perpetuoq; fuit.

Non

Non mihi ſuccurrunt numeri, non uerba, nec ordo
Carminis, in laudes clare Sabine, tuas.
Omnia quæ dici, quæ ſcribi carmine poſſunt,
Inferiora tuis dotibus eſſe reor.
Tu decus Aönidum, tu gloria prima fuiſti,
Limpidus eloquij fonsq; nitentis eras.
Quis neſcit, quanto te ſit complexus amore
Bembus, & Italici docta caterua ſoli?
Quis tua non hominum cultiſſima carmina legit?
Quis te non oculis ſuſpicit atq; colit?
Te Liger, & Rhodanus, te Sequana deflet adem-(ptum,
Præcipuè Viadrus nunc tua fata dolet.
Doctrina celebris modò te Camerarius ornat,
Te mœſtus numeris condecoratq; ſuis,
Adfinesq; dolent, plorat caſtiſſima coniunx,
Eſt calidis lacrymis tota repleta domus.
Pegaſides diuæ, ſacra numina, adeſte dolentes,
Triſtitiam uarijs ſignificate modis.
Linquite Parnaſi montis iuga, linquite campos
Phocidis, & tantum numina flete uirum.
Illius ad tumulum fragrantes ſpargite flores,
Et lacrymis manes condecorate pios.

Lipſiæ 6. Ianuarij Anno 1561.

Autore Georgio Craccuio
I. V. Doctore &c.

DECA-

DECANVS COLLEGII IVRISCONSVLTORVM IN Academia VVitebergensi, Iohannes Schneidewein I. V. Doctor S. D. Lectori.

VTilißimum est assuefacere mentes, ut sæpè cogitent de Legum fontibus, ac necessario eò earum usu, & ut totum ordinem politicum uenerentur, & pijs precibus conseruationem eius à Deo petere discant. Primùm enim noticiæ naturales, quæ discernunt rectum à non recto, & similes aliæ sententiæ nobiscum nascentes, sunt illustria testimonia de Deo & de prouidentia. Ostendunt enim naturam humanam non casu ex Democriti atomis confluxisse, sed magna arte & sapientia conformatam esse à creatore sapiente φιλανθρώπῳ, ueraci, iusto, casto, libero, uindice scelerum. Sunt & testimonia de Deo, miranda conseruatio societatis humanæ, Imperiorum constitutio, & horrendæ pœnæ scelerum, quæ Deo iusticiæ suæ normam tuente & exequente, comitantur petulanter delinquentes, iuxta dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit: Væ qui spolias, quia spoliaberis. Omnis anima quæ fecerit abominationes has (intelligit autem commixtiones incestas) euometur ex terra. Idcircò Plato ait uetus

uetus dictum esse, quòd Deus ipse directam iusticiæ suæ normam in naturam extenderit, et adsit huic, trahens secum uindictam, quæ deerrantes à rectitudine legis diuinæ puniat: ὁ μὲν δὴ θεὸς ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, εὐθεῖαν περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. τῆς δ' ἀεὶ ξυνεπεταιδίκη τῶν ἀπολειπομένων τὸ θεῖον νόμου λιμοῦς.

Hæ cogitationes sæpè repetitæ confirmant assensionem de Deo & de prouidentia, & abducunt mentes à Cyclopicis opinionibus, & prosunt ad disciplinam, excitant & alunt amorem Legum & ordinis politici. Cùm enim cernunt animi leges esse riuulos deriuatos ex æterna Dei sapientia, & conseruationem societatis humanæ ac pœnas sceleratorum esse opera Dei, concipiunt amorem & reuerentiam erga leges, & obediendi legibus studium, seq; ad tuendum omnibus officijs ordinem politicum, de legum præscripto incitant & flectunt.

Syracidis dictum illustre est: Ανὴρ σοφὸς οὐ μισήσει νόμον, ὁδ' ὑποκρινόμενος ἐν αὐτῷ, ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον. Id est: Vir sapiens non odit legem, Qui uerò est hypocrita in ea, est uelut in tempestate cymba, id est, simulator, qui non uerè assentitur uoci diuinæ, qui legem putat fabulam

fabulam esse astutè excogitatam ab hominibus pacis causa, aut ut Hippias apud Patonem: Τύραννον πολλὰ διαζώμενον τοὺς ἀνθρώπους παρὰ τὴν φύσιν, *eò quòd uagabundas hominum cupiditates frenet ac coherceat, Is erit ut cymba in tempestatibus, iactabitur fluctibus cupiditatum & Diabolorum impulsionibus, & tandem sine consolatione ruet in exitium æternum, ut ruunt Tyranni, qui sic sentiunt, ut in Tragœdia dicitur: Sanctitas, Pietas, Fides, Priuata bona sunt, quá iuuat Reges eant.*

Vt autem conseruetur legum autoritas, & ad cognitionem doctrinæ legum, inuitentur & adducantur Iuniores, sapienti grauiq; consilio institutum est, ut in Academijs sonet uox legum, & per idoneos interpretes enarretur. Deinde ut rectè eruditi, & quorum eruditionem et sapientiam spes est usui futuram esse publicæ gubernationi in demonstrandis ac declarandis iusticiæ fontibus, ornentur testimonio publico.

Cùm ergo in Academia nostra multos annos operam dederit doctrinæ Iuris, uir eruditione & uirtute præstans Victor Ottingus Reualiensis, cum magna laude eximiæ diligentiæ, & profectuum suorum, cùm sæpè aliàs, tum secundum leges & institutum Scholæ nostræ hisce diebus eximium ediderit specimen publicè & priuatim, & confidamus

damus magnum eius in doctrinæ propagatione & gubernatione iusticiæ, quæ regit & continet Imperia, politias & iudicia, usum futurum esse, decretum est collegij nostri sententia, ut conferantur ei insignia Doctoratus in utroq; Iure solenni & publica renunciatione. Huic renunciationi destinata est dies 3. Februa. Id significare publicè uolui.

Hortor autem Scholasticos nostros, ut eo die in templo Arcis conueniant frequentes, cùm ut declarent suã erga Deum pijs precibus gratitudinem: reuerentiam uerò erga doctrinam legum tanquàm rem sacram à Deo profectam, ac prouidentiæ diuinæ beneficio consistentem, quæ societatis humanæ neruus est præcipuus, sine quo aut Tyrannidem beluinam, nullis inclusam carceribus, aut Anarchiam Tyrannide deteriorem dominari necesse sit: tùm, ut ostendant se amare ac uenerari hos publicos congressus, qui precum & utilium commenefactionum causa celebrantur.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PE-

trus Vincentius Vratislauiensis artium liberalium Magister, & Professor publicus, Lectoribus S. D.

VT alij ritus pij & honesti in Ecclesia disciplinæ causa instituti sunt, ita & funerum ceremoniæ seruantur, non superstitione aliqua, Sed ut sint commonefactio de fugacitate uitæ, & pia ad mortem præparatione, Sicut scriptum est: Cogita nouissima tua, & non peccabis. Considerentur autem in his congressibus, non solum causæ peccati & mortis, Sed etiam mentes erectæ sint cogitatione ad filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui est peccati destructor, mortis expugnator et deuictor, salutis & iustitiæ instaurator, & dator uitæ, & gloriæ æternæ his omnibus, qui fide confugiunt ad ipsum clamantem in Euangelio: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et iterum Iohan. 6. Hæc est uoluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui uidet Filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Ad harum saluberrimarum cogitationum societatem uos inuitamus, cum funera piorum cum aliqua frequentia deduci iubemus, etsi

etsi & aliæ quoq; consuetudinis nostræ piæ sunt, & honestæ causæ. Nam & luctu amicorum nos adfici est humanitatis, & propter spem gloriosæ resuscitationis mortuorum in nouissimo die Exuuiæ Sanctorum honorificè humo condendæ sunt: & ad talium congressuum reuerentiam & societatem iuniores oportebat adsuefieri maturè, & à primis annis alendæ & confirmandæ pietatis animi causa. Decessit autem hesterna die in uera & assidua inuocatione filij Dei, Domini nostri Iesu Christi honesta matrona Dorothea, coniunx uiri, sapientia & uirtute præstantis Domini Iohannis Lufftij Senatoris & Typographi, quæ cum Marito optimo & humanissimo uiro annos ferè quadraginta & unum in coniugio tranquillo & fœcundo piè & concorditer uixit, & laudem earum uirtutum, quas commendant in matribusfamilias literæ Apostolicæ, celebrem post se reliquit, cum quidem pietate erga Deum eximia, fide, ac dilectione erga maritum constanti & perpetua, & officijs ac beneficentia, erga pauperes, ac præcipuè erga grauidas fœminas, quibus fœlicissimæ sæpè obstetricis loco fuit in partubus difficilimis, perfuncta, & inter ardentissimas preces ad consuetudinem cœlestis uitæ euocata, proail dubio ad cœtum emigrauerit eorum, de quibus scriptum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Adfici etiam nos

luctu & orbitate honestißimæ familiæ decet, & cum primis mariti, qui tot annos cum fide, & singulari fœlicitate excudendis germanica lingua Biblijs, atq; alijs utilißimis Lutheri lucubrationibus, inde usq; ab instauratæ purioris doctrinæ Euangelij initio, Ecclesiæ utilem operam nauauit, & de tota posteritate præclare meritus est: propter uitæ uero integritatem, & suauißimos mores uiris Dei, Luthero & Philippo, nostris sanctæ memoriæ Præceptoribus semper mirifice carus fuit, & in hac senecta à nobis omnibus non solum diligitur, sed etiam colitur honorificè, & reuerenter. Cui in hac ætate præcipuum rei domesticæ fulcrum, & familiæ ornamentum, et senectutis solatium, fidelißimam coniugem ereptam esse dolemus. Sed scit & ipse, quæ eius sapientia & pietas est, Deo reuerenter obtemperandum esse, & deinceps confirmatus consolationibus diuinis statuere debebit, cum coniuge benè actum esse, quod annis iam atq; ætate grauis & ærumnosæ uitæ satur ad portum lætissimæ cum Deo consuetudinis traducta est, & dulcißimo Christi & Sanctorum omnium colloquio, cum æterna & inenarrabili delectatione fruitur. Speramus etiam Deum pro immensa bonitate uiro optimo senectæ & uiduitatis ærumnas clementer leniturum esse. Vt aũt luctus nostri societatẽ et animi nostri erga illam, quæ defuncta est, adfectionẽ ostendamus, hortamur Scholasticos, ut hora duodecima ad domũ funeris, quæ est in Platea consulari frequentes conueniant, et in deductione suã singuli salutẽ, et uitam Deo piè commendent, & preces suas ac gemitus pro Ecclesiæ et Academiæ nostræ, cuius ipsius quoq; orbitas in conspectu est, incolumitate nobiscũ coniungant, et commonefactiones usitatas de fragilitate uitæ humanæ, de causis mortis et de instauratione humanæ naturæ, facta per filium Dei Dominũ nostrum Iesum Christum, sibi subijciant. Te aũt fili Dei crucifixe pro nobis & resuscitate, uere Emanuel ardentibus uotis & gemitibus oramus, ut inter has feces ultimæ & squalidæ senectæ mundi Ecclesiam tuam serues, & nos in ea protegas, & facias σκεύη ἐλέους salutaria Ecclesiæ & animabus nostris. Oramus etiam te Iesu Christe, qui es sapientia æterni Patris & magni consilij Angelus, ut Principum nostrorum animos & consilia regas, ut sint Ecclesiæ tuæ & posteritati, si qua erit, salutaria, et æterno ac magno nomini tuo gloriosa, Amen. Quarto Calend. Februarij, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PEtrus Vincentius Vratislauiensis artium liberalium Magister & Professor.

ET uir et ciuis bonus et uerè (ut Comicus ait sumpta de meliore sæculi descriptione) homo antiqua uirtute & fide fuit Magnus Person natione Scotus, qui cum patriam odio idolatriæ reliquisset, iuuenis in germaniam uenit, ac sedem uitæ & fortunarum suarum amore & studio cognoscendæ doctrinæ Euangelij, cuius lucem accensam diuinitus in his terris agnoscebat, hoc oppidum delegit. Sæpè commemorans amicis & crebris sermonibus usurpans dictum Psalmi: Beati qui habitant in domo tua Domine, bi in æternum laudabunt te. Item: Elegi sedere potius in limine domus Dei, quàm habitare in tabernaculis Impiorum. Ita autem in societate Ecclesiæ huius & oppidi uixit ad annos quasi triginta tres, & heri decedens ex uita hac ærumnosa, fidei, candoris, beneficentiæ, humanitatis, et omnium uirtutum, quæ possunt de honesto ac pio patrefamilias & ciue commemorari, memoriam dulcem omnibus bonis in uicinia, sed desiderium sui triste reliquit familiæ, amicis, & ciuibus uniuersis. Fuit in sermone constans, & uerax, iustus in contractibus, fidelis erga magistratum, duarum coniugum maritus castus & grauis, in educatione liberorum, pius & sine morositate seuerus, hospitalis erga peregrinos, in ciues beneficus, denique aduersus omnes homines comis & officiosus. Cuiusmodi ciuium quò

quò maior penuria est tali tempore hoc gratior huius honestißimi uiri recordatio bonis omnibus semper futura est. Cum autem has uirtutes politices, quæ ei geminæ fuerunt, & auxerit & confirmauerit uera agnitione essentiæ & uoluntatis diuinæ patefactæ in doctrina Ecclesiæ, ad quam tanquam Cynosuram duxit totum uitæ curriculum, & Deum fide semper intuente filium Mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum rectè inuocauerit, dubitari non potest, quin ipsius soluta à corpore anima emigrauerit ad societatem Ecclesiæ cœlestis, in qua coram Saluatoris Christi & Apostolorum & piorum omnium dulcißimo conspectu & colloquio fruitur, & tanquam in portu optato læta acquiescit expectans instaurationem exuuiarum, quas hodie humo religiosè condemus. Hortamur autẽ scholasticos ut ad funeris ceremonias conueniant hora duodecima, ubi singuli sese de huius uitæ fugacitate, de causis calamitatum & mortis, et gloriosa corporum nostrorum resuscitatione ad aliam uitam commonefaciant, & ad hoc iter & inenarrabilis lætitiæ cum Deo consociationem æternam præparent. In tanta uerò infirmitate humanæ naturæ præsertim qualis est in hac squalida mundi senecta, sciant omnes homines eam ipsam παρασκευὴν, & necessariam esse saluti suæ, et aliam nullam esse, nisi ueram ad Deum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000234

conuersionem, quæ cum constet uera mœsticia et expaueſcentia cordium orta ex consideratione iræ Dei et constante mortui et reſuſcitati filij Dei Domini nostri Ieſu Christi fiducia, lætante & acquieſcente in Deo & uerbo Euangelij, per quod et non aliter sanctus Dei Spiritus est efficax: manifestum est in hac triſtiſſimorum temporum quaſi fatali gyratione, et ſubitis mutationibus ac ruinis, ualde neceſſarium esse, ut omnes nos, præſertim qui Eccleſiæ Dei membra & esse, & perhiberi uolumus, uitæ & morum futilitate, ignauia, ſecuritate, ebrioſitate immunda, & turpitudinis omnis iugo excuſſo atq; depoſito, donorum Dei in nos fundendorum capaces reperiamur, in uitæ modeſtia, ſobrietate et caſtimonia uitantes ſingulari ſtudio ſocietatem leuium hominum, qui imitantes fœda Ethnicorum orgia & Lupercalia domicilia ſe dæmonũ faciunt irridentium immani furore Deum & Eccleſiam, ut circa hoc ipſum tempus ante annos 1527. faciebant, damnatus latro et blaſphema gentis Iudaicæ multitudo, quem Dei blaſphemum & horribilem contemptum in tanta luce doctrinæ, ut à nobis & omnibus pijs auertat ipſe filius Dei, ſua apud æternum patrem interceſſione ardentibus uotis ipſum oramus. Datæ die 15. Februarij, Anno 1561.

PRO-

PROHIBITIO BACHANALIORVM PROPOSITA publice in Academiæ VVitebergenſi.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PETRUS Vincentius Vratislauienſis artium liberalium Magiſter et Profeſſor publicus.

MOEſticiæ publicæ multas graues cauſas, & iuſtiſſimas habemus, non ſolum ex recordatione præteritarum calamitatum: Sed etiam conſpectu præſentium, & earum, quæ impendent, ac præ foribus ſunt, cogitatione, quas qui ita ſecurè negligunt, ut ijs non adficiantur, multò duriores ſunt illis ipſis ſcopulis, qui circa hoc tempus ſuſtinente mortis agonem filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto, rupti diſſilierunt. Ac ſi cætera omnia nobis ſarta tecta, ut dicitur, eſſent, ſi doloris & mœſticiæ, neq; cauſæ aliæ, neq; fomenta ulla nos premerent: tamen hoc tempore, quo ante annos 1527. admirandum opus redemptionis generis humani conſummatum eſt, occupari animos præcipuè decebat pia, ardenti, & aſſidua

aßidua meditatione, primum tristißimæ iræ Dei aduersus peccata generis humani, quæ tanta sunt, ut nulla alia uictima, nisi ignominiosa filij mediatoris Domini nostri Iesu Christi, ueri Dei, ueriq; hominis, morte placari potuerit: Deinde uerò immensæ etiam dilectionis Filij erga genus humanum, qui cum sit ὁμοούσιος æterno patri, tamen propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & naturam humanam admiranda unione sibi copulauit, ut in ea λύτρον exolueret pro peccatis mundi, factus patri obediens usq; ad mortem, Mortem uerò, ut Paulus ad Philippenses inquit, Crucis, cum Emphasi grauißima Saluatoris inenarrabilem humilitatem subijciens Ecclesiæ oculis et cogitationi.

Huius admirandi consilij et operis diuini, in quo mirabiliter iusticia Dei, et misericordia miscentur, deriuata pœna generis humani in Filium humiliatum, qui solus propter unionem diuinæ naturæ precium erat æquiualens, quod opponi iræ Dei posset: Huius, inquam, caussæ excedunt omnium hominum, & Angelorum captum, & in tota æternitate considerandæ erunt. Sed tamen initia immensæ illius sapientiæ, piè, sobriè, sanctè, et aßiduè cogitanda & discenda sunt. Nam sine horum pia meditatione, constat aditum ad æternam Dei consue-

consuetudinem omnibus interclusum esse, Sicut scriptum est de doctrinæ contemtoribus: Quia scientiam repulisti, repellam te. Meditatio uerò sine sobrietate & modestia uitæ, & Dei inuocatione, nulla esse potest.

Cogitent igitur se non solum doctrinam ueram de Deo sonantem in Ecclesia, & Schola, ac pias meditationes, contemnere: Sed etiam, quod est multò horribilius, palàm contumelia adficere, & Diabolicis rictibus, exemplo scelerati Latronis, et blasphemæ multitudinis in gente Iudaica, filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, cruci fixum pro nobis & resuscitatum, irridere & allatrare, illi, qui mœstißimo Ecclesiæ tempore, tanquam σαρκάζοντες, laruati, & mußitantes se piorum oculis ingerunt, non tantum, ut ineptus ille Atticus Cynesias, qui quadam futilitate festa contraria usitatis celebrabat: Sed potius rabiosa ἐπιχαιρεκακίᾳ, tanquam uiui καὶ ἐνανθρωπισθέντες κακοδαίμονες, mœstæ & lugenti insultant Ecclesiæ, & piorum gemitus, lacrymas, & precationem fœdis spectris quasi furiarum infernalium turbant, & scandala cumulant, propter quæ, blasphemijs proscinditur paßim, & Dei nomen, & Ecclesiæ. Tales non imaginentur sibi impunitatem, etiamsi politicæ potestatis, quæ sæpè est, quàm oportebat, languidior, pœnas ad tempus euadunt.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000236

euadunt. Deus enim, ut grauissimè Paulus monet, non irridetur. Cuius ipsius etiam ira cum tardior est, tandem grauius premit & urget corda, ut nos in multorum tristi è uita exitu uidisse memmimus, & commemorare exempla possemus.

Cum autem non solum studijs adolescentiæ: sed etiam saluti corporum, & animarum consultam ex animo uelimus, quemadmodum uelle debemus, in quadam pia & iusta solicitudine auertendæ à nobis, aut saltem mitigandæ iræ Dei, quam uidetis crebrò nouis è cœlo prodigijs denunciari: hortamur uos & præcipimus, ut sitis modesti, pacifici, sobrij, & cogitetis uos in Ecclesia Dei non in Diabolorum lustris uiuere, & respiciatis simul animo non tantum tempus agonum filij Dei, quorum, cum simus membra ueræ Ecclesiæ, cum primis pia & grata cogitatione nos assiduè recordari decet: Verum etiam consideretis mœsticiam hoc tempore omnium piorum, & sapientum in Ecclesia, et Republica, et moueamini respectu ærumnarum, & orbitatis nostræ, uel potius totius Ecclesiæ, quæ breui temporis spatio, quanta uulnera acceperit, non possumus sine ingenti mœstitia cogitare.

Hæc ipsa dies decima sexta Februarij inculcat nobis assiduam cogitationem grauissimi casus, quem

quem anno superiore pertulimus, amisso ex nostra consuetudine uiro sanctæ & immortalis memoriæ, reuerendo Præceptore nostro D. Philippo Melanthone, qui quemadmodum Lutherus uerus Elias extremæ ætatis mundi meritò existimatus est: Ita hic noster cum Doctrinæ omnium optimarum artium, & literarũ instaurator esset, et Eliæ quasi pallio arrepto, in propagatione doctrinæ ecclesiæ fidelis παραδάτης Luthero semper fuisset, uerus ille quidem ætatis nostræ & salutaris Eliæus, hunc potissimum Mensem, atq; adeò hunc diem ortus quidem exoptatum, sed mensem ab hoc tertium obitus sui, nobis funestum habuit, Post cuius, ipsi quidem maturam, fœlicem, minimeq; inuidendam è uita migrationem, in quam incidimus orbitatem cum afflicta Dei Ecclesia, quot et quanta bona amiserimus, nunc demum propius sentire incipimus, posteaquam non iam de rebus indifferentibus, quæ pacientia & εὐφημία sanari potuissent, Sed de doctrina exasperari dissidia, & moueri tristissima certamina uidemus. Quæ quorsum euasura sint, nõ libet ominari. Vtinam non res ipsa ostenderet, præsertim in multorum plusquam canina non disputandi, quod hominum erat, sed latrandi, & mordendi rabie, quæ adsuefactis iam ad perpetuæ maledicentiæ rictus, labijs, auribus, & animis, (nisi Deus, de cuius benignitate

nignitate erga, Ecclesiam etiam in statu rerum desperatissimo diffidere minimè debemus, nos respexerit) oppressa tandem Ecclesia, & in angustias redacta, colluuiem Cyclopum constituent, in qua secundum Poetam ἀκουέι οὐδεὶς οὐδένος οὐδὲν, Et hoc multos ex πεοαιρέσει iam agere & in eo totos esse, utinam non esset luce clara manifestius.

Interea dum nos tanquam Cadmæi fratres, uel potius canes mutuis morsibus conficimus, alibi, ut in Hispania, Gallia & Belgico, & multis locis, ubi non sonat publica uox doctrinæ Euangelij, plus quam Neroniana sæuitia aduersus pios exercetur à Pontificijs. Nec interim quiescunt barbarorum hostium molitiones & arma, maximè gentis Moscouiticæ & Turcicæ, quarum illa innumerabilem multitudinem nobilium uirorum, & matronarum in barbariem abduxit, et crudelissimè trucidauit, Huius uerò post superatam à se & deuictam æstate proxima classem Hispanicam, noui & maximi adparatus in Europam uersus Italiam certis indicibus nunciantur.

In his tantis publicis & priuatis malis homines furenter deformibus ac fœdis Bacchanalium & Lupercalium ludis sese oblectare, & imitari Diabolorũ Orgia contumeliosa aduersus Deum, quàm

quàm sit indignum eo cœtu, qui uult perhiberi, & est uera Dei ecclesia, etiamsi ei multi improbi admixti sint, omnes pij, boni & honesti homines intelligunt. Hanc igitur commonefactionem proposuimus, ut constet coram Deo, & Ecclesia, nos ab hac turpissima, & Diabolica consuetudine, cùm alias, tùm hoc tali tempore nostro, & oculis, & animis, abhorrere. Atq; ea propter nostro loco, & officij ratione, seuerè prohibemus fœdas discursationes Laruatorum, & ludos, qui à mussitatione nomẽ habent, & nocturnos tumultus, ac beluinas uociferationes, gestationes armorum & dimicationes, quæ alioqui legibus nostris summa animaduersatione puniuntur.

Nec uerò dubitamus, pios & bonos sua sponte tristissimi temporis huius, & mœsticiæ publicæ, & præsentium calamitatum, & ærumnarum impendentium, periculorum deniq; fortuitorum & salutis suæ rationem habituros, & ut in talibus, quemadmodum Comicus inquit, facile imperium est, ultrò obtemperaturos esse: Sed reliqui antecedentes Diabolorum Orgia societati Ecclesiæ, pietati erga Deum, et obedientiæ debitæ ministerio Ecclesiæ, et legibus, ac piæ commonefactioni nostræ, cogitent triste exemplum agminis petulantis adolescentiæ in gente Iudaica crudeliter dilace-

dilaceratæ ab ursis, propter contemptam doctrinam, & commonefactiones Elisei, quarũ similes à uiro Dei, reuerendo præceptore nostro, piæ recordationis, sæpè multũq; audiuistis. Nec minus nunc puniet Deus doctrinæ suæ & filij contemptum, quam olim puniuit, in latrone sinistro, Luciano, quem nonagenarium canes dilacerarunt, Iuliano, et innumeris alijs, quorum impietatem nostræ lamiæ bacchanales hoc tempore imitantur.

Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui amore immenso & inenarrabili generis humani, uictima pro Mundi peccatis fieri clementissimè dignatus est, ueris gemitibus, & assidua precatione ardenter oramus, ut ipse Nauiculam Ecclesiæ suæ, concussam uarijs tempestatum & procellarum turbinibus, ac penè fatiscentem, clementer seruet, regat, & gubernet, & muniat eam contra deformis dissensionis, & aliorum scandalorum periculosos scopulos, ac flectat remigum suorum, & omnium, qui in eadem scapha uersamur, animos, ad studium ueritatis, & piam modestiam, congruentem ad normam patefactæ in uerbo Euangelij uoluntatis ipsius, & ad uitam ac mores ipsi placentes, propter nominis sui gloriam, Ecclesiæ incrementum, & nostri omnium salutem. Die 16. Februarij, qui est Natalis uiri Dei,

Dei, sanctæ memoriæ Philippi Melanthonis nostri carissimi Præceptoris, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PETRUS Vincentius Vratislauiensis artium humanitatis Magister & Professor.

HIC dies est natalis Caroli V. Imperatoris, quo multis retro sæculis non solum potentior Monarcha, aut fortunatior nemo, Sed etiam sapientia, animi moderatio in eo tanta fuit, quanta in nullo alio regum sui temporis. Cæteras autem uirtutes præcipuè in eo fulsit clementia & benignitas erga eruditos Mathematicos præsertim, & Medicos, quos non solum necessitatis causa, cum affecta ualetudine esset, liberaliter fouit, Sed etiam propter artium dignitatẽ coluit. Ac inter cæteros plurimi eum feciſſe Vesalium propter anatomes doctrinam accepimus, de qua uere scripsit Galenus, eam deducere homines ad Dei agnitionem. Quid enim mirabilius est diuina fabricatione humani corporis, quæ tamen nisi explicatis partibus intelligi non potest. Non igitur curiositate aliqua, sed ad cõsiderationem operis diuini & maximarum utilitatum causa in tuenda

tuenda ualetudine, et rectè instituendis medicationibus omnib. ætatibus hæc doctrina expetita est: propter cuius excellentẽ peritiã, ut Vesalium Imperatori, ita Casparum Lettemannum Austriacum ex inclyta urbe Lyncea optimo & sanctißimo principi Electori Iohanni Friderico Primo, ualdè carum fuisse pleriq; meminerunt. Huius Caspari filius Rupertus postea Vesalio admodum familiaris fuit, cuius consuetudine in doctrina anatomica tantum profecerat, ut si ei uita longior contigisset, patrem longè superaturus fuisse existimatus sit. Sed eum heri ex hac ærumnosa & fragili uita ad æternæ Scholæ consuetudinem Deus euocauit, qui cum decesserit in uera inuocatione & constanti fiducia ueri medici, σωτῆρος καὶ ἀρχιάτρου filij Dei Domini nostri Iesu Christi, unici instauratoris infirmæ compagis animarum & corporum nostrorum, & crexerit sese spe firmißima resuscitationis mortuorum, dubitandum non est, eum esse in numero electorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Huic funus fiet hodie hora tertia, ad cuius deductionem Scholasticos hortamur, ut conueniant in platea sacrificulorum non procul ab ædibus reuerendi senis ac patris nostri domini Doctoris Melchioris Fendij. Vetustas omnium gentium ceremonias funerum religiosè seruauit quadam humanitate, Sed pij in Ecclesia

Ecclesia sciunt hoc officium deductionis præstandum esse propter considerationem doctrinæ, quæ in his congreßibus cogitanda est de causis infirmitatis humanæ, et mortis, et de beneficijs filij Dei resuscitaturi corpora nostra ad societatem æternæ læticiæ & uitæ cum Deo. Ob eam causam, inquit Salomon, Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & uiuens cogitat quid futurum sit. Quare & nos optaremus in funeribus piorum maiorem Scholasticorum frequentiam conspici. Die Matthiæ, qui fuit dies & geneseos & coronationis & uictoriæ ad Ticinum Caroli Quinti Imperatoris Augusti, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Petrus Vincentius Vratislauiensis artium humanitatis Magister & Professor.

IN ea Norici ueteris parte, quæ hodie Austria nominatur, Vienna urbs est, olim Fabiana dicta, non eius solum regionis, Sed totius Germaniæ & ornamentum singulare, & propugnaculum munitißimum. Nam & gymnasium uetus habet, ex quo tanquam ex equo Troiano multa

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000240

eruditionis et uirtutis fama clari uiri semper prodierunt, atq; artes liberales, et cum primis Mathematum studia in reliquam Europam latè propagata sunt: & respublica urbis pulcerrimè constituta & ornata est legibus honestis, & grauissima morum censura, quæ à Senatu sapiente & graui seuerè exercetur, & domestica disciplina iuuentus ad pietatem erga Deum, et literarum studia, & ad modestiam uitæ, ac morum, singulari cura exercetur. Ciuium uerò quanta fides, integritas, & uirtus sit, conspici potuit, cùm ante annos triginta duos obsidente urbem Turcico Imperatore, & oppugnante, uim hostilem fortissimè propulsarunt, et exercitum abducere coëgerunt, in quo desiderasse eum constat amplius 30. millibus Turcarum, cum quidem urbs, nec mœnibus nec propugnaculis eo tempore sic munita esset, quemadmodum hodie Dei beneficio, munita conspicitur. Nec ab aula aliquid periculi est honestis moribus ciuitatis, cum habeat duo insignia Exempla pietatis, et omnium pulcerrimarum uirtutum, Inclytum Imperatorem, & filium Regem Bohemiæ, Principes religiosos, pios, fortes, benefícos, sobrios, castos, ad quorum exemplum ita se componit aula uniuersa, ut cuiusuis religiosissimæ & continentissimæ communitatis dicatæ Deo, arx, & illustre domicilium existimari possit. In ea igitur urbe adolescēs Baldassar Knor

natus

natus est ex honesta familia, in qua etsi ipse orphanus est, amisso iam olim utroq; parente: fratrem tamen Patruelem habet, uirum fortem, qui in obsidione Sigedensi anno 1557. primum signifer, deinde propter uirtutem in ipsis castris Dux exercitus factus est, Et sorores duas honestissimas matronas, & fœlicissimè elocatas, quarum altera coniunx est Guilielmi Reikeri, qui est Secretarius Nobilitatis Austriacæ, altera nupsit clarissimo & doctissimo uiro Martino Stoppio, Artis Medicæ Doctori, et inclytæ urbis Lynceæ Ἀρχιάτρῳ. Horum ea fides et integritas fuit, ut hunc affinē suum post parentum obitum & domi ad pietatem, et ad alias uirtutes assuefecerint, & publicè erudiri curauerint. Fuit autem ingenium capax doctrinæ, & moribus placidum, atq; modestum. Cumq; primas literas in patria, & Ratisbonæ, quæ olim fuit Augusta Tyberia, rectè didicisset, uberioris doctrinæ causa, Primū in Academiā Ienensem profectus est, Inde ad nos sese cōtulit, et breui temporis spacio in Philosophiæ & doctrinæ cœlestis studijs, laudabiles progressus fecit. Sed corporis in eo quædam imbecillitas, et κακοχυμία diuturna fuit, ad quā cū accessissent aliæ etiā incommoditates, tandē in lethalem morbū incidit. Cumq; dies circiter quindecim ægrotasset, quotidie sese, et sorores, fratrē, patruelē et affines Deo pia precatione commendauit,

donec tandem languore consumptus heri ex hac mortali uita ad cœlestis Academiæ consuetudinem euocatus est. In agone nullum frementis aut offensi animi signum in eo animaduerti potuit, Sed in uoluntate Dei piè acquiescens confirmabat sese ad iter cœleste, cum alijs scripturæ dictis, tum illo præcipuè: Πολίτευμα nostrum in cœlis est, Ibi quod unicè opto & spero, ciuem me facit, & recipiet, Filius Dei Dominus noster Iesus Christus. Post quæ uota non magno interuallo in Christo placidè obdormiuit. Propter hanc illius in filium Dei constantem fiduciam non dubitamus eum in sinum Abrahæ, qui portus est piorum omnium, clementer à Deo receptum esse, & referendum in numerum eorum de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris Ceremonias hodie hora quarta in area Collegij conueniant, ac de fragilitate corporum humanorum, & uitandis occasionibus lædendi corpora, de quibus toties edicta proponimus, propter Deum & suam ipsorum salutem, seriò cogitent, & de modestia & sobrietate sese commonefaciant, & uitam singuli suam Deo pia precatione commendent. Considerate, Deum & uitæ autorem esse, & ab eo propagationẽ uitæ, & aduersus tristes casus protectionem peti oportere, Quod profecto ab ebrijs uino, furore, petulantia, &

tia, & uoluptatibus fieri nequaquam potest, Ideo scriptum est: Cauete ne corpora uestra onerentur crapula, & ebrietate. Item: Orate ne intretis in tentationem. Ad hanc communem precationem in tanto nostro, & aliorum honestorum hominum gentis Austriacæ, luctu, honestius est uos conuenire, quàm ad spectacula laruatorum accurrere, quæ minimè congruunt huic tempori, & contumeliosa sunt aduersus filium Dei, qui circa hoc ipsum tempus agonem passionis & mortis pro genere humano sustinuit, quem oramus ardentibus uotis, ut Ecclesiam suam, et nos in ea protegat & clementer seruet. Die 20. Februa. Anno 1561.

EPITAPHIVM EIVSDEM, SCRIPTVM A GEORgio Purkirchero Bresspurgensi.

MOrtuus hac claudi sua iußit Balthasar urKnor membra terræ debita. (na
Spiritus ætheream cœli conscendit ad arcem
Inhærens Christi dextræ.
Non ætas uiridis, non illi stemma paternum
Iniquas Parcas lenijt,
Et iecur obscuro putrescens sanguine claram
Vitæ nexuit flammulam.

Sed quia corde ſacrum flamen credente fouebat,
Viuit nec unquam ſcit mori.
Hoſpes in hunc uenit ſic hoſpes & exijt orbem
Iam cœlica potens domo.
Effera præteriens hoc tramite fortè iuuentus,
Gradum quietæ contine.
Cumq; legis iuuenem tumida hac tellure repoſtum
Mori te poſſe cogita.
Lilia ceu niueo nunc flore ſuperba triumphant
Cadunt mox cæſa falcibus:
Sic hodie iuuenis qui forma exultat & annis
Statim cras æger occidit.
Viue memor mortis cum ſis mortalis, et actæ
Relinque uitæ gaudia,
Iam tua ſit Chriſtus ſpes et non uana uoluptas,
Per hunc uiues et mortua.

Die 20. Februa. Anno 1561.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MAGIſter Ioannes Cnor Höchſtetenſis.

EXamina publica hoc conſilio inſtituta ſunt, ut explorentur profectus eorum, quibus tribuenda ſunt doctrinæ et morum teſtimonia, et ut ij qui conueniunt inter ſeſe etiam ſententiis

tiis placidè et amanter conferant. Proſunt enim tales collationes & ijs, inter quos fiunt, & rebus ipſis: ὁμιλία γὰρ τέχνας ἔτεκε, *& in iudicando acuit diligentiam, attentionem, ac circumſpectionem, reprimit audaciam in pronunciando & aſſeuerando, lenit & emendat conceptas opiniones ſi quæ à norma ueritatis aberrant, frangit pertinaciam, qua ferè* αὐτοδίδακτοι, *cum admirantur, tum retinent ac defendunt eas ſententias, quas ex ſeſe genuerunt, uel quibus primo imbuti ſunt atq; inſueuerunt: Deniq; multa monet & docet, quæ altius penetrant, et fixius inhærent animis per omnem ætatem, quam ſi audirentur uel cognoſcerentur alibi.*

Meminimus quam eruditè reuerendus Præceptor noſter piæ & ſanctæ memoriæ, Philippus Melanthon diſſeruerit in his examinibus de ſententia Pauli ad Corinthios, qua & poſtremò ſe conſolatus eſt: χρίστος ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις· ἵνα καθὼς γέγραπται ὁ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω. *Chriſtus factus eſt nobis à patre ſapientia, id eſt, Chriſtus eſt perſona miſſa, ut proferat Euangelium ex ſinu æterni patris, oſtendens patrẽ, mouens immediatè corda uoce Euangelij, dicens conſolationem in his qui credunt Euangelio & conſeruans miniſterium.*

Iuſticia, id eſt, ipſe præſtitit integram obedientiam legi, & ſatisfecit iuſto iudicio Dei, *et ſuã iuſticiam nobis imputat, ut propter imputatam iuſticiam Chriſti placeamus* Deo.

Sanctificatio, id eſt, ipſe effundit in corda credentium Spiritum ſanctum, qui excitat nouos motus, congruentes legi diuinæ.

Redemptio, id eſt, ipſe liberauit nos à reatu & condemnatione, ab ira Dei, *quam deriuauit in ſeſe ab æternis pœnis, à morte æterna & Diaboli poteſtate, ut totum beneficium cogitemus eſſe Chriſti, & credamus præſtari nobis atq; exhiberi propter Chriſtum gratis, ex mera miſericordia, & Chriſto ſoli tribuamus gloriam redemptionis & ſaluationis. Hæc conſolationum plena ſunt, & mirificè confirmant fidem.*

Fiet autem & hodie Examen eorum, qui hoc tempore petunt teſtimoniũ à Collegio noſtro: Quos cum à plurimis audiri utile ſit, reuerenter & meorum Collegarum & meo nomine oro Doctores et *Magiſtros Academiæ, ut hora prima conueniant in Lectorio Medicorum, ut uocant: et aliquid operæ et autoritatis ad publicorũ ſtudiorum, atq; huius laudatiſſimæ conſuetudinis conſeruationem conferant. Exemplis eorum, qui antecellunt ætate & autoritate, inuitantur iuniores, non tantum ad reuerentiæ cultum impenſiorem, ſed & ad diligentiam*

gentiam maiorem. Neq; his ipſis congreſſibus publicis quicquam eſt aut gratius bonis aut utilius ſtudijs, qui penè ſoli, qualis ſit futura æterna conſuetudo in cœleſti Eccleſia, nos admonent, in qua, de arcanis conſilijs diuinitatis, de admirandis naturæ operibus, de cauſis lapſus & reſtitutionis generis humani inter nos colloquemur, & Deum celebrabimus. Datæ die 27. Februa. Anno 1561.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IOANnes Cnor Höchſtetenſis.

NON ſine graui conſilio & antiquitus inſtituta eſt conſuetudo decernendi gradus ac titulos doctrinæ, & conſeruata deinceps, etiamſi de ea nõ ignoremus ab ijs, qui αὐτοδίδακτοι haberi uolunt, deq; eo ſe ipſos admirantur, ac ſibi mirificè placent, interdum calumnioſè nos flagellatos fuiſſe, quos quidem ſuæ ipſorum opinionis errori relinquimus, cum et ſapientum omnium, & maximè Platonis iudicio, et commonefactione ſatis refutatos eos eſſe exiſtimemus. Sic autem de talibus ſcribit ille in Theæteto: ὃ γίγνεται τῶν τοιούτων ἕτερος ἑτέρου μαθητὴς, ἀλλ' αὐτόματοι ἀναφύονται ὁπόθεν ἀρχήν

χοι ἕκαστος αὐτῶν ἐνθουσιάσας, καὶ ὁ ἕτερος τὸν ἕτερον οὐδὲν ἡγεῖται εἰδέναι. παρὰ μὲν οὖν τούτων οὐ πότε λάβοις λόγον, οὔτε ἑκόντων, οὔτε ἀκόντων. Ac tales sua αὐταδείᾳ non parum & moribus nocuisse, et studijs communibus, nos etiam sumus experti. Examina igitur, in quibus fit ingeniorum et uitæ ac studiorum diligens exploratio, semper amauimus & magnifecimus. Nam collationem de dogmatibus uerarum sententiarum explicationi lumen attulisse, & artium propagationi plurimum profuisse, constat. Et usitatæ in his congreßibus commonefactiones de studijs, multorum industriam & solicitudinem rectè discendi acuerunt & excitarunt, ut non frustra Euripidis illud celebratum sit: ὁμιλία τέχνας ἔτεκε.

Existimamus etiam interesse Reipublicæ sciri, quorum ingenia & profectus probent ij, quibus doctrinarum inspectio & gubernatio commissa est. Publicam uerò testimonij honorifici renunciationem bonis ingenijs calcar addidisse meminimus ad expetendam magis doctrinam artium Philosophicarum, quas profitemur, Ecclesiæ & Reipublicæ salutares & necessarias esse. Quæ autem pars est doctrinæ cœlestis aut scientiæ Iuris, aut artis Medicæ, quæ

quæ sine mediocri usu artium dicendi & cognitione Physices, sine præcipuarum linguarum, literarum, sine consideratione antiquitatis & uaria multarum rerum, quæ in Philosophia traduntur, doctrina, aut poßit intelligi aut explicari? Nec dubium est, quin instituti sui in ordinatione graduum doctrinæ, & has & alias causas habuerit uetustas. Cuius quidem sapientia, & in bonarum rerum constitutione grauitas, & constantia, meritò optimi Poëtæ uersu optimo, commendata est: Moribus antiquis stat res Romana uirisq;.

Etsi autem cum dolore meminimus aliquos à Collegio nostro & adiutos & ornatos, postea partim auaritia, partim ingenij & naturæ prauitate, partim utroq; malo impulsos, aut defecisse ad Pontificios, aut alioqui in hanc Academiam matrem studiorum suorum uipereos maledicentiæ morsus, seu uentris, seu alienæ gratiæ causa, rabiosè conuertisse: tamen cum omnibus ætatibus ecclesia utrunq; hoc malum inimicũ et infestum sibi habuerit, hypocrisin et impiorũ apertas ἀποστασίας, et à filio Dei clemẽter defensa sit, feramus nos etiam usitata mala moderatè, et ea in filij Dei sinu uindicanda deponentes, inuocatione pia, præstemus sedulo officia functionis nostræ, nec deseramus fracti hominum ingratitudine aut malitia stationem nostram. Sed usitatas operas pro uiribus fideliter

fideliter faciamus, freti dulcissima consolatione, quæ proponitur in dicto: Labor uester non erit inanis in Domino. Puniet autem Deus Apostatas, qui contra conscientiam palàm in Deum et ueram Ecclesiam contumelioſi, maledici & blasphemi sunt, & fuerunt: Thamerum & Staphylum, & alios eius farinæ recentiores, quos nominaremus, si uulnerum Ecclesiæ immiti contrectatione delectaremur.

Sed hæc Deo committamus, & quod est huius temporis, id cum fide agamus. Primum oramus Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi crucifixi & resuscitati, ut inter tristes regiminum confusiones & docentium dissidia, & ex his ortas ubiq; pernicioſas studijs & moribus disciplinæ laxationes, Ecclesiam suam, & in hac nostram Scholam, & nos omnes paterna clementia seruet, gubernet, & protegat. Deinde significamus nos ad proximam diem Martis, quæ erit quarta Martij, honorificum doctrinæ & honestorum morũ testimonium, cuius renunciatio publica esse solet, de communibus Collegij nostri suffragijs, tribuere decreuisse, his honestis et doctis uiris, quorum nomina asscripta sunt. Cum autem propter communem inuocationem, & coniunctas ad Deum preces totius Academiæ, in qua scitis & doctrinam de Deo, & Philosophiam bona fide uobis tradi

tradi & explicari, & multos ad rectè discendum honestis commonefactionibus crebrò inuitari, usitatam renunciationem in aliqua frequentia fieri oporteat, oramus Doctores, Magistros & Auditores, ut indicati diei hora octaua in Collegij auditorio maiore conueniant, ac frequentia sua ostendant, se de studijs litterarum & artium Philosophiæ, quarum propagatio Collegio nostro commissa est, beneuolenter & honorificè sentire. Quod & facere omnes æquum est, & ostendere se ita affectos, est cuiusdã iustæ ac Deo debitæ gratitudinis & humanitatis. VI. Non. Martias, Anno 1561.

SCRIPTA QVÆDAM DEPLORANTIA IMMATVRVM obitum honesti & eruditi Iuuenis M. Leonharti Curtij nati in Imperiali oppido Sueuiæ Kauffbeuren, piè defuncti VVitebergæ 5. die Martij, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PEtrus Vincentius Vratislauiensis artium liberalium Magister, & Professor publicus, Lectoribus S. D.

IN

IN uere anni 1559. uenit huc ex celeberrimo Gymnasio Argentoratensi Leonhartus Curtius natus honesto patre Ioanne Curtio Mercatore in Imperiali oppido Kauffbeuren non procul distante à radicibus Alpium, quod nascentem excepit reuerendum uirum pietate, eruditione ac uirtute præstantem & de studijs optimè meritum M. Victorinum Strigelium, cui hic M. Leonhartus etiam sanguine iunctus & carissimus fuit. Eum huc accedentem nobis singulari studio commendarunt uiri pietate & doctrina ornatissimi Doctor Iohannes Marbachius, Dominus Iohannes Sturmius, Dominus Petrus Dasypodius, Dominus Iacobus Gloccerus, Doctor Sebaldus Hauenreuterus, & M. Iacobus Rulichius, magnis laudibus prædicantes ipsius modestiam coniunctam cum pietate, quam nos quoq; præter alia naturæ dona, excellentem in eo fuisse experti sumus toto hoc tempore, quo nobiscum uixit, usus domestica consuetudine reuerendi Domini Pastoris Ecclesiæ huius, à quo propter morum integritatem & suauitatem, & propter ardens studium non simulatæ pietatis tanquam filius dilectus fuit. Cumq; iam artium Ecclesiæ necessariarum cognitione egregiè instructus, & in studio doctrinæ cœlestis ita feliciter uersatus esset, ut cum laude piæ facundiæ aliquoties in uicinis oppidis concionatus fuerit,

decreuerat circa mercatum proximum in patriam se recipere, & Ecclesiæ flagitanti suam operam impertire. Ecce autem αἱμοῤῥαγίαν, nulla euidenti de causa subitò inuadens, aliquot horarum continua quasi, eaq; largissima effusione sanguinis per nares, ita prostrauit cordis uirem, ut circa undecimam horam circa meridiem placidissima morte obdormierit. Etsi autem Ecclesiæ causa seriò dolemus talem Iuuenem, qui propter excellentia dona ingenij & propter multas egregias uirtutes utiliter multis seruire potuisset, adeò præmatura morte (uix enim compleuerat annum ætatis uicesimum tertium) ex hac uita, euocatum esse, tamen uicissim gratulamur hanc tam placidam emigrationem amico & fratri nostro, quòd post agnitionem Dei & confirmationem fidei de æterna salute, ex hac militia eductus sit in cœlestem Academiam ante, quàm gubernationis laboribus et dogmatum periculosis certaminibus implicaretur, qui quidem paratum se ostendebat suam operam, industriam et uitam quoq; Ecclesiæ utilitati impendere, sed tamen in uoluntate Dei acquiescebat, & aliquoties pia confessione repetita, plurimas etiam sententias commemorabat, quibus et fidem suam confirmabat, et spei certæ de consuetudine æterna cum filio Dei alacritatem & robur ostendebat. De parentum mœstitia, plurimum

mum erat ſolicitus, quorum quidem ſalutem ſicut & cæterorum domeſticorum, Mecœnatum & benefactorũ ſuorum incolumitatem ardentibus precibus Deo commendabat, qui etiam diligenter iubebat gratias agi, cum pro omnibus beneficijs alijs, tum pro hoc præcipuo bono, quòd ſua liberalitate ſtudia ipſius benignè fouiſſent. Atq; ita mente ſibi conſtans optimè, & precationes ab alijs dictas cupidè audiens & ipſe ſuas ardenter fundens, obdormiſcenti quàm morienti ſimilior uitam hanc ærumnoſam finijt. Parentes uerò & alij amici hac conſolatione ſuum dolorem leniant, quæ traditur Apoc: 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Et ſciant Deum utrumq; uelle, & ut dolore adficiamur, orbati noſtris, & ut dolorẽ moderemur, præſertim quando Dei præſentiam in agone noſtrorum uidimus, & piam confeßionem eorum, laudes Dei, inuocationem & læticiam acquieſcentem in Deo, quæ ſunt initium æternæ beatitudinis, conſpeximus. Pro his bonis Deo gratiæ agendæ ſunt. Nos uero ut & de uirtute & pietate huius M. Leonharti gratis officijs teſtemur, & nos luctu Eccleſiæ & parentum adfici oſtendamus, decet funeris ceremonias noſtra præſentia ornare. Mandamus igitur auditoribus noſtris, ut hora ſecunda ad deductionem funeris conueniant ante ædes Matthæi Sarcioris, è regione ui-

ne uidnæ Chriſtiani Auriſabri, & ibi cogitatione fragilitatis humanæ ſuam incolumitatem Deo commendent, & propter Eccleſiæ ac Reipub. utilitatem, uitam ſibi & alijs bonis ingenijs propagari parent, cogitantes illam ſuauiſſimam conſolationem in hac incertitudine caſuum humanorum: Ipſe eſt uita tua, & longitudo dierum tuorum. 6. die Martij Anno 1561.

PAVLVS EBERVS
PASTOR ECCLESIAE VVitebergenſis.

ERgóne decedens nobis Leonharte dolorem
Linquis, & es luctus tu quoq; cauſſa noui?
Nobis charus eras, nam mens tua neſcia fraudis
Vllius, & pietas digna fauore fuit.
At te felicem, ai, ne contagia mundi
Guſtares, ſuperas contigit ire domos.
Nunc ubi cœſtiq; Schola, uitaq; beata,
Et uultu frueris, colloquioq; Dei.
Chriſte tuo uerbo rege nos, fac gratia ſalutis
Organa, quos laudi uis ſupereſſe tuæ.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000248

AD M. LEONHARTVM CVRTIVM, VITA DEfunctum, querela funebris &c.

Pignora amicitiæ, noſtri monumenta fauoris,
Cùm dederim uiuo, dulcis amice, tibi.
Hæc quoq; iuſta fero, teſtantia carmina mentem,
Carmina in exequias, heu mihi, ſcripta tuas.
Viuere dignus eras, deus et ſpes ſumma parentũ,
Gloria qui patriæ rara futurus eras.
Non tibi uirtutis laus defuit: ardor honeſti:
Ingenium fœlix: ſimplicitatis amor.
Sed melior fidei pietas, qua ductus ad Albim,
Cura fuit ſummi diſcere iuſſa DEI.
Nec male res ceſſit: ſacri myſteria uerbi
Cognita, mox alios ore ſonante doces.
Contulimus (memini) quoties de rebus honeſtis,
Doctus in Ebræo fonte, diſertus eras.
Iamq; alijs uigili ſapiens prodeſſe labore,
Ad patrios fueras cum redituru agros:
Inuadunt corpus gemitus, ſuſpiria, languor,
Et fugit ex facie, qui fuit ante, color.
Triſte malum ueloxq; fuit, quo ſanguinis æſtus
Abſumſit uires corporis ille tuas.
Hîc ego quæ uidi referam, quæq; auribus hauſi,
Hæc tua de mœſto uerba ſuprema toro:

Inualuit morbus: Chriſto confidere noui,
Qui dat iuſtifica cœlica regna fide.
Hunc didici, hunc uenero, qui me ſuſtentat, &
Solatur dicto hoc aſpera fata leuans: (ægrum
Agnos ex manibus rapiet mihi de grege nullus,
Hoc benè qui poterit, credere, tutus erit.
CRedo CHRISTE Deus, fidei ſed robora præſta,
Dum meditor uerbi ſenſa profunda tui:
Nec mortem metuo, finem feret illa malorum,
Quæ patitur ueri cœtus in orbe DEI:
Deficiunt uires, morior, ualeatis amici,
Ipſe dabit uobis præmia digna DEVS.
Hæc tibi uita fuit: cœlo nunc additus, ipſo
Aſpectu frueris, colloquioq; DEI.
Vita quid eſt? labor eſt, igitur te uiuere Chriſto
Præſtat, & in Domini delituiſſe ſinu.

M. MICHAELIS LVCII
Auguſtani.

EPICEDION IN OBITVM PII ET DOCTI IVVENIS

M. Leonharti Curtij Kaufbeurenſis, qui piè in inuocatione Filij Dei obijt 5. Martij, Anno Chriſti 1561. Anno ætatis 24.

Scriptum à Martino
Henrico.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000249

HOc pia deposuit Leonhartus membra sepul-
Curtius, æthereas mens colit ipsa domos. (cro
Cui pia Religio curæ fuit, unica Christum
Noscere, & æterno cura placere Deo.
Ardens assiduo studio sacra scripta legebat,
Cœperat uuliter uerba docere Dei.
Cœperat esse senum decus et spes magna parentũ,
Nunc uerò ingentis causa doloris erit. (lorum
Quàm breuis? et quàm fluxa nimis? quã plena ma-
Est hominis, celeri quàm pede uita fugit?
Ceu leuis in moti crescentibus æquoris undis
Nascitur, & subito tempore bulla perit.
Vsq; adeò quoties uetro prodimus in auras,
Prodit & alterno uitaq; morsq; pede.
Pulueris et umbra sumus. Miseri quibus hæc modò
Cura est, nec mentem cœlica uita mouet. (uita
At tibi uita fuit curæ cœlestis, ad illam
Tendebas tota mente paratus iter.
Emensus Leonharte uiam feliciter es nunc,
Nempe tibi Christus Dux fuit ipse uiæ.
Noscere quem rectè, rectè quoq; posse fateri
A primis annis unica cura fuit.
Et modò nobiscum reuerendum attentus Eberum
Audieras, Christi dum sacra uerba docet.
Nunc tibi sed postquam cœlestia templa subire
Contigit, auditas & iuuat esse preces:

Ipsam

Ipsum nunc audis Christum, nunc ipsius ora
Cernis, & alloquio nunc tua corda leuas.
Cernis & æternum Patrem cum Flamine sancto,
Ipsaq; nunc melius fœdera sacra uides.
Et penitus rerum nunc aspicis ordine causas,
Et capis in summo gaudia uera Deo.
Ergo uos curas deponite corde parentes
Sollicitas, fieri filius ista iubet.
Miniq; è uerbo sacro solatia luctus
Sumite, ne uincat pectora uestra dolor.
In Christi dextra Leonharti uita quiescit,
Quam nemo ualidis uiribus eripiet.
Cum uero Christus celso de culmine cœli
Venerit, & sonitum cum tuba clara dabit.
Tunc uobis læto cernetur lumine natus
Fulgere in medijs, ut noua stella, piis.
Tunc omnes circumfundemur luce coruſca,
Tunc plenè in sanctis omnia Christus erit.
Sacra sed afflicti serua, rege, protege cœtus
Agmina, dum uenias, at citò Christe ueni.

ALIVD IN OBITVM EIVSDEM, SCRIPTVM A M. IOhanne Baptista Lechelio Onolizbacensi.

PHœbus ut ex geminis emergens Piſcibus, An-
Iam reſeraturus, uellera nota petit: (num
Cauſa doloris adeſt iuſti, lugete ſorores,
Quas iuga Parnaſſi, quas Heliconis habent.
Veſter enim cultor primis qui fidus ab annis
Extitit, hic mortis triſte ſubiuit iter.
Corpore præſtanti iuuenis, præſtantior ipſe
Mente ſua, longo tempore dignus erat.
Ingenuas animum ſtudio uolitante per artes
Ornârat, quibus hæc uita carere nequit.
Legerat ac linguæ monumenta uetuſta Pelaſgæ,
Et quæ ſunt Solymis Biblia ſcripta nouis.
Ex quibus addidicit diuini dogmata uerbi,
Quæ iam uoce ſua ſpargere promptus erat.
Id dum conatur, ſubitas inimica leuauit
Parca manus: fati ſtamina rupta cadunt.
Purpureoq; uelut ſplendens roſa uerna colore
Interit & marcet fronde reuulſa ſua:
Sic immaturo mors hunc quoq; funere merſit,
Huius & in medio flore iuuenta perit.
Ergo ſibi ereptum dolet organon utile cœtus,
Quem Chriſtus uerbo colligit ipſe ſuo.
Atq; proculdubio caſus præſaga parentum
Pectora iam luctus plurima ſigna dabunt.
Dulce ſenectutis columen quibus eſſe uolebat
Filius, officij conſcius ipſe ſui.

Mitiget

Mitiget hunc tantum ſed uox diuina dolorem:
In Domino ſalui, qui moriuntur, erunt.
Et quæ nunc mundi ſunt tempora, quamq; referta
Diſsidijs, præſtat cœlica regna ſequi.
Gratulor ergo tibi Leonharte, Academia cœli
Quem tenet, auguſto lumine plena Dei.
Illic in cœtu ſanctorum audire docentem
Nunc licet æterno cum genitore λόγον.
Illic diuini nunc aſpicis ora Lutheri,
Scripta tibi cuius uoluere aura fuit.
Nec minus nuper præmiſſum et morte Philippum
Aſpicis, æternæ ſydera bina ſcholæ.
Qui tibi præſentes referunt nunc omnia, quorum
Cognita uiuenti uix leuis umbra fuit.
Vmbra tamen fuit illa aliquid, nõ omnia prorſus
Tecta latent, multum mens pia ſcire poteſt.
In tenebris ſed quicquid adhuc iacet, ipſe doceto
Lucis ad auroram, maxime Chriſte tuæ.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PETRUS VINCENTIUS VRATISLAUIENSIS artium liberalium Magiſter, & Profeſſor &c.

DEceßit hac nocte Senator huius oppidi, uir uerè pius, ſapiens & placidus

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000251

Blasius Matthæus, senex septuaginta septem annorum, cui funus fiet hora quarta, ad cuius deductionem Scholasticos hortamur. Tribuamus autem hoc ultimum officium sancto seni, non solum de communi consuetudine ac lege humanitatis debitæ omnibus pijs ad societatem cœlestis Ecclesiæ euocatis, sed etiam peculiari respectu uenerandæ longæuitatis in hoc uiro, quam ei Deus concessit, ut esset exemplum promissionis additæ quinto præcepto: Honora patrem & matrem, ut sis longæuus super terram. Celebrare enim audiuimus eius in adolescentia erga senes Parentes singularem & eximiam pietatem, propter quam Deus hunc uicissim ornauit senecta uenerabili & placida. In qua etsi multas tristes ærumnas eum uidere & experiri in tanta temporum uarietate necesse fuit, nec ab re est quod de senecta Menander dixit:

Οἰκτρότατον δὴ πεῖραρ ἐπὶ γήραος οὐδῶ
Ἀδίκῳ τύχης δίκαιος ἐλήφως τρόπος.

Tanta tamen animi moderatione semper fuit, ut nulla ex eo tristis querela unquam audita sit, sed cõsideratione uoluntatis diuinæ, et assidua precatione lenire studuerit animi mœrores, & minus grauem sibi senectam fecerit. Vidit initia accensa lucis Euangelij in his terris, cuius doctrinam adolescens

auide amplexus, postea & familiaris Luthero fuit & ualde carus. Interfuit introductioni priuilegiorum & primæ fundationi huius Academiæ, & de læta studiorũ ac doctrinæ progressione, & conseruatione usq; ad hæc tempora inter uarias aduersationes una cum Ecclesia & Schola huius oppidi semper lætus Deo gratias egit, donec uitæ et annorum satur ex calamitosa uita optauit dissolui, ut Paulus loquitur, & frui cum filio Dei Domino nostro Iesu Christo cœlestis uitæ consuetudine, cuius diuturni uoti compos factus est hac nocte in seria & ardenti fiducia & inuocatione Christi, ut dubiũ non sit, eũ esse in numero eorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriũtur. Optaremus autem scholasticos maiore frequentia funeri interesse propter honorem & defuncti optimi senis, & honestissimæ familiæ Matthæsiorum, quæ de Scholasticis semper bene mereri studuit. Meminerimus etiam funerum ceremonias esse commonefactiones de fugacitate uitæ, de causis mortis, & læta resuscitatione corporum nostrorum ad æternam cum Deo consuetudinem partum nobis beneficio mortis et resurrectionis filij Dei Domini nostri Iesu Christi, sicut de eo inquit Paulus: Mortuus est propter peccata nostra, et resuscitatus est propter nostri iustificationem. Datæ die 9. Martij, Anno 1561.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000252

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PEtrus Vincentius Vratislauiensis.

DVæ causæ iustæ, & magnæ necessariò cient ingentem mœrorem in animis piorum parentum, cùm amittunt liberos. Primùm στοργὴ naturalis, quæ est mirificus amor erga sobolem ordinatus in natura, & accensus diuinitus, quemadmodum in dulcißimo Nazianzeni uersu dicitur: φίλτρῳ γὰρ συνέδησε θεὸς τοκέαστε γονήστε. Ac quò quisq; est homo generosior & melior, hoc sunt in eo στοργαὶ ardentiores, quas quidē Deus uoluit in hominibus commonefactrices esse ingentis amoris, quo ipse calamitosum genus humanum complectitur, qui tantus est, ut Filium coæternum & unigenitum uictimam redemtricem ærumnosi generis humani ex morte & alijs calamitatibus, fieri uoluerit. Hinc est, quod et in hominibus στοργαὶ neq; assumi opinione, neq; deponi poßint, ut Stoici delirarunt, quia sunt motus à Deo naturæ impreßi, quibus parentes necesse est aut dulciter acquiescere in sobolis incolumitate, aut acerbißimos animis concipere dolores in eiusdem uel interitu, uel alia calamitate. Sed altera causa est, quòd in communi temporum mœsticia excitata

citata conspectu tristißimi status Eccesiæ, in hac squalida mundi senecta, boni parentes nulla habent in rebus humanis θελκτήρια dulciora, ad quæ à cogitatione malorum publicorum sese conuertant, quam sobolem ex se natam, tanquam Ecclesiolam domesticam, piè & honestè educatam, spem unicam melioris posteritatis. In horum dulcißimorum pignorum complexibus, basiolis, & dissuauiatione hærentes, agnoscunt Dei beneficentiam erga se & bonitatem, & miscent gemitus, uota, & preces pro familia & Ecclesia, & ferunt lenius quicquid foris est aliarum calamitatum. Sed amisso hoc etiam domestico solatio, sæuißimis acerbitatum & dolorum fluctibus inundare animos, & concuti, necesse est, quos oratione explicare nemo potest. Sed norunt parentes ærumnosi, qui orbitatis dolores aliquando sunt experti, præsertim in amissa sobole primogenita, de qua magnitudo mœsticiæ & luctus immensi, celebrata est etiam uoce diuina, apud Zachariam cap. 12. cùm dicitur de Meßia: DOLEBVNT SVPER EVM, VT DOLERI SOLET IN MORTE PRIMOGENITI. Eam igitur luctus acerbitatem, cum nunc experiatur uir clarißimus, & nobilitate ingenij, doctrina, uirtute, pietate & fide excellens Iohannes Maior Ioachi-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000253

Ioachimus, Theologiæ Doctor, Poëta, Deo et Musis carus, collega & amicus noster singularis, amisso filiolo unico, & primogenito, Iohanne Maiore Vuitebergensi, adfici nos societate doloris, & dolere de optimi uiri dolore, iustum est, cum quidem ex bonitate naturæ ipsius coniectura nobis facilis sit, paternum illud καὶ εὐσοργώ τατον pectus, quantum ex casu insperato uulnus acceperit. Sed tamen & parens & nos meminisse debemus, Deo humiliter obtemperandum esse, & in eius uoluntate acquiescendum, ut in cæteris ærumnis, ita in sobolis orbitate, & mentes erigendas esse ad cogitationem uitæ cœlestis, & æternæ cum Deo consuetudinis, ad quam certò emigrare piorum infantulos, docent nos dulcissimæ conciunculæ Filij Dei, Non est uolũtas Patris, ut pereat unus de paruulis istis. Item: Talium est regnum cœlorum. Item, qui non acceperit regnum cœlorum sicut infans, non ingredietur in illud. Delectari autem Deum præcipuè primogenitorum consecratione et quasi tributo, & Exod. 13. & alibi Propheticæ literæ ostendunt. Tales etiam temporum calamitates, & tristes cõfusiones impendent, ut ad Deũ transferri eos maturè, qui nobis cari sunt, non nimium dolere debeamus, præsertim cùm grauioribus de causis, quam uetustas, adfirmare possimus: ὅτι ὁν θεοὶ φιλέουσι, ἀποθνήσκει νεὸς Sed nõ deerunt pio, &

& literarum cum primis sacrarum doctissimo uiro, ueræ consolationes. Nos autem in funere, quod Musæ mœstissimæ deducturæ sunt, societatem mœroris in amici calamitate ostendere decet. Quare hortamur scholasticos, ut ceremonijs funeris intersint hora 12. in quibus Deo Ecclesiam, & suam singuli uitam commendent, & se de immortalitate animorum & gloriosa resuscitatione corporum nouissimo die, commonefaciant, de qua plena consolationis est uox Filij Dei Domini nostri Iesu Christi, cùm inquit: Veniet hora, in qua omnes qui sunt in sepulcris, audient uocem Filij Dei, & egredientur pij ad resurrectionem uitæ, mali autem ad resurectionem iudicij. Die 19. Martij, qua ante annos 1528. Dominus noster Iesus Christus cum Maria & resuscitato Lazaro, & sorore Martha, cœnauit in Bethania, & de sua morte, passione & resurrectione dulcissimas conciones habuit. 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PEtrus Vincentius Vratislauiensis artium & philosophiæ Magister & Professor.

NON tantum communi honestatis lege, sed præcipuè pietatis respectu moueri nos decet,

decet, ut sanctorum funera cum aliqua frequentia deducamus. Nam & eorum animas in sinu Abrahæ, hoc est, in suauissimo Dei complexu uiuere certum est, & corpora, quæ sunt animarum exuuiæ, resuscitata iri ante pronunciationem iudicij extremi, diuina ueritas nobis confirmat. In tantis publicis & priuatis ærumnis, experiuntur omnes pij nullam efficaciorem animis consolationem proponi posse, quàm hanc diuinam, quæ est Ecclesiæ propria, de æterna cum Deo uita, & dulcissima cum conditore generis humani, Patre, Filio & Spiritu sancto, in cœlo consuetudine, quam meruit nobis morte sua Filius Dei Dominus noster Iesus Christus. Hanc considerationem etsi circumferre in mentibus pios sine intermissione oportebat: tamen occupatis multiplici miseria rerum humanarum animis, funerũ cerimoniæ occasio sunt recogitandarum diuinarum promissionum, sine quibus profectò nulla potest stabilis esse mentium humanarum tranquillitas. Ideò scriptum est: Melius est ire ad domum luctus, quàm in domum gaudij. Discessit autem hac nocte pia & honesta matrona Magdalena Fabricia, mater uiri docti, & uirtute præstantis M. Sebastiani Fabricij, quæ dum uixit, pietatem suam & fidem assidua Dei inuocatione, & erga ministerium reuerentia ac studio audiendi publicas

cas conciones declarauit, & alias in ea uirtutes eximias fuisse, etiamsi publicè notum non esset: tamen materna σοφία indicasset, quæ in ea tanta fuit, ut filium uirum doctum & honestum, ante obitum à sese dimittere nunquam uoluerit, quamuis & filium quærendi alia commoda occasiones quædam hortarentur, & ipsa inops esset, ut uerè de ea antiquus uersus dici potuerit: υἱὸν τρέφειτις καὶ πένης τις ὢν τύχῃ. Cui filius uicissim omnia parenti debita officia neglectis commodis suis, cum humanitate & beneuolentia præstitit, ut uel hoc nomine bonorum omnium fauore dignus sit. Pietatem certè erga parentes & Deo & hominibus gratam esse, & sacræ literæ nos docent, & uetustas non minus uerè quàm sapienter dixit: ὅσις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει, οὗτος καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεῷ φίλος. Hic igitur pie matris pius filius charissimæ matri funus facict hora quarta, ad cuius deductionem scholasticos hortamur, non tantum propter beneuolentiam, quam M. Fabricio uiro optimo deberi agnoscimus, sed etiam ob hanc causam, ut iudicium nostrum de piè defunctis & resuscitationis corporum humanorum spem Ecclesiæ ostendamus, & de præparatione ad iter cœleste, & piam ad Deum emigrationem nos ipsos commone-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000255

monefaciamus. Hæc pietas & Deo grata eſt, qui Apoſtolica uoce iubet defunctos lugere, ſed tanquam ſpem habentes, & Eccleſiæ ſingulare ornamentum eſt, in quo conſeruando optaremus adoleſcentiam etiam Eccleſiæ cauſa ſtudioſiorem eſſe, cùm noſtra ipſorum ad eam rem ante oculos habeant exempla, quibus & moneri & moueri bona ingenia non dubitamus. Datæ 29. Martij. Anno 1561.

THEOLOGIÆ STVDIOSIS.

NVlla eſt in cœlo et terra ſapientia maior aut dulcior, quàm conſideratio admirabiliſſimæ unionis duarum naturarum in Domino noſtro Ieſu Chriſto. Quæ ſine ulla dubitatione ſapientia erit propria Academiæ cœleſtis, in qua ipſum Filium Dei hac tanta de re docentem coràm audiemus & conſuebimur. Interea in hac uita initia illius ſapientiæ & ceu elementa prima diſcenda & cogitanda ſunt, quibus ad ſcholam illam æternam præparemur: Nec propterea horum elementorum qualecunq; ſtudium abijciendum eſt, quia ſapientiæ illius cœleſtis abyſſum exhaurire aut penetrare diſcendo non poſſumus. Agamus gratias Deo, quòd immenſa bonitate

bonitate hæc rudimenta & initia patefecit & diſci uoluit. Quodq; addita dulciſſima promiſſione ad diſcendum nos inuitat inquiens: Ex ore infantium & lactentium ſibi laudem præparari. Et in diſcendo ac docendo eo ipſo ſimus alacriores, quod ad ſocietatem ueræ Eccleſiæ infantiliter quidem balbutientis, Sed ueras tamen laudes Dei uere ſonantis, uocati ſumus. Vt igitur & nos uere infantulorum ſimilimi ingreſſi ſumus doctrinæ huius ampliſſimæ explicationem, Ita cras Deo iuuante hora & loco conſueto proceſſuri ſumus. Ad hanc ſi accedere cum auditoribus noſtris pij & boni non dedignabuntur, Spero filium Dei λόγον ἀϊδιον ἀϊδίου πατρὸς καὶ ἐξηγητὴν μυστηρίων τοῦ θεοῦ utrorumq; laboribus benigne adfuturum eſſe, ut aliqua ipſi grata doceamus & diſcamus. Hunc toto pectore oro, ut clementer nos regat & protegat.

Paulus Crellius
Doctor.

IVRIS AVDITORIBVS.

ABſoluto conſuetudinum tractatu conſtitui inſignem illam de uerborum obligationibus materiam, quam in Pandectis habemus,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000256

mus, scholæ nostræ publicè proponere. Iudicaui autem operæpretium me facturum, si priusquam ad eum laborē accederem, adolescentiæ uelut corpus quoddam totius de obligationibus doctrinæ exhiberem, ut cognitis primis fundamentis & uocabulis artis mimori cum difficultate Iurisconsulti mentem postea accipere possent. Itaq; decreui hisce diebus, qui ad nundinas usq; Lipsenses nobis adhuc reliqui sunt, Institutionum ea Capita, quæ de obligationibus agunt, breui quadam & succincta docendi ratione obseruata percurrere. Quod autem huius partis Iuris ciuilis præcipuus sit usus in uita communi, nemo est qui possit dubitare. Notum enim est plerisq; in dominiorum distinctione, & mutua rerum communicatione, ut uolumina Iurisconsultorum maximè consumantur, ita neruos omnis gubernationis politicæ præcipue cōsistere. Quare amorem ad hæc rudimenta cognoscenda & diligentiam maiorem scholastici merito adferre debent. Non solum enim in Iurisconsultorum monumentis, sed & ueterum authorum & præcipuè Ciceronianis scriptis euoluendis plurimum adiutos se istius doctrinæ cognitione intelligent. Auspicabor autē cras mane iuuante Deo in mea habitatione. Die 25. Martij Anno 1561.

Vitus Ortel VVinsbemius
filius Doctor.

THEOLO-

THEOLOGIAE AV-DITORIBVS.

REdit iam tempus quo Ecclesia tota angelorum & hominum memoriam sacro sanctæ passionis & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi celebrare, & æterno Deo patri pro hoc inenarrabili beneficio redemptionis generis humani per filium factæ, gratias agere solet.

Etsi enim Ecclesia noui Testamenti non ut synagoga sit alligata certis mensibus, diebus aut festis: tamen uult Deus in Ecclesia sua beneficia agnosci, & ad omnem posteritatem prædicari & propagari in omnem æternitatem, & dulcis recordatio & prædicatio beneficiorum Dei est, eo ipso tempore, quo illa beneficia exhibita sunt, & impietas & barbaries magna est, ignorare aut nolle discere quo anno, & quo tempore anni singula beneficia à Deo nobis sunt exhibita. Quomodo enim mentes ad inuocationem & gratiarum actionem, quam Deus à nobis omnibus requirit, excitari possunt, ignoratione beneficiorum Dei?

Et hoc ipsum tempus mensis Martij, quantis de beneficijs nos commonefacit? Quo mundus conditus est, quo die 25. eius mensis cum Adam in peccatum & mortem ac horrendam iram Dei prolapsus esset, per filium ex arcano sinu patris

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000257

promißio, de reparatione hominis perditi, prolata, & miſerrimis hominibus Adæ & Euæ, ne in deſperationem & æternum interitum ruerent, ne ſe, ut paulo ante uiderant angelos inobedientes Deo, abiectos perpetuo putarent, patefacta eſt. Quo iuxta patefactam promißionem filius Dei in utero uirginis Mariæ de ſpiritu ſancto conceptus eſt, Quo item die idem filius Dei anno poſtea ætatis ſuæ 34. inchoato, iam ante annos 1526. in cruce pro nobis uictima factus eſt?

Hæc tanta beneficia Dei & ipſius filij Domini noſtri Ieſu Chriſti, pecudum more non curare, nolle agnoſcere, nec pro ijs æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti gratias agere, quàm immanis inquam, & tetra impietas & barbaries eſt?

Cum hoc tempore filius Dei horrendam iram æterni patris in ſeſe propter peccata humani generis ut in κάθαγμα effuſam, ſentiret, & hanc dulciſſima precatione, denſas guttas ſanguinis præingenti dolore exudans, deprecaretur, & audiretur eius triſtiſſima uox, Deus Deus meus quare me dereliquiſti? Ac creatura uideret tàm atroces & indignas pœnas pati innocentem Creatorem, De cœlo ueniunt angeli, qui luctantem cum morte & ira Dei, erigunt, Obſcuratur Sol, concutitur terra magno motu, ſcinduntur duriſſimæ petræ, teſtantes

ſtantes ſimul ſuum dolorem ex afflictione Creatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. Duriores igitur illi ſcopulis ad Ieroſolymam ſunt, qui ſenſu tantarum rerum, de quibus nos præſens tempus commonefacit, non tanguntur, nec flectuntur ad pœnitentiam, cum propter ſua & noſtrùm omnium peccata hos tantos cruciatus internos, & lacerationes corporis externas, filium Dei innocentem ſuſtinere & pati audiant.

Vt igitur nos mutuò ad conſiderationem horũ beneficiorum Dei, ad inuocationem & gratiarum actionẽ inuitemus, pro ueteri & uſitato more decreui enarrare hoc tempore Pſal. 22. qui lucu-lentam & illuſtrem prophetiam de paßione, morte & reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti, de æterno eius ſacerdotio & regno continet, à Propheta Dauide annis 166. editam priuſquam uictima fieret Chriſtus, cuius Pſalmi uerbis, Chriſtus ipſe in aram crucis exaltatus, Item deriſores Chriſti & Apoſtoli in deſcriptione hiſtoriæ utuntur, ut nullam dubium ſit, hunc Pſalmum de nullo alio quàm de Chriſto, & eius uictima & oblatione loqui.

Georgius Maior Theologiæ Doctor.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000258

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Petrus Vincentius Vratislauiensis.

NON *est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis, inquit* Dominus. Et *alibi:* Angeli eorum *semper uident faciem patris, qui in cœlis est. Curat igitur* Deus *piorum infantes paterna sollicitudine, & cum ex hac mortalitate eos euocat, miserijs rerum humanarum liberatos, in quietẽ sinus* Abrahæ, *hoc est, in dulcissimũ complexum diuinitatis traducit, ubi conspectu* Dei, *& sanctorum angelorum societate cum inenarrabili lætitia fruuntur & à* Deo *mirificè diliguntur, Sicut adfirmat* Dominus: *Taliũ est regnum cœlorũ.*

Quæ *maior gloria cogitari potest, quàm quod tales animulæ, quæ non peccarunt ad similitudinem transgressionis* Adæ, *ut inquit* Paulus, *antequam implicentur peccatis, & calamitatibus rerum mundanarum, ad cœlestem* Dei *consuetudinem traducuntur? Quod intelligens, pia & sapiens antiquitas, non temerè dixit:* Ὃν θεὸς φιλεῖ ἀποθνήσκει νεός.

Hanc *ueram & firmissimam consolationem proponant sibi pij parentes, cum morte amittunt paruos liberos. Sciant non tantum eripi eos miseriis*

rijs multis & magnis: Sed etiam ornari ingenti gloria & lætitia. Etsi autem dolor in sobolis amissione naturalis est, ac eò difficilius sanatur, quod beatitudo uitæ cœlestis non incurrit in oculos: Tamen uoluntas Dei *cogitanda est, qui uult nos animis intuentes æternitatẽ in sese acquiescere, & luctum moderari spe & cogitatione dulcissimæ consuetudinis cum ipso, ad quam traduci infantulos in Ecclesia* Deo *commendatos ipse toties adfirmat. Hoc &* Paulus *præcipit inquiẽs:* Ἡ ἐπιμνήσκη τοῦ θεοῦ βραβευέτω ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. *Hanc commemorationem proponimus, ut luctum & nobis & uiro, eruditione & uirtute præstanti,* Eusebio Menio, *qui cum honestissima coniuge rerum necessariarum causa domo profectus, dum abest, filiolam unicam, & eam quidem primogenitam hesterna die amisit, nonnihil leniamus. Nam adfici nos societate mœroris iustum est, non solam propter studiorum & officij coniunctionẽ: Sed etiam, quod eius familiæ orbitas cum publica calamitate coniuncta est.*

Amisit *uir optimus intra biennium parentem suum iustum* Menium *uirum de Ecclesijs harum regionum sanctissimis laboribus, quorum extant monumenta, optimè meritum, de cuius uirtute & certaminibus in militia Ecclesiastica cum* Hypocritis, *quum cogitamus, in mentem uenit de ipso*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000259

prædicari uerißime potuiſſe uerſum Poetæ optimi: Iuſtitiæne prius mirer belliue laborem?

Amiſit & breui interuallo duos quaſi patres alteros, Profocerum & Socerum, præcipua communis patriæ & Eccleſiæ ornamenta, præceptores noſtros cariſſimos Philippum Melanthonem & Georgium Sabinum, De quibus, qui uiri fuerint, poſtquam nominati ſunt, nihil neceſſe eſt amplius dicere, cum magnitudini uirtutis & donorum quibus Eccleſiæ ſeruierunt, nulla par ſit oratio. Nunc accedit orbitas amiſſæ filiolæ primogenitæ, & exaſperat dolorem utriuſq; parentis abſentia. Sed reuocemus animos honeſtiſſimorum parentum ad diuinitus propoſitas conſolationes, quæ cum erudiant nos, cum puella ad uitam æternam euocata ex hac mortalitate, bene actum eſſe, erigant ſe parentes in moderando luctu, cogitatione diuinæ, quæ ſemper optima eſt, uoluntatis, exemplo Dauidis, qui de ægritudine filioli infantis lugebat, obitum uero & emigrationem ad lucem diuinam placidiſſime ferebat: Quid inquit ieiunem aut fleam amplius? nunquid eum reuocare potero? Ego ad eum uadam, non ille redibit ad me. Fiet autē funus huic ſanctæ pronepotulæ Melanthoniæ & Nepotulæ Menianæ & Sabinianæ hodie hora duodecima, ad cuius deductionem hortamur ſcholaſticos communis ordinis cauſa, ut conueniant

ueniant ad arcem. Cogitemus nos hoc ultimum officium omnibus ſanctis debere, in quorum numero infantulos præcipuum locum tenere uox Chriſti indicat, cum ait: Qui non acceperit regnum Dei, ſicut infantulus, non ingredietur in illud. Debentur & eruditioni ac uirtuti uiri optimi Euſebij Menij collegæ noſtri, & honeſtiſſimæ familiæ eius, bonos & humanitatis officia, quæ bonos cum uoluntate præſtare non dubitamus.

Die Palmarum
1561.

RECTOR ACADEMIÆ VVITTENBERGENſis Petrus Vincentius Vratislauienſis, Profeſſor publicus.

SAEpè monemus Scholaſticos, ut cogitent feriας in Eccleſia inſtitutas eſſe, non ocij cauſa, uel ut Ethnica Orgia: Sed piam antiquitatem erudiτè diſtinxiſſe tempora feriarum, ut ſint commonefactiones doctrinæ de beneficijs filij Dei, quam uult Deus ſonare & audiri in Eccleſia, & accipi fide, Quod fieri non poteſt ſine exercitijs pœnitentiæ & inuocationis. Quare & Paulus iubet nos non epulari in Paſchate, ſed ἑορτάζειν, quod uerbum ſacrificij ſignificationem habet, factum ab

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000260

ἔοργα quod est sacrificaui. Sunt autem sacrificia Deo placentia, non uictimæ Taurorum, Sed, ut Oseas inquit, Victimæ labiorum cum corde contrito & spiritu humiliato, sicut Psalmo 51. scriptum est: Talia sacrificia præstari non possunt ab ijs, qui ocio diffluentes aut ebrij uoluptatibus, prætermittunt aßiduitatem audiendi, legendi, & cogitandi doctrinam de salutari & unico sacrificio, in quo filius Dei uictima pro generis humani ex carcere peccati & mortis redemptione, factus est, Quæ etsi omnium temporum meditatio esse debet: tamen cum dies isti ad tempus paßionis, & mortis filij Dei congruant, & ab Ecclesia eorum beneficiorum recordationi principaliter sint destinati, accommodare nos, studia, mores, & actiones nostras, ad ministerij publici ordinem, pium & iustum est. Nec simus tam barbari, sicut erat Atticus quidam fatuus potius, quàm Poëta, qui festa contraria usitatis celebrabat, sed doctrinam de beneficijs filij Dei Domini nostri Iesu Christi, ut Siracides præcipit, sanctè cogitemus, conuertamur ad Deum ac dolore adficiamur propter nostra peccata, quibus filium Dei in crucem adegimus, cogitemus pœnas & publicas, quæ sunt ante oculos, & priuatas, quas sentiunt singuli & remißionem ac mitigationem earum petamus, & agamus Deo gratias, & uitæ emendationem

dationem inchoemus. Nec tempore tantum moueamur: Sed etiam consideratione publicarum calamitatum, quæ non certè ideo nullæ sunt, quia uel imperita uel malè educata iuuentus, earum cogitatione frigidius adficitur, & pœnarum impendentium, quas denunciãt nobis diuina uaticinia de leuitate postremorum temporum & crebra orbitas piarum familiarum, quæ procul dubio significat sæuas mutationes, sicut scriptum est: Iusti tolluntur, ne uideant uentura mala. De quo ut nunc uos moneremus, iterum nobis occasio fuit. Duos filios habuit Collega noster, uir doctrina & pietate excellens M. Mattheus Blochinger, Georgium & patri cognominem Matthæum, de quibus rectè pièq; institutis polliceri sibi potuit, ut solent boni parentes, quod in uersu ueteri dicitur: στύλοι γὰρ οἴκων ἐστὶ παῖδες ἄρσενες, Sed alterum amisit hoc eodem Mense ante triennium. Alter Matthæus decem ferè annorum puer patris et nomen & uultum & spem referens, heri ex hac mortali uita euocatus est, sed ita ut Tyrocinij sui in doctrina Ecclesiæ specimen non uulgare parentibus tanquam μνημόσυνον moriens relinqueret, cum conspecta parentum mœsticia, quam στοργὴ naturalis in fortißimis hominibus celari nõ sinit, ultrò securos eos esse iuberet, subinde in placido agone repetens hæc uerba: Non morior

signifi-

significans id quod ex crebra admonitione parentum didicerat, se ex hac mortalitate ad uitam æternam emigrare. Qui sic moriuntur, duplici nomine beati sunt, Nam & præsentibus & futuris præripiuntur ærumnis, & gustum dulcissimæ consuetudinis cum Deo in hac uita sentiunt. Eaq; fœlicitas & beatitudo pueritiæ rectè institutæ in doctrina ueræ agnitionis Dei minimè inuidenda est, sed parentum orbitate & orto ex hoc ipsorum dolore naturali decet nos adfici, Cuius quidem societatem ut qualicunq; officio ostendamus, piæ funeris curationi hora quarta intererimus. Ad quam Scholasticos etiam inuitamus & hortamur, ut has ceremonias cum pijs in Ecclesia frequentes adeant, non tam consuetudinis aut officij, quod luctui piorum parentum debetur, quàm piæ commonefactionis causa, ut in his congressibus doctrinam de peccato, morte & remedijs, quæ in historia horum dierum de passione & morte ac resurrectione Domini nostri Iesu Christi in Ecclesia proponitur, animis subijciant, seseq; ad necessariam omnibus hominibus cogitationem de uitæ securitate deponenda in quantumuis uegeto ætatis flore adsiduè adsuefaciant, & ad omnes casus, quibus innumeris uitæ nostræ fragilitas obnoxia est, & piè & maturè præparent seria ad Deum conuersione, sicut scriptum est: Cogita nouissima tua, & non peccabis.

peccabis. Prohibemus etiam seuerè, ne quis piam Ecclesiæ mœsticiam & tempora meditationibus sacris & inuocationi debita, conturbet aliqua morum fœditate uel ebriosis interdiu aut noctu uociferationibus, quibus ministerium Ecclesiæ deformari, & spiritum sanctum in pectoribus piorum tristitia adficitis. Die saluberrimæ cœnæ corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quæ erat 3. Aprilis, 1561.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENsis Petrus Vincentius Vratislauiensis.

CVM tota doctrina de redemptione generis humani & resuscitatione ex morte, longè excedat omnem captum & intelligentiam hominum, certè & agnoscendum est inenarrabile Dei beneficium, non inferius ipsa admirabili rerum creatione, & gratiæ Deo sine intermissione agendæ sunt, quod & sese & arcanum consilium de generis humani reparatione per filium, & doctrinam de sua uoluntate, & futuro iudicio, inde usq; ab initio conditi mundi, certo & constante uerbo & illustribus ac miraudis testimonijs Ecclesiæ suæ patefecit, & se eiusdem doctrinæ ministerium

ſterium clementer ad finem mundi conſeruaturum eſſe oſtendit. Infinitum Chaos fuit olim, & profuſiſſima uarietas Ethnicarum uel ſuperſtitionum uel Idolomaniarum toto orbe, quarum hodie colluuiem repræſentant paſſim in florentiſſimis Europæ partibus agmina ſacrificulorum Pontificiorum, ſed illæ, cum in uerum Deum contumelioſæ ſint, & fuerint, proditæ partim impietate ſua, partim futilitate, cum nihil ficium aut ſimulatum diuturnitatem ſuſtinere poſſit, uelut fumi uento diſſipati, ut exortus leuiſſimos, ita fines & exitus ſemper ferè turpes & pudendos habuerunt, quorum tamen fœditatem manifeſtius in die iudicij filius Dei orbi terrarum oſtenſurus eſt. Nec eſt cur ſentina Pontificia, in qua nunc collectæ fœces Idolatriæ omnium gentium quaſi ſubſederunt, & quæ eſt abominatio ſtans in loco ſancto, ut Daniel & Chriſtus monent, alios ſucceſſus aut firmiorem ſtabilitatem, aut fortunam & exitum honeſtiorem, erroris ſtulta imaginatione ſibi fingat aut polliceatur.

Tota furens quamuis ſerro graſſetur & igni
Bellua, ut extirpet ſanctum crudeliter agmen:
Congregat à prima quod Chriſtus origine mundi,
Ereptum rabida ueteris de fauce Draconis,
Attamen ardentem uictrici perfida Chriſti
Præcipitata manu, tremebunda ſubibit Auernum.

Cum

Cùm perpeſſa graues Eccleſia ſæpè procellas
ibit ouans, coram claraq; in luce uidebit
Læta Deum, pariter Nato fruitura ſacroq;
Numine, ab amplexu nunquam auellenda paterno.

Nos autem hæc cogitantes grata mente amplectamur Dei patefactiones traditas in literis Prophæticis & Apoſtolicis, & teſtimonia perpetua & admiranda patefactionibus omnium temporum addita piè & reuerenter conſideremus. Cuius generis ſunt, primum ipſa patefactio Dei, deinde miracula, uaticinia, mirandæ liberationes, & his omnibus accedens inter ruinas Imperiorum, collapſis paſſim gentium ſuperſtitionibus, perpetua conſeruatio Eccleſiæ, & unius ac eiuſdem doctrinæ de Deo à mundi exordio conſentiens uox & harmonia, quæ etiamſi aliàs magis aliàs minus fuerit explicata, ſua tamen perpetuitate, quam & certa & continua temporum ſeries oſtendit, non poteſt non piorum animos mirificè confirmare. Numerantur à condito mundo Anni 5521, cùm primis parentibus tradita eſt promiſſio de uenturo ſemine, in qua doctrina de præcipuis Meſſiæ beneficijs, de aſſumptione humanæ naturæ, de eiuſdem paſſione, morte & reſurrectione, de inſtauratione humani generis, & futuro iudicio eruditè & admirabili uerborum compendio comprehenſa eſt. Hæc deinceps, & uictimarum typis, & hiſtoria-

rum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000263

rum Isaac, Ioseph ac similium adumbrata simulacris, & patrum subinde uiua uoce plenius declarata fuit tantisper, donec Agni Paschalis mactatio solennis in populo educto ex seruitute Ægyptiaca per Mosen diuino mandato instituta est, ut ea typus & perpetua commonefactio esset de Messia, redempturo morte sua Ecclesiam à maledictione Legis, ira, ac iudicio Dei & morte æterna, quem typum interpretans Baptista monstrato filio Dei Domino nostro Iesu Christo, Hic inquit, est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & Paulus 1. Corinth: 5. Pascha nostrum, inquit, immolatus est Christus. Ita una & eadem doctrina de mactatione Messiæ abolitura peccatum & mortem, & uera eius interpretatio & intellectus ab initio mundi sonuit in aliqua parte generis humani, quæ fuit uera Ecclesia. Et sunt ab edita prima promissione ad tempus instituti ritus de Agni Paschalis mactatione Anni 2450. Iam uero à primo Paschate, quod Israëlitæ celebrarunt exituri de Ægypto, Annus agitur 3070. Tam longa temporũ serie seruauit filius Dei Ecclesiam suam, quam uult sonare, agnoscere & grata mente commemorare beneficia sua, ut eorum adsidua cogitatione confirmetur fides resurrectionis corporum nostrorum, & uitæ, lætitiæ, & gloriæ quæ cum Deo in tota æternitate communis nobis futura est.

Agimus

Agimus igitur toto pectore gratias, tibi æterne fili Dei Iesu Christe crucifixe pro nobis et resuscitate, & æterno patri tuo, cum quo unum es, & spiritui Sancto, pro inenarrabili erga genus humanum amore: ac tibi nominatim, quod eius redimendi causa adsumpsisti humanã naturam, & uictima factus placasti iustam iram æterni patris aduersus peccata generis humani, & patefecisti hanc uoluntatem Dei nobis uerbo Euangelij tui, quo sonante per orbem terrarum tibi æternam colligis Ecclesiam, remittis peccata ad te omnibus uera fide conuersis, & effundis spiritum sanctum obsignantem omnibus temporibus fidem in mentibus piorum, & quod ad æternæ uitæ societatem resuscitaturus es corpora nostra. Oramus te ueris gemitibus, ut accendas in nobis & serues ueram doctrinæ lucem, ac tuorum beneficiorum agnitionem, fidem, & inuocationem, & facias ut uerè ad te conuersi, firmissima πληροφορίαν nobis beneficia tua applicemus, ac certò statuamus, merito & efficacia sanctissimæ mortis & resurrectionis tuæ, nostra etiam corpora suscitata in nouissimo die cum lætitia auditura esse uocem tuam. Venite benedicti patris mei in regnum, quod uobis & pijs angelis præparatum est ab initio.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000264

Simul autem meminerimus institutum esse à filio Dei ministerium Euangelij, & Sacramentorum, ea quidem conditione in hac uita, ut prædicatione uerbi patefacti & non aliter, propagetur uera doctrina de Deo ad posteros, & colligatur Ecclesia, donec ipse Dominus ad iudicium redeat, quemadmodum ostendunt Testamenti uerba, in sacrosanctæ & saluberrimæ Cœnæ ueri corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi institutione cum inquit: Hoc facite ad mei commemorationem, & illud Pauli: Mortem Domini annunciabitis, donec ueniat.

In hoc ministerio, quod constat incorrupta uoce doctrinæ Euangelij, & legitimo usu Sacramentorum pollicetur filius Dei se præsentem & efficacem fore, & daturum Spiritum sanctum petentibus, qui accendat corda, uera Dei agnitione, fiducia, dilectione & motibus eiusmodi, qualis ipse est, Sicut dulcissimè promittit Dominus Iohan. 14. Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus. Item, Cum uenerit paracletus Spiritus ueritatis, qui à patre procedit, quem Ego mittam uobis. Ac præcipit idem Dominus, ut hoc ministerium omnibus bonis in uita anteferamus, & gratificemur,

neremur, & ei obedientiam secundum Euangelij doctrinam præstemus, iuxta hæc dicta: Qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Item, Qui uos audit me audit: Qui autem spernit uos me spernit. Has diuinas commonefactiones ac uerè salutares de conseruatione doctrinæ & inenarrabilibus beneficijs filij Dei erga Ecclesiam promissis, ac significatis in ueteri Testamento, & exhibitis in Nouo, quæ per Euangelij ministerium credentibus applicantur, cupimus scholasticos piè & reuerenter cogitare, & propter animæ suæ salutem Filio Dei crucifixo pro nobis & resuscitato Domino nostro Iesu Christo in cultu & ueneratione Ecclesiæ & Ministerij uolentes obtemperare, & Ecclesiæ congressus, qui fiunt in his ferijs, pijs & honestis moribus ornare. Vt autem extet etiam externa aliqua significatio reuerentiæ ordinis nostri erga Ministerium, præcipimus ut usitato more singuli munuscula sua offerant ad ARAM. Seruamus enim hunc morem, ut scitis, nulla superstitione, sed honestæ disciplinæ causa ad commonefaciendos iuniores de reuerentia et beneficentia, quæ Ecclesiæ ministerio perpetuò debetur. Vuitebergæ in Pascate Anno 1561. Anno à primo Pascate 3070. Anno à cõdito Mundo & edita prima promissione 5521.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000265

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Petrus Vincentius Vratislauiensis.

QVæ noua naturæ facies micat undiq; & orbẽ
Luce sua ueſtit? quæ nam hæc tam clara re-
(pente
Temperies? prima & tellus & conſcius æther
Dant ſignum: memini dudum ſpes tota ſalutis
In dubio iacuit ſignis confuſa timendis,
Cum Sol obſcura tegeret ferrugine uultus,
Inficeretq; diem tenebris, magnoq; tremore
Omnia concuteret tellus, penitusq; latebris
Exigeret manes repetitæ lucis in auras.
At nunc omne animans, & conuexa ardua cœli
Torporem poſuere, omniſq; repente reſurgit
Abiectæ telluris honos, uidi ipſe coruſcum
Luce repurgata Solem, nanq; ipſe morantes
Iungere equos curru famulantibus imperat Horis.
Aduenit qui noſtra dies è faucibus Orci
Commoda reſtituit, Patris cum numine Chriſtus
Pœnas, & ſæui paſſus diſcrimina lethi
Corpore preſſit humum, feſtaq; in luce quieuit,
Infernasq; adijt ſedes, manesq; piorum
Oſtendit cœlo, uictorq; ad ſydera rurſus
Ætheria, & cœli ſuperas euaſit ad auras,

Dum

Dum triplices egere uices nox atra, diesq;.
Ex illo celebratus honos, lætiq; minores
Relligione patrum totos tres ordine ſoles
Seruarunt, operum immunes, ſtudijq; profani,
Et te Chriſte uocant per carmina læta, tibiq;
Pro meritis dignas tendunt perſoluere grates,
Quos propter tantos uoluiſti ferre labores,
Vt triſtes ſine Sole domos, loca turbida adires,
Reſioremq; Erebi manibus poſt terga reuinctum
Exueres ſpolijs, tandemq; immane barathrum
Deijceres, mortemq; haurires ipſe triumpho,
Eq; lacu quẽ nulla rigant uada, nullus aquæ fons,
Felices proauorum animas tecum inde referres.
Quare agite ô homines tantarũ in munere lau-
Luſtratos adhibete animos, (fas felle carere (dũ
Fermenti) & ſanctis agitate in legibus æuum,
Communemq; uocate Deum, & date præmia lau-
Non equidẽ hæc ſine lege Dei ſolennia nobis (dũ.
Vana ſuperſtitio, ueterumq; ignara bonorum
Impoſuit: ſtat fama trium celebrata dierum
Patribus, æternumq; tenent per ſæcula nomen.
Nam neq; laude pares, factiuue ingentibus ullos
Extulit, aut æquè inſignes Scriptura notauit,
Quintum poſt decimũ, quiq; hunc duo ritè ſequũ-
Si primum ad menſem iudæi reſpicis anni. (tur
Ille dies, feſtæ lucis qui præuenit ortum,
Nomen habet facti, ſiquidem memoratur in illo

Gens Syriæ uictu tantum incubuisse parando:
(Nulli fas sacris quicquam exercere diebus.)
Illo quippe die mactatu concidit Agnus
Relligione patrum latè sacer, omniaq; ante
Munera queis opus est nobis bone Christe parasti,
Quæ nunc prensa Fide firma, sed in æthere quon-
Præsenti intuitu gens fortunata tenebit. (dam

Inde alter de more dies qui in luce profesta
Auspicium populis sero iam uespere imbat,
A celebri ritu magnus cum nomine fertur:
Quem satus ipse Deo ingenti celebrauit honore
Ingentem, ut placida compostus pace quieuit
Marmoreo in tumulo, nobis quos improbus urget
Assiduè labor, & uigiles ad pectora curæ,
Promeritus requiem uitali lumine cassis.
Donec longæui perfecto temporis orbe
Nobis somnum ingens rumpet fragor, ossaq; &
Sopiti aëreas emergent rursus ad auras. (artus
Illa conclusæ in domibus se luce tenebant
Matronæ, Christi quas funere luctus habebat,
Nec fas egressu solennia rumpere Sacra.

Iamq; ubi festa dies cursum inclinarat, & un-
Hesperias prono defertur lumine Titan: (das
Tertia lux oritur, cui Teutona lingua loquendo
Nomen ab euentu tribuit, quòd uictor ad auras
Christus ijt, secumq; aliquos ad lumina Solis
Extulit, in uitæ certa argumenta futuræ.

Quin

Quin etiam Moses lucem hanc cognomine dixit
Primitijs sacram, qua gens Hebræa maniplos
Venilat, atq; nouis cumulat de fructibus aras:
Et patrio de more Deo cum sacra parasset,
Iam tum messis erat calida in regione locorum.

Hi uerò tres ritè dies, septena dierum
In spacia inciderant mellitis fixa placentis.
Nam neq; Iudæi solum sub tempore Mosis,
Sed Patres morem sacrorum hunc antè tenebant,
Tunc cum liber adhuc primo status esset in æuo.
Quandoquidem norant illis quòd fortè diebus
Massa uetus fermenti acris, doctrinaq; fallax,
Et labes tollenda loco sit uindice Christo,
Vt posthac puros agitent sine sordibus annos.

Ergo illos septem labentes ordine soles,
Gens accincta uiæ cum festum absumeret gnum,
Dulcibus & libis ieiunia mœsta leuaret,
Pascha uocant, causamq; trahunt à præpete saltu,
Ægypti terra innocuus quòd limina prædo
Præterijt, saltusq; dedit populator, ubi agni
Aspersus cruor ad postes discrimina fecit
Iudææ, Phariæq; domus: uelut arbiter Orci
Cum fremit intentans lethum, discedere retrò
Cogitur, atq; aliò sceleratos uertere gressus
Pectora si qua uidet Christi signata cruore.

Nunc age & expediã quæ sint miracula re-
Lucibus his olim patribus celebrata sacratis. (rũ

Nam ſi rem prima repetens ab origine pandam,
Fertur Abel lectum mactaſſe ab ouilibus agnum,
Primitiasq; Cain frugum ſacraſſe nouarum
Cum ter quinq; dies primo confecerat orbe
Cynthia: grandeuumq; Noam ueſtigia primum
In ſicco poſuiſſe ſolo, & liquiſſe latebras
Fatalis cymbæ tepidi ſub tempore Veris.
Et Lothus immunis pluuiali euaſit ab igni
Cũ flammæ ultrices Sodomam inuaſere nocentem.
Et uada Iordanis diuiſo uortice præbent
Se Syrio calcanda duci, dum marginis oram
Attingat, ſiccaq; pedes exponat in ulua.
Et tunc concreti roris cœleſtia dona
Deſierant, quibus in Lybiæ regionibus uſi
Iſacidæ ſoluere famem per inhoſpita rura.
Quid memorem Rachaben, urbis quæ ſorte ſupre-
Educta, exciſos uidit nullo ariete muros, (ma
Æquatosq; ſolo ſonitu impellente tubarum,
Orbis in exemplum, clauſo cum uenerit æuo
Vltima tempeſtas rauco crepitante fragore,
Præcipitesq; ruent ſtellæ, & mox cardine rupto
Axis uterq; loco abſiliet, terrasq; cremabit.
His etiam certum eſt Solymos exiſſe diebus
Vinctaq; uimq; ducis Pharij, dehinc nocte ſub una
Percuſſu primos cecidiſſe per oppida fœtus,
Fictaq; ſigna Deûm Pharias deiecta per aras.
At Iudæa phalanx feſta non luce morata
Intendebat

Intendebat iter properè, & conſidere caſtris
Non metuit, celebrataq; dato conuiuia uictu:
Nec dum lege Dei lux feſta indicta uetabat.
Iamq; dies iterum proceſſit, & humida cœlo
Nox ſubijt, cum rura petunt Hachirotica rubris
Proxima littoribus, tenduntq; euincere pontum
Inſuetum per iter noctis ſub tempore, at illos
Suſpenſa in montis faciem circumfetit unda,
Et ſuperare dedit fundum, & contingere terram.
Iamq; ubi quarta ſubit tacitæ cuſtodia noctis,
Tollit ſe arrectum Dominus rutilante columna
Noctem, hyememq; ferens, & inhorruit ignibus
(æther
Turbidus, & rauco tremuit cum murmure tellus
Viſceribus concuſſa ſuis, hominesq; ferasq;
Per terras humilis ſtrauit pauor, undiq; & atro
Collucent igni fluctus, & littora pulſant.
Haud tamen audaci Pharío fiducia ceſſit
Littora præripere, & fugientes prendere terra.
Dumq; ita tendit atrox legionibus ire per altum,
Et pelagi uada cœca urget, reuoluta uiciſſim
In ſemet coit unda, neq; hinc exire poteſtas
Eſt regi, & multam accepit ſuper ora paludem,
Et præceps in aquas immani turbine adactus
Singultantem animam reiecit ſanguine in æquor.
Adparent crebri nantes in gurgite rubro,
Diſiectiq; ab equis agitantur in æquore currus.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000268

Nec procul à uero est, Ionam per cærula ponti
Illa luce iterum Cæti emersisse latebris
Præreptum ad Solem, desuetasq; ætheris auras:
Quandoquidem ille sua referebat imagine Chri-
(stum.

Accipe nunc antiqua trium monumenta die-
Testata egregios Christi surgentis honores, (rũ
Qui nece deuicta superas se tollat in auras,
Et patrum manes alta in tellure repostos
Producat secum, decursaq; tempora uitæ
Proroget extinctis, & lumina morte resignet.
Ille agnus, noxam humanam qui sanguine soluit
Innocuo, admißi nullius conscius unquam,
Sed scelere exceptus sæuo, insidijsq; suorum.
Ille agnus, cui fata parant, quem destinat aræ
Omnipotens pater, ut patrias auerteret iras,
Et letho caderet pro tot mortalibus unus:
Atq; ita perfectis sacris sacra omnia supplet,
Nec fas inde nouos genitori opponere honores.
Ille & primitijs quondam est signatus auorum
Dum primus repetit cœlestia lumina uitæ
Qua ueteres primum sacrabant luce maniplum.
Nanq; suis fatis deberi has ordine luces
Edocuit facto Christus, dum cæsus ad Agni
Instar obit lethum, clausaq; quietus in urna
Delituit lucem totam, dehinc luce sequenti
Corripuit sese, & mœstis citus extulit antris

Dum

Dum uigil excubias quarta uice noctis agebat.
Tunc tellus rauco tremuit commota fragore
Victor ut euasit tumulo comitantibus umbris,
Atq; triumphatum uinclis inclusit Auernum
Cardine conuellens postes, patresq; resoluens
Compedibus, quibus addictos ferus hostis habe-
(bat.

Sed mihi quæ tanto sunt munera parta tri-
(umpho?
Namq; hominum causa subijt tot sponte labores.
Iustitiæ mihi dona refert in munere Verbi,
Mi tribuit sua regna, mea est uictoria Christi.
Et cum prima dies nobis mortalibus annis
Acta fuit, carnemq; anima mors atra resoluit:
Tum positi dulcem uiridi in tellure quietem
Exigimus, nec legem ultra, sæuumq; moramur
Regnatorem Erebi, nec conscia pectora culpæ.

At cum tertia lux reuoluto uenerit æuo,
Ille idem absumtos cineres, tenuemq; fauillam
Corporis antiqui reuocans ad gaudia uitæ
Restituet, cœlumq; ultrò transscribet habendum
Concilio in magno Diuum, quando undiq; Christo
Claudemus latera, & comites hærebimus unà
Iucundo super aspectu & sermone fruentes.
Nec tũ ærumna locũ, nec tum labor ullus habebit,
Mors aberit, nullosq; auellet ab ubere natos
Amplius, aut caros amplexu abrumpet amicos:

Gaudia

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000269

Gaudia erunt illic, uita undiq;, & undiq; ſenſus
Lætitiæ, paſſim & choreæ, cantuſq; uigebunt,
In medioq; mouens Deus omnia in omnib. unus.

Autore Iohanne Maiore Ioachimo
Theologiæ Doctore &c.

PRO CONCILIO TRIDENTINO, PVERITIÆ Chriſtianæ precatio. A. Petro Vincentio Vratisl.

SVmme Deus *quem terra ſuum, quem pontus (& æther*
Auctorem agnoſcit, uaſti quem plurima mundi
Turba patrem ueris celebratum laudibus effert
Vnigeni ob nati meritum, qui ſanguine fuſo
Debita perſoluit patri pro crimine mundi,
Quo donante ſacer noſtræ penetralia mentis
Spiritus intus alit, ſuperaq; effuſus ab arce
Corda leuat curis uetitæ malè conſcia labis,
Expectare iubens cœleſtis libera uitæ
Gaudia, & æternæ pleniſſima dona ſalutis.
Vnice, uiue Deus, qui te bonitate paterna
Commendas hominum generi, gaudesq; uocari
Diſcentum pater, & cœtus laſtentis amator,
Eu pueri ſumus hîc anniſq; animiſq; tenelli,

Fœdati

Fœdati ab propriæ ueteriſq; propagine culpæ,
Sed tua turba tamen, quibus & commercia cœli
Annuis, & parto quos non excludis honore
Regni Chriſte tui: noſtros miſerate labores
O Deus, exaudi & propius pater optime noſtras
Aſpice res, parui nec cœtus ſperne querelas.
Cùm ſuus immineat perituro terminus orbi
Terrarum, uaſtoq; ferè iam pondere nutet
Præcipitis mundi fatalis & improba moles:
Cernis ut inſurgat rabies immenſa, furorq;
Veſanus Stygia regnantis in arce Tyranni,
Qui cœlum terræ quò miſceat, imaq; ſummis,
Subijciatq; ſuis ſpacioſum legibus orbem,
Immotum nil planè, intentatumq; relinquit
Mille modis lacero Chriſti inſidiatus ouili.
Irarum uerò eſt hæc cauſſa potiſſima, quòd te,
Doctrinamq; tuam, cœlo quam filius alto
Ignotam mundo, patefactam è mente parentis
Detulit arcana, per templa, ſcolasq; ſonamus,
Et Chriſtum coniuncti animis, ſtudioq; fideli
Seruatorem orbis, Dominumq; Deumq; fatemur.
Huic aduerſatur doctrinæ, quicquid ubiq; eſt
In mundo ſublime, furit gens impia, & ardet,
In partes quæ Roma tuas iurata, tuetur
Auſonij fraudes, decretaq; falſa Tyranni.
Iamq; iterum Alpinis conuentus cogit in oris
Turba Sophiſtarum, quos undiq; dira Tridentum

Conuocat

Conuocat Alecto, ſanamq; abolere parati
Doctrinam, & ſictos incaſſum obtrudere cultus
Germanas ſitiunt cædes, ſcis optime Ieſu,
Cumq; ſcias, quare pateris tàm tempore longo
Harpyias ſacri fœdantes dogmata Verbi
Turpe genus Volucrũ dominari, atq; agmine denſo
Confluere, & cœno ſic conſpurcare nefando
Doctrinæ liquidos fontes, quos inficere atro
Siue ueneno audent, ſeu prorſus tollere, flammis
Et rabida tantùm pugnaces fraude Sophiſtæ.
Has trahit in partes iecum Romana Celano
Germanosq; duces aliquos, nomenq; uerendum
Cæſaris inuicti, cui patria ſemper amica,
Fidaq; ſucceſſus cui ſæpè Eccleſia ſanctis
Optauit uotis impetrauitq; ſecundos.
Scilicet huc tendit dudum labor improbus, ut quod
Fraude mali nequeunt, tua mitis dextera Cæſar
Audeat, & bellis inuoluat triſtibus urbes.
Dij prohibete nefas, & protinus omen in ipſos
Vertite, ne tantas immenſa potentia uires
Acquirat, gentemq; premat pia iura profeſſam.
Hoc ueſana ſtruit raſorum turba ſtudetq;
Triſtibus ut bellis terrarum fluctuet orbis,
Sorbeat & proprium tellus Germana cruorem.
Hinc in Teutonicis ſæuit Mars impius aruis,
Non tantùm cultus interturbator honeſti,
Verùm doctrinæ, qua pectora noſtra neceſſe eſt

E tene-

E tenebris & atra ueteris caligine lapſus
In clara rurſum & tranquilla luce locari.
At tua præſidio pater haud munita, nec armis
Imbecilla cohors, nec milite cincta, nec ullo
Nititur auxilio, niſi quod tua dextera ſortis
Præſtiterit, patrio tandem commota fauore.
Nunc quoq; dum premitur uarijs Eccleſia fatis,
Idq; agitur magno paſſim conamine Ditis,
Vt ſtudia, atq; artes intermoriantur honeſtæ,
Et lux doctrinæ in tenebris ſopita quieſcat:
Ad te confugimus tua ſacra immota colentes,
Teq; per unigeni dulciſſima nomina nati,
Per fœdus commune, ſuo quod ſanguine Chriſtus
Sanciuit, uero gemitu, lacrymisq; precamur
O pater, ô paruum uindex ter maxime cœtum
Protege, quem tanto ſemel es complexus amore,
Pro quo ne caro uoluiſti parcere nato.
Incrementa tui largire ſalubria uerbi
His terris, quæ te placito uenerantur honore.
Palladias ſerua noſtris in cœtibus artes,
Linguarumq; trium decus admirabile, per quas
In uarias placuit tibi conditor optime gentes
Saluificum Chriſti latè diffundere nomen.
Deniq; compreſſis Satanæ furialibus auſis
Conſilia illuſtres flecte ad meliora monarchas,
Atq; optata diu noſtris redde ocia ſectis.
Sic nati, nomenq; tuum cum laude uenemus

Pro

Pro meritis gratæ præstantes munera linguæ:
Et tibi perpetuas concordi pectore grates
Per templa atq; scolas Ecclesia sancta sonabit
Cum nato & pariter sancto cum flamine, soli
Cui Domino sit honor, sit laus & gloria uero.

IOHANNI MAIORI VVITEBERGENSI, CLARISsimi Poëtæ Iohannis Maioris Ioachimi filiolo recens baptizato. S.

AVrea cum dantur pueris munuscula paruis,
Auro syncerus significatur Amor.
Ergo hoc syncери paruum cape munus amici
Parue sed eximio de patre nate puer.
Nam neq; maiorem uatem Maiore tulerunt
Secula quæ nunc sunt, quæue futura reor.
Nec simul ingenio reuerenda modestia maior
In quoq; uatum temporis huius inest:
Quæ me plura uetat præsenti dicere, sed tu
Sis super ô Christi sanguine lote puer.
Viue puer Christi iam sacra fidemq; profesſe,
Inq; patris crescens munera uiue diu.

Sexto Nonas Octobris Anno 1561.
Hora 4. pomeridiana.

Petrus Vincentius testis baptismi tui.

SEPVL-

SEPVLTVRA CHRISTI.

NVnc mecum ad Christi fœlicia busta uenite
Illustres animæ quas non uirtutis egentes
Spiritus extimulat per mille pericula mundi
In regno Christi bellando quærere nomen.
Sed non in Solymis, non quærite in urbe Quirini,
Membra leuauit humo, sedemq; petiuit Olympi,
In uerbo medium sese credentibus offert.
Quòd si uera tenet reparatæ cura salutis,
Exequias illi fidenti soluite corde,
Pro se quisq; uiri sua nunc commissa fatendo
Plangite, nec causſam Iudæis quærite in armis,
Hei miseri, nos causſa sumus, nos robore ligni
Fiximus, & letho insontem demisimus ipsi
Lapsibus, ô Christo caput horũ et causſa malorũ.
Ipsum obtestemur, ueniamq; oremus ab ipso
Conuersi in melius, sacram sic itur ad urnam
Mortales, huc ferte gradus, & quærite sacro
Reliquias tumulo, uitam, uitæq; leuamen,
Credentesq; haurite, sinumq; implete beatis
Muneribus, letho peperit quæ maxima Christus:
Qualis ab extincto Simson cum mella leone
Excipit, & dulci soluit ieiunia pastu.
Esse autem in ligno ligni dispendia soluens,
Naturæ dominus tormento affectus, ut omnem

Impleuit clamore locum, uitamq; parenti
Traderet, & desertus Heli, Heli ore sonaret,
Exequiasq; suo soluens Natura parenti
Fleret, uos Solymæ testes, conuulsaq; uenis
Saxa suis, cum terra sinum disrumperet almum,
Et complexa sui corpus miserabile nati
Tolleret, ingentes genitrix ad sidera planctus,
Et rupe ex illa quam gens Mosaica soluit
Incussu, alternis manaret flexibus humor
Sanguinis & prædulcis aquæ, solidataq; neruis
Ossa agni in nullas raperentur diruta partes:
Tum Solymos inter patres uir cultor honesti
Nomine Iosephus consors Arimathidos urbis,
Diues opum, qui non partes implerat iniquas
Assensu, regnum sperans surgentis Iesu,
Solum Pilati foribus sese intulit altis
Pronus ad hesperias cum sol iuga flecteret undas,
Iam fidens animi, nec non in utrunq; paratus
Et Christum profiteri, & certæ occumbere morti.
Et nunc augurijs mentem firmatus apertis,
Non tanta pro spe uotis tentare refugit
Corpus ut exanimi releuatum stirpe magistri
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ.
Quem Præsul cui magna fuit reuerentia, magnus
Gentili de more labor super æthere cassis,
Prosequitur uenia, properataq; fata stupescit,
Insuper hæc addit dictis: Equidem ipse fatebor

Non

Non meruisse mori, sed falsa labe notatum.
Me si turba meis sineret componere caussam
Auspicijs, uiuo ueniam concedere uellem.
Testor numen, ait, uulgi clamoribus actum
Demisisse neci, & conantem plurima dictis
Pro Christo, & magnũ immeriti prætexere no-
Cessisse: & quæ sit rebus iam forma uidetis. (mẽ
Tum Christo pallã supremũ mœstus honorem
Induit, & pondus precioſi grande ueneni
Ex re nomen habens, insons in sanguine Christi
Dona ferens Nicodemus adest, quæ mitteret um-
Inferias, corpusq; leuãt pendentis, & ungũt (bris
Ritibus Aegypti regum, Syriæq; superbæ,
Aut quali patrem Ioseph decorabat honore
Exanimum, ne membra solo putredine uicta
Sentirent cariem, & fibris resoluta perirent:
Quale reseruatum pulcri suo fornice saxi
Corpus Alexandri post longas uidit aristas
Augustus Cæsar Nili per diuitis oram.
Sed non ista tuum poscit spectacula corpus
Nate Dei, quia labe caret quæ nostra resoluit
Corpora, nempe tuis tu pro consortibus unctus
Lætitiæ splendes oleo cœlestia membra.
Sed iam scripturæ sic uerba implenda ferebant,
Et sic debuerat precioſi munere luxus
Regum more coli maiestas regia Christi.

Et iam candenti uelatum corpus amictu
Extructis posuere thoris, molliq; pheretro
Subiecere humeros, & honestæ ex ordine pompæ
Ducebant gressus, hortis ubi meta Iosephi
Proxima, et in uiuo monumentum pumice stabat.
Namq; interuentu festi, quod imire parabat
Auspicium iam sole diem condente sub undas,
Nulli fas ultra progressu tendere campis.
Ergo ubi succedunt horto, miserabile corpus
Molliter attrectans palmis Arimathius heros
Alleuat, & gelidi componit fornicis antro,
Ostiaq; inuoluit non mobilis obice saxi,
Religione suis Ioseph quæ struxerat umbris,
Et leibi memor, & uitæ post fata futuræ.
Namq; patrum consors tumulis in monte Moria
Et requiem capere, & uerum gaudebat Elissam
Expectare, suo qui corpore functa sepulcris
Ossa uerum claras animata referret ad auras.

Ecce sed exequijs Christo iam rite solutis
Tecta caterua Pilati præsidis hostes
Circumstant fremitu denso, & iam lumine casso
Vni odijsq; uiro, dictisq; ferocibus instant,
Et rabiem inter se certant satiare sepulto,
Et tumulum claudi signis & milite poscunt.
His quoq; Pilatus magna iam urgente caterua
Dat ueniam uotis, lectosq; ex agmine manda[t]

Excubias

Excubias tumuli ante oram seruare frequentes
Conscia mens nullam patrato crimine pacem
Accipit, & propriæ terretur imaginis umbra.
Talibus exequijs defertur corpus in urnam

Regifico luxu, solennisq; ordine pompæ,
Inq; nouo tumulo nouus hic componitur Adam
Labe carens propria, nec pesti obnoxius ulli.
Quare agite ô homines illinc spes discite uestras,

Hac ne Deo natum sepeliri cernitis urna?
Ferte gradum, atq; oculis lustrate fidelibus urnã
Fortunatam urnam sancto quam corpore pressit
Verus homo, ueruſq; Deus, nam semper in illo
Assumtæ post carnis opus stirps dia manebat
Incola personæ scindi quæ nomine nescit,
Mansit & extincta cum carne, sed abdidit ipsa
Maiestatem intus latitantem in mente, breuiq;
Tempore non uires sæuo super hoste mouebat.
Ergo solo mersus nostræ mala pondera labis
Abstulit, ille habuit secum, & defossa sepulcro
Obruit, inq; sua sepeliuit morte fideles,
Nec scelera in claras ultra iam proferet auras
Censuræ memor, in tumulis defossa iacebunt
Lucem exosa, plagis Erebi spectanda sub imis.
Tum dolor adficiet fontes, quod uindice Christo
Gens rea sed conuersa Fide, iam dona salutis
Accipit, & numeros auget saluata beatos

Solius ob Christi nomen, fortemq; cruorem
Impia qui passus fuerat fastidia mundi.
Ergo agite intrepidi, iam uicta est, poscite mortem,
Desinite ulterius lacrymis urgere sepulcra.
Nam ueluti uitreo Iordanis mersus in amne
Omnia fœlici lustrauit flumina tactu:
Sic etiam mœstos tumuli sacrauit hiatus
Dum contingit humum sacrato corpore Christus,
Et fœdos angues, & fœda insecta sepulcri
Exegit, castosq; Dei residere ministros
Imperat, & dulci mutat fœda antra cubili,
Et quam perdidimus primi per crimen Adami,
Iam fessis peperit mollem post fata quietem,
Forma manet mortis tantum, sunt cætera somnus.

I. M. D.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS Petrus Vincentius Vratislauiensis artium & Philosophiæ Magister & Professor.

HOnesta & pia matrona fuit ANNA Kelnerin uidua, & quondam coniunx ciuis præstantis uirtute, Andreæ Nimecks, qui Kelner cognominatus fuit, Hæc uixit annos octo & Septuaginta, quæ ætas in profusissima seculi nostri luxuria

luxuria & helluatione, quàm paucis contingat, experientia docet. Ac nimis uerum est de hominum huius ætatis moribus, quod dicitur: Plures interfici crapula quàm gladio. Vt autem intemperantia morbos & mortem accelerari ueriſsimum est, ita inedia & frugalitate morbos multos & magnos curari sciamus. Nec Frustra monet sapiens seu Poëta, seu historicus Lucanus:

Discite quàm paruo liceat producere uitam,
Et quantum natura petat.

Eius præcipuæ uirtutis hæc matrona exemplum fuit. Nam & cibo simpliciſsimo semper usam fuisse, & à luxu adeò abhorruisse accepimus, ut neq; Cererem neq; uinum gustare unquàm solita, aquæ solummodo potu contenta, cum alioqui corpore natura imbecillo esset, morborum tamen expertem uitam ad tàm multorum annorum ætatem produxerit, hoc uere est, quod inquit Paulus, Corpori honorem habere. Tandem uiribus ætate consumptis morte naturali ad uitam cœlestem hesterna die emigrauit. Cum autem in tota uita expresserit eas uirtutes, quas uult in matronis pijs lucere Apostolus cum inquit: Saluabitur mulier per generationem filiorum, si manserint in fide, dilectione, sanctificatione, id est, Castitate & modestia, hoc est, ea cuius hoc loco præcipue meminimus

nimus temperantia & frugalitate, & in agnitione, confeßione ac fidutia filij Dei domini noſtri Ieſu Chriſti pie deceſſerit, non dubitamus ad eam pertinere dictum : Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Matronales igitur exuuias piæ & honeſtæ uiduæ ſepeliemus hodie hora duodecima, & ad funeris deductionẽ ante ædes Caſpari Kelneri filij ipſius conueniemus. Hortamur autem Scholaſticos ut funeri interſint, & quod in talibus congreßibus fieri decet, ſuã ſinguli uitam & incolumitatem Deo commendent, & in ſtudio ſobrietatis petant longæuitatem uitæ, ſi Deo placeat & uitæ noſtræ prorogatio Eccleſiæ profutura ſit. Agnoſcamus etiam irã Dei aduerſus peccata præcipitantem omnes homines in triſte chaos calamitatum & mortis, ſicut ſcriptum eſt : Defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus : Ac nos tegi umbraculo filij Dei μεσίτου ἱκετεύσωμεν, & mitigari nobis pœnas & publicas & priuatas petamus, & in hac uitæ fugacitate, de qua uere in eodem Pſalmo dicitur : Tranſitus celer eſt, & auolamus, conſumimus annos noſtros, ſicut fabulã: præparemus nos uera ad Deum conuerſione, quæ in Euangelij doctrina traditur, ad ſalutarem uitæ mortalis cum immortali commutationem. Die 18 Aprilis Anno 1561.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Petrus Vincentius Vratislauiensis.

Aſciburgij montis nomine ſcribunt contineri illa montana, quæ per Sileſiam ſeſe extẽdunt uerſus Poloniam, & congruit appellatio incolarum, qui eam nominant den Zottenberg. Ad horum radices non procul ab Vratislauia, oppidulum eſt, à quo nomen monti datum putant, ſub ditione Abbatis Monaſterij D. Virginis in inclyta urbe Vratislauia, in eo loco natus fuit Chriſtophorus VVeigler, qui puer ab Abbate Domino oppiduli in monaſterium traductus, cœperat initiari ſacris monaſticis & Papiſticis. Sed idem, tametſi iam ſacerdotalem dignitatem inter raſos fratres conſecutus erat, & in re lauta eſſet apud Abbatem : tamen cum natura pius eſſet, aucto ſubinde cum accreſcente ætate iudicio, paulatim abhorrere à ſuperſtitioſis & Idolatricis cultibus cœpit, & oſtenſa per homines pios occaſione, tandem Monachorum ſocietatem ſine fraude ac dolo, & citra ullam iniuriam, ſciens deſeruit, & adiutus amicorum piorum Eleemoſynis, ad confirmandum doctrina animum in agnita religione, in hanc Academiam ſe contulit ante biennium, in

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000276

quæ rectè didicit fontes Euangelij, & Deo quotidiè gratias egit pro hoc immenso beneficio, quod ex impietate uitæ Idolatricæ ad agnitionem ueritatis peruenisset. Sæpe etiam detestatus est Staphyli βλασφημίαν quam hic declarauit turpi & impia defectione ab agnita & approbata ueritate doctrinæ Ecclesiarum nostrarũ, ac cumulat quotidie allatrationibus doctrinæ Euangelij, contra & animi & conscientiæ iudicium, tantum uentris causa, uel, ut de Iuda dicitur, quia Satanas intrauit in eum, & Marsupium habet, Cui quidem Iudæ proditoris merces atq; iudicium Dei seuerum deinceps expectandum est. Hic noster autem quotidie ardentibus uotis petebat à Deo regi & confirmari cor suum, & obsignari in se doctrinam ueritatis per Spiritum sanctum fide & constanti confessione agnitæ doctrinæ Euangelij. Et quanquã pauper erat, præsertim cum Eleemosynæ tenuius, quàm ipse sperauerat, & ualetudo nonnihil adfecta postulabat, ei præberentur: tamẽ assiduitate studiorum, quæ ad morbum etiam aliquid fecisse existimatur, egestatis incommoda leuabat, & mediocribus officijs, quæ ei præstabantur, contentus erat, subinde repetens dulcissimum uersum Psalmi 83: Elegi abiectus esse in domo Dei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Tandem morbo languefactus cum in Nosocomio nostro aliquandiu ægrotasset, ac sæpè optasset se dissolui & transferri in eam Academiam, in qua coràm Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum aeternum, & fontes sapientiæ diuinæ pura mente hauriret, tandem hac nocte in ardenti inuocatione & fiducia filij Dei Domini nostri Iesu Christi, & spe resurrectionis mortuorum ad societatem Ecclesiæ & Academiæ cœlestis euocatus est. Ita uere hic Christophorus quædã fuit ex medijs faucibus Romanæ bestiæ erepta ouicula, per filium Dei clamantem Ioan: 10: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternũ, & nemo rapiet eas ex manu mea. Fiet autem funus huic Christopboro hodie hora quarta, ad cuius deductionem hortamur Scholasticos, ac præcipuè populares ipsius, ut conueniant ante fores Nosocomij Academiæ, & ostendãt hoc ultimo officio erga commilitonem ex captiuitate Romanæ superstitionis & Idolatriæ singulari beneficio Dei liberatum, & quasi postliminio ad ueræ Ecclesiæ Dei societatem reuersum, suam iustam & pio pectori debitam à fratribus & popularibus beneuolentiam, Die 26. Aprilis 1561.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Petrus Vincentius Vratislauiensis.

NON uana est querela elegantißimi Poetæ uersibus expressa:

Optima prima fere manibus rapiuntur auaris,
Implentur numeris deteriora suis.

Dolemus autem propter Ecclesiam, quòd tot ies iam experimur præstantibus ingenijs adolescentes, leuißimis occasionibus in letales morbos incidere, quos possent sæpe declinare, si maiore cura, quod certe uult Deus fieri, valetudinem regerent, ac memores essent præcepti Pythagorici: ῥώμη ψυχῆς σωφροσύνη, Quo significatur, temperantia Animæ Vitæq; uires contineri. Ob eam causam & Paulus præcipit, ut corpori honos habeatur tanq̃ organo ad rerum diuinarum in genere humano administrationem destinato. Sæpe autem modestæ etiam naturæ, & alienæ ab helluationibus uincuntur humana imbecillitate, quæ in omnibus magna & multiplex est, quo minus rebus ad usum humanum conditis utantur circumspectè & moderatè, deceptæ aliquo appetitu mendoso & fallaci. Commonefacti igitur exemplis non solum maiore cura valetudinem foueamus & obseruare discamus, quæ res uel conducant uel obsint corporibus, & uitiosos appetitus gubernatione potentiæ locomotiuæ reprimamus: sed etiam ἀρχίατρον Filium Dei dominum nostrum Iesum Christum oremus, ut ipse nobis sit medicus, & custos corporum nostrorum, & tribuat longiora uitæ spacia ingeniosæ Iuuentuti propter Ecclesiæ & posteritatis studia. Decrevit autem sub initium noctis proximæ honestus & doctus Adolescens Iohannes Forsterus Kirchbergensis, de quo propter ingenij fœlicitatẽ & diligentiam in discendo, spes fuit cum Ecclesiæ & Reipub: magno usui futurum esse, Ob quam causam non solum nobis, sed etiam Illustrißimo Principi & Domino Domino Richardo Palatino &c. fratri Electoris Palatini, qui studia huius liberaliter aluit, admodum carus fuit. Sed ante octo dies cum balneo calefactus, collecta siti mendosa, unum intemperantius hausisset, superinfusa deinde largiore cereuisia, uere ut dicitur, κακὸν κακῷ δεξαπεύων, sic corpus inflammauit, ut in phrenitidem incideret, ex qua etsi convaluisse uidebatur: sic tamẽ uires corporis labefactatæ sunt, ut diutius supereße non potuerit.

Commendauit igitur animam suam Deo fiducia & assidua invocatione Filij Dei, & confirmatus

matus ſpe læti cõſpectus Dei, quo fruuntur in ſinu Abrahæ ſanctorum animæ & glorioſæ corporum humanorum reſuſcitationis in nouiſſimo die, inter preces aſſiduas & ſuſpiria pia ad conſuetudinem Academiæ cœleſtis euocatus eſt. Nec dubitamus eum eſſe in numero eorum, de quibus ſcriptum eſt: Beati mortui qui in domino moriuntur. Hortamur itaq; ſcolaſticos, ut hora quarta conueniant ante ædes Viduæ Franciſci Denen, è regione Curiæ ad funeris ceremonias, in quibus ſinguli de ſua etiam morte & multiplici infirmitate, de miſerijs humanis, de earum cauſis, de iuditio Dei, de Chriſti beneficijs, deniq; de immortalitate, & uita æterna cogitent, & uitam ſuam Deo commendent: ſcire enim eſt uita noſtra & longitudo dierum. Die 28. Aprilis 1561.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS Petrus Vincentius Artium liberalium Magiſter & Profeſſor publicus.

GRatias agimus toto pectore Deo æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, quòd in hac noſtra hyberna ac ſemeſtri gubernatione mediocrem tranquillitatem & halcyonia Eccleſijs noſtris & Academiæ clementer conceſſerit: & huc uſq;

uſq; ſeruauerit in his terris, & inter hos paricetes lucem Euangelij ſui, ſtudia doctrinarum, & pacem, quibus bonis nihil in terra maius aut optabilius contingere generi humano poteſt. Vt autẽ hæc tanta bona nobis diuturna ſint, Id uerò primum à Deo petendum eſt aſſidua precatione. Deinde & noſtram ſingulorum oportet accedere diligentiam ſedulo faciendi officium pro cuiuſq; uocatione, & ſedulitatem laborum, & exercitiorum in Academia docendi & diſcendi, à quibus non patiamur nos Sycophantarum clamoribus, & calumnijs abduci ad ſimilem rabiem maledicentiæ, qua uel impediatur explicatio ueritatis, uel doctrinarum ſtudia, quibus pace opus eſt, interturbentur. In qua re & uoluntas noſtra, & ſtudium mediocre, et diuturna patientia ſunt ante oculos, quorum nos adeò non pœnitet ut cur nunc etiam aliter animati & adfecti eſſe uelimus, cauſa nulla appareat. Memimimus enim in docẽdi nos, non altercãdi cũ rixatoribus ſtatione præcipuè collocatos eſſe, in qua dum fideliter pro noſtra mediocritate officiũ facimus, neq; manes neq; irritos eſſe in Domino labores noſtros Dei beneficio experimur. Neq; ita obliti aut rudes ſumus priorũ temporũ, ut non meminerimus aut ſciamus, quibus artibus perpetuus Dei & Eccleſiæ hoſtis Diabolus hanc Academiam, quæ illi uere ſpina eſt, ut uulgo dicitur, in oculis, ſemper

semper oppugnauerit, nimirum aut potentũ irritanda in hanc tyrannide, aut cum hac non succeßit, rabiosorum sycophantarum, & eorum quidem hospitum quondam nostrorum, obtrectationibus, maledicentia, & calumnijs, quales nunc etiam plenas ueneni paßim in Theatris imperitæ multitudinis, & auidæ fabellarum καὶ λοιδορίας, à multis rabiosis Thersitis in nos euomi non miramur ab ijs, qui, ut iam olim dixit sanctæ memoriæ Philippus noster, sibi, non Christo regnum parant. Sed ijdem neq; ita aut stolidi sumus aut animis fracti, ut degenerum Canum more omißis iactoribus, lapides & saxa mordere soleamus. Tum demum hostis Diaboli caput & iugulum petitur, cum uera de Deo doctrina rectè, piè, & fideliter propagatur. Quod fit assiduitate docendi, precandi, & pie uiuendi, in studio sincero tuendæ ueritatis, concordiæ & pacis, calumniarum uanitas sua fruce ßit futilitate, & uerißimum est quod Orator sapiens dixit: Διαβολὴ καιρῷ μὲν ἰσχὺν ἐργάζεται τοῖς ἀκόυσι τὴν ὑπόληψιν, χρόνῳ δὲ πάντων ἀσθενεστέρα γίνεται. Vt igitur aduersus Tyrannorum arma Deus inter tristes temporũ mutationes hanc Scholam bellicis tumultibus, & alijs calamitatibus interdum dißipatã, tanquã fractæ nauis rudera clementer collegit, & tutatus est fortiter eliso & com-

comminuto potentiæ Diabolicæ fortißimo conatu, qui est uis manifestæ tyrannidis: Ita non dubitamus, quin eiusdem innocentiam aduersus calumnias quæ Diaboli sunt uelut alter & summus conatus, eadem paterna in nos bonitate sit defensurus, frementibus quantum uelint allatratoribus nostris μωροκακοῖς καὶ λογοῖς πονηροῖς φλυαροῦσιν ἡμᾶς, ut D. Petrus inquit, quorum mentes optamus sanari diuinitus. Hac spe & fiducia manemus in statione nostra docendæ & gubernandæ iuuentutis laboriosa satis atq; difficili, in qua non esse nos ocioso, sed quantum in hac imbecillitate fieri potest, necessaria sedulo facere, non solum nostræ conscientiæ: sed omnium, qui sunt nobiscum, testes esse possunt & oculi & aures. Propter disciplinæ uerò laxationem quam multorum δυσφημοῖς Paradoxis confirmari manifestum est, crescere quotidie difficultates, molestias, & onera gubernationis experimur. Ob eam causam sapienti consilio constitutum est, ut labores scholastici magistratus quolibet semestri transferantur in alios. Cum igitur crastina dies legibus & ueteri more destinata sit comitio eligendi & renunciandi Noui Rectoris, qui molem gubernationis per semestre æstiuum in se recipiat, hortamur Magistros, & auditores, ut cras hora septima conueniant in Auditorio maximo, audituri, quem deum beant

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000280

beant agnoſcere Magiſtratum. Sciant autem iuniores ſe honorificè de legibus, & toto ordine Politico ſentire debere, tanquàm de opere DEI, in quo etſi magna eſt hominum imbecillitas, tamen nunc etiam aliquæ lucent ſcintillæ ſapientiæ & iuſticiæ Dei: & cuius conſeruatio manifeſtum teſtimoniũ eſt præſentiæ Dei in hac hominum inter ipſos ſocietate, quam & ipſe immediatè aduerſus hoſtem generis humani Diabolum potenter tuetur atq; defendit, Sicut Propheta inquit: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat, qui cuſtodit eam. Hanc uero defenſionem ab ipſo & petere & expectare debemus. Sciant etiam ſe magiſtratui obedientiã debere cum quadam reuerentia, non ſolum metu pœnarũ ſed etiam propter Deum, coram quo conſcientia ſtet, cum homines petulanter uel negligunt uel contemnunt Magiſtratus autoritatem. Sicut Pauli grauiſſimo dicto monemur, cum inquit: Neceſſe eſt obedire non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Quemadmodum autem agnoſco ſingulare Dei beneficium, & ei reuerenter gratias ago pro mediocri tranquillitate conceſſa nobis in proximæ hyemis gubernatione: Ita nunc etiam oro filium Dei Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, ut quod ipſius beneficio hactenus factum eſſe pia gra-

grata mente agnoſcimus, porrò faciat, nimirum, ut lucem doctrinæ & ueritatis accenſam in hac Academia, paterna bonitate foueat & ſeruet, & aduerſus multiplices & uirulentas calumnias, & rabiem Diabolorum, umbra manus ſuæ nos protegat, ut plantemus cœlos, & iuuentutem utiliter ac fructuoſe doceamus, cum propagatione ueritatis & optimarum artium ſalutari ad omnem poſteritatem. Deniq; ut ipſe ſit perpetuus huiuus Academiæ Rector, & tribuat nobis hac etiam æſtate, gubernationem fœlicem tranquillam, & ſalutarem. Pridie Calendas Maij, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS PETRUS Vincentius Vratislauienſis artium humanitatis Magiſter & Profeſſor.

ET agnoſcimus grata mente, et aſſidua commemoratione, ut par eſt, prædicamus immenſum Dei æterni patris Domini noſtri Ieſu Chriſti beneficium, quòd Euangelij lucem in Academia, duorum præcipuè uirorum Lutheri & Philippi beatæ & immortalis memoriæ Præceptorum noſtrorum miniſterio fideli, &

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000281

ſancto, ſub finem ſqualidæ ſenectæ Mundi clemen-
ter rurſum accenderit, & quod uindicatis à bar-
bariei ſitu & ſqualoribus optimarum artium &
linguarum ſtudijs, ad quorum ſalutarem inſtau-
rationem & uſum in Eccleſia demonſtrandum,
Philippum Luthero tanquam Theſeum Herculi,
uel potius ut Eliſæum Eliæ diuinitus adiunctum
fuiſſe manifeſtũ eſt, eruditione mediocri Eccleſias
noſtras ornatas eſſe uoluerit, et eundẽ oramus ue-
ris gemitib. ut hæc ſua dona à fideliſſimis καὶ θεο-
διδάκτοις Magiſtris relicta poſteritati clementer
conſeruet, & in his regionibus perpetuò ſibi colli-
gat Eccleſiam, nec propter hominum ingratitudi-
nem & improbitatem ſinat extingui lucem ueritā-
tis, aut barbaricam uaſtitatem fieri, qualis in ua-
ſtis Europæ & Aſiæ, ubi olim Eccleſiæ doctrina
& literis floruerunt, regnis paſſim conſpicitur. Vt
autem Menſis Februarius funeſtus nobis & Ec-
cleſiæ fuit propter ereptum rebus humanis Luthe-
rum: Ita hoc ipſum Anni tempus renouat animis
noſtris triſtiſſimum luctum atq; dolorem, quem ce-
pimus anno ſuperiore, ex ſubducto à dulciſſima
conſuetudine & conuictu noſtro, Philippo Melan-
thone, quorum utriuſq; ex hac mortalitate placi-
da emigratio, ipſis quidem adeò inuidenda non
eſt, præſertim fatigatis iam & ſenecta, & labo-
ribus, ut etiam matura fuiſſe exiſtimari poſſit,
præſer-

præſertim in publicarum calamitatum partim in-
choata, partim impendente quaſi inundatione fata-
li, ac debita hominum ingratitudini & maliciæ:
nobis tamen poſita ante oculos orbitas Eccleſiæ,
quæ uerè, ut de Elia clamabat Eliſæus, & currum
& aurigam amiſiſſe uidetur, & cogitatio malo-
rum, quæ obitus Doctorum in Eccleſia conſequi
ſolere hiſtoriarum exempla nos monent, non po-
teſt non et mœrorem animis et ſollicitudinem ali-
quam de poſteritate afferre, præſertim intuentibus
hæc malorum initia, contemptum Miniſterij, ne-
glectionem ſtudiorum doctrinæ, laxationem di-
ſciplinæ, diſſidia docentium, & Hypocritarum ac
Sycophantarum infinitam Sophiſticam & rabiem.
Etſi autem ad horum malorum conſiderationem
neceſſe eſt nos cohorreſcere totis pectoribus, erigi-
mus tamen nos fiducia cuſtodis & Emanuelis no-
ſtri filij Dei Ieſu Chriſti, qui Eccleſiæ etiam in an-
guſtias extremas redactæ, tamen ſpem præſentiæ
ſuæ & tutelæ ac defenſionis fecit ueriſſimis et dul-
ciſſimis promiſſionibus: Non relinquam uos or-
phanos. Item: Manebo uobiſcum uſq; ad conſum-
mationem ſæculi. Item: Vbicunq; duo aut tres
erunt congregati in nomine meo, in medio eorum
ſum. Et in hoc Eſaiæ dicto: ſenescentem Eccleſi-
am ego geſtabo & ſaluabo. Hac ſpe confirmati
non deſinimus facere uſitatas operas doctrinæ in

Ecclesia & Academia, & ut fidele depositum Patrum nostrorum, quantum fieri à nobis potest, ad posteritatem propagetur, Iuuentuti, quam sciamus seminaria esse Ecclesiarum & posteritatis, hortatores assidui sumus ad diligentiam discendi doctrinam Ecclesiæ & optimarum artium, quarum propagatio nobis in Academia commissa est, & experimur, Dei beneficio, seruato Scholæ statu huc usq; non pœnitendo, labores nostros in Domino, ut D. Paulus inquit, non inanes esse. Decet autem nos simul eorum, à quibus doctrinam accepimus, memoriam gratis animis celebrare, non Ethnica νεκυομαντεία, quæ ad ostentationem instituitur: non aliqua superstitione, quæ iamdudum è cœtibus nostris explosa & profligata est, Sed studio pio, sincero, & iusto, primum præstandæ gratitudinis ipsi Deo æterno Patri et filio eius Domino nostro Iesu Christo, & Spiritui sancto, ornanti Ecclesiam organis salutaribus ad doctrinæ propagationem, Deinde monendæ iuuentutis causa de miranda conseruatione Ecclesiæ omnium temporum, & Doctorum seu Instauratorum doctrinæ uocatione, de ipso genere doctrina, de exercitijs fidei, studiorum, inuocationis, constantiæ & fidelitatis in uocatione & ueris casibus Confessionis, Deniq; de euentib. & liberationibus diuinitùs gubernatis. Quæ omnia ad doctrinæ confirmationem in pijs mentibus cogitata sunt

sunt salutaria. Quare & Paulus Timotheum grauissimè hortatur: Permane, inquit, in ijs quæ didicisti & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris. Ob hanc causam & nos, ut historiam uitæ, studiorum, & certaminum pro ueritate susceptorum ab utroq; Luthero & Philippo Præceptoribus nostris iuuentuti commendaremus, cum utriusq; fatales dies annis quidem distantes (Obitus enim Philippi annis 14. Lutheri mortem est consecutus) Sed tamen in menses propemodum contiguos incidant, et hæc dies admoneat nos sublati è rebus humanis anno superiore Philippi Melanthonis, causam habuimus, quare cum uiro clariss. Theologo & Poëta præstanti Iohanne Maiore Ioachimo, Collega nostro ageremus, ut pro ea facultate scribendi Poëmata, qua excellit, contexeret Epicedion (uerè solatia luctus exigua ingentis, æro sed debita patri, ut de supremis, post præstantium hominum obitus, officijs optimus uates cecinit) sed ut contexeret tamen, & quidem eiusmodi, quo complecteretur in quadam summa utriusq; horum Lutheri atq; Philippi uitæ carrialũ, in quo, cum illequa & in illos defunctos pietate, & nos amicos beneuolentia est, cum uoluntate nobis morem gessisset, uisum est Senatui Academiæ, ut idipsum carmen hodie Deo uolente, in consessu solenni Anniuersariæ memoriæ loco, publice recitaretur. Ad

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000283

eam pij ſtudij & officij ſolennitatem, Doctores, Magiſtros, & Scholaſticos omnes conuenire cupimus, ut in Collegij auditorio maiore adſint hora duodecima, & nobiſcum debitam Deo gratitudinem præſtent, & agnoſcant ac celebrent hoc immenſum Dei beneficium, quod his regionibus tribuerit ſaluatores Doctores, & præcipuè hos duos uiros Dei, Lutherum & Philippum in hac ſqualida mundi ſenecta excitauerit ad inſtaurationem doctrinæ de Pœnitentia & Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, obſcuratæ tæbris Sophiſticis Antichriſti Romani, ac Pontificiæ tyrannidis ſuperiorum temporum. Deniq; quod in magna uarietate temporum clementer tamen lucem doctrinæ & ueritatis inter nos conſeruauerit, & hanc Eccleſiam et Academiam protexerit huc uſq;, et protegat ſub umbra alarum ſuarũ contra aduerſationes, calumnias & rabiem hoſtium & Sycophantarum, quales ab annis quadraginta quatuor hanc Scholam tuliſſe infinitas & innumerabiles, & tamen diuinitus ſemper defenſam fuiſſe, grata, ut par eſt, erga Deum mente, & poſſumus & debemus recordari. Agamus igitur Deo æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti toto pectore gratias pro his & alijs immenſæ bonitatis ſuæ beneficijs, & ei ardentibus uotis & gemitibus ſtudia doctrinæ Euangelij, & optimarum artium, quæ ſunt neceſſariæ

ceſſariæ ad ueritatis explicationem, commendemus, & in hac orbitate petamus ab ipſo Eccleſiæ & Academiæ noſtræ eam, quam hactenus clementer nobis præſtitam experti ſumus, conſeruationem, & defenſionem aduerſus Diabolorum, Pontificum, Monachorum & Sycophantarum rabiem, minas, allatrationes, & calumnias. Quas cum iamdudum & ueritas ipſa & tempora & hominum oculi & aures refutent, nos deinceps ut Syrenum uoces à pio ſtudio propagationis doctrinæ nos auocantes, ſurdis auribus prætereamus, ac Deo uindici committamus, & ut huc uſq; ſedulò facere ſtuduimus, hoc unicè agamus, ut diligentiam noſtram, fidem, & aſſiduitatem in docendo & diſcendo ſine corruptelis, ueritatem doctrinæ cœleſtis & optimarum artium Deo et ueræ Eccleſiæ & pijs omnibus pro tenuitate & modulo uirium noſtrarum probemus. Ad hanc ſtudiorum ueritatis ſocietatem, quam præcepit Deus, ſicut ſcriptum eſt: Scrutamini ſcripturas. Item: Attende lectioni, & ad ſedulitatem in uocatione, de qua dicitur: In hoc excellite, ut propria faciatis, deniq; ad mutuam beneuolentiam & concordiam, de qua inquit Dominus: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis uos inuicem, Scholaſticos noſtros, et hunc totum cœtum ac pios omnes ubiq; locorum hortamur, & ſimul oramus filium Dei Dominum noſtrum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000284

ſtrum Ieſum Chriſtum, qui dixit: Non relinquam uos orphanos, ut ipſe ſit in medio noſtri, et ſit nobis opitulator, & ſit ſupremus Rector & noſtræ huius, & omnium piarum Academiarum, & Eccleſiam ſuam, quæ uerè est tanquam nauicula quaſſata undiq; procellis calamitatum interiorum & exteriorum, clementer ſeruet, & gubernatorum animos flectat ad ſtudium & amorem cùm pacis tùm ueritatis. Addimus autem huic ſcripto Tabellam ordinis ſtudiorum publicorum, qui anno à morte Philippi circumacto de conſilio et uoluntate illuſtriſſimi Principis Saxoniæ Electoris &c. & Senatus Academiæ inſtitutus, Auditorum utilitatibus ac profectui deinceps commodiſſimus fore uiſus est. Datæ die 19. Aprilis, qua die ante annum reuerendus & clariſſimus Vir, de Eccleſia Dei & artium optimarum atq; omnis doctrinæ liberalis ſtudijs, ac de hoſtibus etiam ſuis præclariſſimè meritus D. Philippus Melanthon, ex hac uita ad ſocietatem cœleſtis Academiæ placidiſſimè euocatus est &c. Anno 1561.

THEOLOGICAE Lectiones.

D. Paſtor Doctor Paulus Eberus dictitabit explicationes Euangeliorum hora ſeptima diebus Veneris & Saturni.

D. Doctor Georgius Maior enarrabit ordine Epiſtolas Pauli hora 3. pomeridiana uſitatis diebus quatuor.

D. Doctor Crellius explicabit doctrinam Eccleſiæ comprehenſam in Locis communibus hora 7. diebus Lunæ & Martis.

M. Caſpar Cruciger repetet Catecheticam doctrinam Eccleſiæ traditam in Examine, diebus Lunæ & Martis hora 4.

Idem die Iouis & Veneris hora 9. enarrabit Epiſtolam Pauli ad Romanos.

M. Henricus Moller enarrabit Textum Hebraicum minorum [illegible]ophetarum uſitatis 4. horis.

M. Iohannes Bugenhagen tradet Elementa Hebraicæ linguæ, & addet interpretationem uel Pſalmorum uel Prouerbiorum hora prima pomeridiana.

IVRIDICAE Lectiones.

Lectio D. Doctoris Laurentij Ordinarij est profeſſio Iuris Canonici.

D. Ioachimus à Beuſt die Lunæ, Martis, Iouis & Veneris, hora 3. poſt meridiem Tit. ff. ſi. cert: peta: lecturus est.

D. Georgius Cracouius iiſdem diebus hora 4. Cod.

D. Io-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000285

D. Iohannes Schneidewein ijſdem diebus hora 7. Inſtitutiones.

D. Vitus. VVinshemius Filius, ijſdem hora 7. matutina Tit. ff. De uerborum obligatio.

D. Doctor Victor Otting Lecturus eſt Tit. de Actionib:

MEDICAE LECTIONES.

Doctor Melchior Fendius enarrabit Nonum lib. Rhaſis ad Almanſorem, hora 9. diebus Lunæ & Iouis.

Doctor Caſpar Peucerus Hipocratica & Galenica hora 8. uſitatis quatuor diebus.

Doctor Iohannes Hermannus enarrabit Galenum & Auicennam hora 2. uſitatis quatuor diebus.

LECTIONES PHILOſophicæ.

Doctor Vitus VVinshemius Senior interpretabitur Autores Græcos hora 8. uſitatis quatuor diebus.

Idem addet Explicationem Græcæ Grammatices die Mercurij hora 9. Hiſtoriam Lectionem Chronicorum continuabit Doct. Caſparus Peucerus die Saturni poſt lectionem D. Paſtoris.

M. Sebaſtianus tradet Geometrica et Aſtronomica ex doctrina Euclidis, Ptolemæi & aliorum hora 7. matutina uſitatis quatuor diebus.

M. Matthæus Plochinger tradet Iunioribus Elementa Sphærica & Arithmetica hora 1. pomeridiana uſitatis quatuor diebus.

M. Petrus Vincentius explicabit præcepta Dialectica diebus Lunæ & Martis hora 9.

Idem diebus Iouis & Veneris addet aliás lectionem Ciceronis de Orat: aliás Liuij, aliás Homeri hora 4. pomeridiana,

Idem tradet Ethicam doctrinam die Mercurij, hora 2. & addet Interpretationem Ethicorum Ariſtotelis.

M. Eſromus tradet doctrinam Phyſicam & aliás alias eius partes hora 2, uſitatis quatuor diebus.

Doctor Iohan. Maior Ioachimus Poëticen tradet, & enarrabit Poëtas Latinos, ac præcipuè Virgilium, et aliás alios hora 3. uſitatis quatuor diebus.

M. Euſebius Menius tradet Præcepta Grammaticæ Latinæ, & ea illuſtrabit exemplis Lectionis Terentianæ, Plautinæ, Bucolicorum Virgilij, libellorum Ouidij &c. hora 2. uſitatis quatuor diebus.

M. Alber-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000286

M. Albertus Lemeiger tradet præcepta Rhetoricæs diebus Lunæ & Martis hora 6. matutina, Et addet enarrationem Epistolarum Ciceronis & Orationum diebus Iouis & Veneris eadem hora.

M. Bartolemæus Schonborn nunc quidem libellum de Dimensione terræ usitatis diebus quatuor hora 12. Auditoribus proponet. Aliás uero 11. librum Plinij, aliás Meteora Pomponi, & id genus similia scripta explicabit.

IN PRÆLECTIONEM DIALECTICES.

POstquam clariss. Vir, & Præceptor carissimus noster D. Doctor Vitus VVinshemius propter felicem propagationem studiorum linguæ Græcæ, rursum in se recepit integram eius linguæ professionem, in qua multos annos cum magna laude discentium in Academia, et utilitate publicis studijs seruiuit, ac deinceps rursum totam septimanam ei tribuere decreuit, iussus sum ego interea prælegendo repetere explicationem præceptionum Dialecticarum, quam Deo iuuante inchoabo cras hora nona. Ac ne longis ambagibus præfationum remorer discentes, præsertim cum extet à D. Doctore Vito de dignitate & utilitate artis habita oratio, quam à studiosis legi malo, quàm meam balbuciem audiri, seruabo legem Atticam, & ἀνεὺ πϱοιμίων καὶ παϑῶν, hoc est, sine ulla præfationis pompa statim ad ipsas doctrinæ Dialecticæ operas accedam. Oro aũt Filium Dei λόγον æterni Patris Dominum nostrum Iesum Christum, qui est primus & summus καὶ διαλεκτικώτατος Doctor Ecclesiæ suæ, ut ipse gubernet studia nostra, & faciat ut labores nostri sint salutares Ecclesiæ & huius seminarijs, Iuuentuti Scholasticæ. Anno 1561.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.

IN HOMERI LECTIONEM.

VErtice de cœli medio Phœbeia lampas
Oceani uitreas quando subibit aquas,
Qua soliti fumus pridem non segniter hora
Lectio Mœonidæ continuanda uenit.
Hic doctrinarum fons est uberrimus, ex quo
Promanant doctæ posteritatis aquæ
Cuius qui nullo sua proluit ora liquore
Indoctum sese cur fateatur habet.
Ah miser & si quis se somniat esse Poëtam
Hoc sine, non uates, uate, sed est fatuus.

Ingenij

Ingenij maculas ſolers detergit Homeri
Lectio, iudicij eſt & cynoſura boni.
Ergo hinc conſpicuæ qui ſperas nomina famæ
Mœonidæ uoti munere compos eris.

Petrus Vincentius
Vratislauienſis.

RECTORATVS TERTIVS REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI D. Georgij Maioris, ſacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris &c. à die Apoſtolorum ſanctorum Philippi & Iacobi uſq; ad Feſtum S. Lucæ Euangeliſtæ, Anno Chriſti 1561. ætatis ſuæ ſexageſimo, cum anno 1511. catalogo ſtudioſorum adſcriptus eſſet.

STVDIOSIS IVRIS.

ARcadius Iureconſultus in L. Munerum Parag. mixta ff. de muner: et hono: refert Herennium Modeſtinum notando & diſputando benè & optima ratione quæq; decreuiſſe.

Quod dictum cum uiam ac rationem, qua quis non mediocrem frugem ex hac legali Philoſophia reportare poſſet, certo demonſtret ac præfigat, duo potiſſima præcepta ſtudioſo Iuris obſeruanda tradit, inter quæ illud ſibi primas partes uendicat, ut certæ quædam doctrinæ, auctoritatibus textuum, gloſſarum ac Iuris interpretum fulcitæ colligantur, notentur, animisq; imprimantur, teſte Iohanne Fabro in Prohem: Inſtit: Quia autem ampliſſimum Iuiris Pelagus eſſe conſtat, Et ut Bal: in L. Si. duobus C. commu: de lega: prudentiſſimum Hippocratis dictum refert, Ars longa, uita uero breuis, pauci ad annos triginta, pauciores ad quadraginta, paucißimi uero ad annos ſexaginta perueniunt, & ſi tempora, quæ ipſa naturæ ſomno ac queti, anniſq; puerilibus ac ſenilibus dedit, detrahantur, exiguum quidem tempus reſtabit ſecundum Ferrar: in exordio ſuæ practicæ, Summa equidem ſecundum Senecam, eſt dementia, ſuperuacua in tanta temporum egeſtate addiſcere. Refert itaq; eam doctrinam benè cognitam habere, cuius ſingulare extat diui Auguſtini iudicium, qui inquit: Quod ſine ciuilis ſapientiæ ſtudio Reges tyranni nuncupãtur, ſine qua optimatum conſenſus factio eſt, ſine qua nec domus, nec ciuitas, nec hominum genus uniuerſum, nec ipſe mundus conſiſtere poteſt. Quemadmodum enim oculorum

acies sine pupilla hebetatur, sine gubernatione nauis periclitatur, sine auriga currus sæpè euertitur: Ita sine legibus ciuitas uacillat. Inprimis tamen illa pars ciuilis sapientiæ Tyronibus Iuris commendata esse debet, quæ in hac societate hominum trita atq; necessaria est. Quare cum usus Tituli Instit: De Actionibus in quotidiana uita & praxi forensi satis conspicuus sit, suscepi ex mandato Senatus Iuridicæ facultatis eius Tituli enarrationem Scholastico stylo commentandam. Quam proxima die Martis Deo dante, hora nona in auditorio Iureconsultorum exordiemur, Anno 1561.

Victor Ottingus Reualiensis Doctor.

IN PRÆLECTIONEM SECVNDI Plinij.

INitio gratias ago æterno atq; omnipotenti Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, fonti sapientiæ, & bonitatis, quod immmensa bonitate post diuturnas horrendasq; tenebras, & impietatem Idolatricam, denuò in his regionibus doctrinæ suæ lucem, atq; ueritatem accendit, & in patria mea Ecclesiæ, & Scholæ laudatissimæ sedem

dem constituit, in qua iam annos quatuor & quadraginta, pura de Deo doctrina, & lux cæterarum artium, uitæ atq; Ecclesiæ necessariarum, constanter sonuit, & in qua multi doctrina & humanitate exculti sunt, quorum industria, & uirtus multis Europæ partibus innotuit atq; profuit. Oro etiam Deum toto pectore, ut quæ ornamenta patriæ meæ clementer concessit, eadem in multos annos deinceps nobis integra conseruet, tueatur, & ad posteros propaget, ut in plurimis uera Dei agnitio accendatur, & multi fiant æternæ uitæ atq; salutis hæredes, seruet etiam nobis hæc aluearia, in quibus discentium ac docentium agmina uelut apicularum sedularum examina, Deo grata faciant, & sint palmæ fructiferæ, quarum nefolia quidem marcescant, ut Psalmus ait: Cum autem mihi, quod fœlix & faustum sit, de uoluntate & sententia inclyti Senatus Academiæ nostræ, pars aliqua publici muneris commendata sit, etsi mihi imbecillitatis meæ, atq; infantiæ ipse sum testis maximè: tamen Deo inprimis, deinde optimorum Præceptorum meorum beneuolentia erga me, fretus, idipsum onus, quanquam uiribus meis impar, subire non grauabor, & oro Filium Dei λόγον, ut ipse me adiuuet, doceat, regat, & gubernet, ut labores mei in ipso, salutares sint mihi & alijs, cum scriptum sit: ὁ νόμος ὑμῶν

οὐκ ἔξεστι κενὸς ἐμ κυρίῳ. Iuſſus ſum uerò ordiri operas à ſecundo Plinij libro, qui poſt præmiſſam totius operis ſeriem atq; ſummam, primus eſt, atq; initia doctrinæ Phyſicæ, de Mundo & partibus eius, de mirando conſenſu, & συμπαθείᾳ corporum cœleſtium & inferiorum, Deniq; multiplicem eruditionem continet, quæ ſua natiua bonitate atq; utilitate eos, quos naturæ cognitio delectat, inuitare debebat. Adhortor igitur Scholaſticos, ut hanc prælectionem ament, ſtudioſéq; cognoſcant, quæ interpreti occaſionem præbet de multis rebus latius dicendi. Materiam uerò de terræ dimenſione quam Autor in fine libri attingit, Deo iuuante, tunc etiam ſubiungam. Atq; promitto auditoribus meis diligentiam & fidem in interpretatione, quam poſt mercatum, ubi exemplaria aduecta fuerint, auſpicabor.

Bartolemæus Schönborn.

STVDIOSIS ARTIVM DICENDI IN INCLYTA Academia VVitebergenſi S. D.

QVAM neceſſaria ſit uerſanti in ſtudijs literarum, cura rectè loquendi, & iudicandi de ſermone, & oratione aliorum, omnium

omnium eruditorum ſcripta, de rectè loquendi ſcientia, teſtantur. Dicendi enim proprietate neglecta, infinitæ confuſiones, in Religionibus, et præcipuis negotijs uitæ ſequuntur. Vidimus noſtra ætate plurimas hæreſes, & purioris doctrinæ corruptelas, à Sophiſticis ingenijs ortas eſſe, quæ non natiuas tuentur ſententias, ſed proprium ſermonem audacter deprauant, & diſſimiles ſententias confundunt, & res eruditè traditas, Sophiſmatum præſtigijs labefactãt. Quare in hac florente ætate, quæ maximè accommodata eſt, ad ornamentum & decus latini ſermonis percipiendum, omni animi cura elaboremus, in dicendi ac ſcribendi ſtudio, quod maximè in imitatione conſiſtit, et artũ præceptis gubernatur ac confirmatur. Cum enim nihil difficilius ſit quàm proprio, & perſpicuo ſermonis genere, mentis noſtræ cogitationes exprimere, & de magnis ac neceſſarijs rebus dilucidè & ordinè alios docere, uſitata artium præcepta optimo, et grauiſſimo conſilio, à ſapientiſſimis ſtudiorum gubernatoribus nobis proponuntur, quæ rationem conſtituendi orationes proprias, compoſitas, et ornatas atq; artificio quodam & expolitione diſtinctas, præſcribunt. Etſi autem dicendi præcepta ſola, ad oratoriam facultatem non ſufficiunt, neq; nos ad decus, & ornamentum eloquentiæ perducunt, ſicut de naturæ, & ingenij dotibus præclarè

Pindarus: σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσία κόρακες ὡς ἀκράγαντα γαρυετον διὸς πρὸς ὄρνυχα θεᾶρ: tamen omnibus sani iudicij hominibus notum est, dicendi facultatem adminicalis Præceptorum indigere, quibus ordo in dicendo regitur, & gubernatur, & ingenia adiuuantur, ut maiori cura, et prudentia in aliorum scriptis legendis uersari possint: Siat idem Pindarus sapienter monet δαέντι καὶ σοφία μείζων ἄδολος τελέθει. Cicero cuius natura à Deo ad eloquentiam efficta uidetur, quæ ipsum clarissimum dicendi lumen effecit, Rhetorices præcepta non neglexit, sed periculosissimas nauigationes ad Asiaticos doctores Xenoclem, & Menippum suscepit, ut ab eis Rhetorices præcepta, quibus natura conformaretur, audiret. Cum enim dicendi & scribendi ratio consuetudinea, & inordinata eruditis non probetur, nec discentibus neq; docentibus sit accommodata, certum est uniuersum dicendi studium, arte quadam regi, & gubernari. Quare cum de sententia Senatus Academiæ mihi impositum sit munus explicandi doctrinam de arte dicendi, libros reuerendi Patris, ac Præceptoris nostri Domini Philippi Melanthonis sanctissimæ memoriæ, de arte Rhetorica enarrare constitui, in quibus ut Cicero in libris de Oratore uenustissimè ait, peracuta quædam præcepta ad

ad pertractandos animos hominum, & ad excipiendas eorum uoluntates traduntur. Cum autem præcepta sine exemplis non intelligantur, in singulis causarum generibus, unam aut alteram Ciceronis orationem, arte & uerborum splendore illustratam enarrabo, ut ueram imitandi rationem discentes cognoscant. Sine cura enim imitationis, homines rectè loqui non possunt, ideoq; eligamus formam omnium optimam, quæ in scriptis hominum eloquentia præstantium, proponitur. Quare Ciceronis scripta nobis sint commendata, de quibus uir acerrimi iudicij Quintilianus dicit: Is se multum profecisse sciat, cui Cicero placebit. Et ut usum ostendam generis Iudicialis, in quo primum offertur status coniecturalis, decreui statim auditoribus enarrare orationem Ciceronis pro S. Roscio Amerino, quæ splendore, uenustate, et suauitate uerborum exornata est. Res præcipuæ magna prudentia, & accurato iudicio collocatæ, ac dispositæ sunt, ut planè diuina orationis forma eluceat, in qua Cicero maiori studio, elaborasse uidetur, cum adhuc iuuenis, uix agens annum 27. primum eam in causa criminali orationem haberet. Oro autem Deum æternū patrem liberatoris nostri Iesu Christi, ut nobis Spiritu sancto suo clementer adsit, ac pacem nobis, & tranquillitatem, ad hæc studia Ecclesiæ ac Reipub.

necessaria largiatur, ad æterni nominis sui gloriam, & multorum hominum salutem. Cras Deo uolente hora sexta matutina, pro consuetudine in Academijs recepta, de studio dicendi plura præfabor. Die 4. mensis Maij, Anno 1561.

Albertus Lemeiger
Hamburgensis

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor S. D.

QVomodo uitam & mores gubernari oporteat, ut ea fiant quæ recta sunt & uera, omnemq; ætatem atq; conditionem decent, tam Ecclesiæ quam humanæ sapientiæ doctrina explicat. Etsi autem quæ à sapientibus de faciendis & fugiendis secundum rectam rationem discernuntur ex reliquijs legis diuinæ, hærentibus in natura, promanant uniuersa, Ecclesiæ tamen doctrina etiam hac in parte luculentior est, & hoc habet peculiare & eximium, quod non tantum quid ad homines, speciem, et decus habeat et laudē mereatur, proponat Sed hæc etiam omnia, quomodo ita fieri possint, ut uero Deo placeant, demonstret.

stret. Quæ in Ecclesiasticis et Scholasticis conuentibus nostris, Dei beneficio & rectè distinguuntur, & uerè ac frequenter, uel sedulo potius explicantur. Cumq; Academiæ quasi officinæ quædam sint uniuersæ sapientiæ, et diuinæ et humanæ, utriusq; huius cognoscendæ non pœnitendas occasiones habent discipuli nostri, uel copiam etiam luculentam, de quo in promptu est iudicare unicuiq;, cum ante oculos interq; manus sint nostra omnium. Etsi autem non apparet negligentia aliqua aut incuria culpabilis in Scholasticis nostris in audiendo & cognoscendo, neq; doctrinæ loca, Christo gratia, uacua conspiciuntur, in præstandis tamen & exercendis ijs, quibus disciplina & Ecclesiastica & ciuilis conseruatur, non respondet uita auditionum industriæ, cum finis sit horum omnium non θεωρία sed πράξις, & de disciplinæ dissolutione omnes iam homines ubiq; locorum queruntur, cuius rei caussas quærentibus, nimis multæ succurrunt, quæ in præsentia non sunt exquirendæ, nam & argumentum ingens est & culpa late patet. Ita igitur quod singulis annis edicitur, etiam nos hoc tempore tam propter eos qui nunc primum in Academiam ueniunt, quam propter incogitantiam atq; etiam petulantiam ætatis iuuenilis repetere oportet, Vt caueant Scholastici Academiæ nostræ, ne munitionum aggeres, quibus oppidum nostrum cingi-

 tur,

tur, ullibi conſcendant, imq; his ne obuerſentur, multo minus uſpiam his ullo modo damnum dare, ne audeant. Cumq; expationibus ſatis multa loca pateant, in præſentia uolumus & edicimus, ut noſtri ab aggeribus illis et uallo oppidi, prorſus abſtineant, neq; niſi ab ijs penes quos hoc eſt, & qua fieri debet, admiſſi, in his ſe conſpici ſinant. Quod ut præſtent noſtri non reducimus eos in præſentia ad humanas Scholas, quæ peregrinos & incolas nihil præter ſuum negotium agere iubent, nihil de alieno inquirere, minimeq; in aliena republica curioſos eſſe, Sed illuſtriſſimi Principis noſtri auguſtiſſimam autoritatem his opponimus. Cuius præfecti, & quorum fidei munitionum illarum cura, & inſpectio concredita eſt, hoc ita ut præſtetur publicam utilitatem flagitare intelligunt, cum quibus noſtram hanc edictionem coniungimus, Vt non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam parendum ſibi eſſe noſtri meminerint. Qua commonefactione nulla poteſt eſſe efficacior ad eos, qui non ſunt ἄθεοι, quales nullos in noſtro cœtu eſſe confidimus, & ne eſſe ſinat Deum oramus. Cumq; in hac parte ſinprimis peccetur ab ea ætate, quæ priuatos uitæ Magiſtros & inſpectores habet, omnes illos & Pædagogos, & qui priuatas Scholas habent, hortamur, Vt ſuos cohercere ſtudeant, ne diſciplinarum peccata in Magiſtros redun-

redundent. Præterea de hoc quoq; ſeuerè in præſentia noſtris edicendum, Ne qui in ædibus Scholaſticis ueſtium artifices alant, qui uel nouas ueſtes eis faciant, aut ſarciant ueteres. Sed opera uniuerſi utantur eorum, qui & ius ciuitatis huius habent, & quibus copia hæc legitime facta eſt, ut artem talem exercere in hac ipſis publicè liceat. Nam in hac parte noſtros accuſari comperimus. Et hoc quoq; tale eſt, ut & ab incolarum officio alienum ſit, & ordinem conturbet, & leges uiolet, quibus fundamentum ciuilis uitæ conſuetudo nititur. Cum autem ordo noſter uniuerſus & ædes Scholaſticæ atq; priuilegia harum communis ſalutis cauſa inſtituta ſint, incommodari ab his cuiquam tum inprimis ei ciuitati, in qua uiuimus, inquilinatum noſtrum grauem eſſe minimè decuerit. De utroq; igitur edicimus, ut ſi qui edictioni huic noſtræ non paruerint, in eos ita ut publicum noſtrum conſilium quoquo tempore conſtituerit, animaduerſuri ſimus. Par quidem eſt operam dare publicè & priuatim uniuerſos, ut conſilia & actiones omnes omnium dirigantur ad laudem & gloriam DEI, & celebrationem huius in uitæ ſanctitate, & innocentia, & inuocatione religioſa & aſſidua, ut, miſertus noſtri propter filium auerſus calamitates impendentes

dentes ceruicibus noſtris, nequaquam, ut ſuſpicari licet, paruas aut uulgares, cui propitio Deo Eccleſiam, & communem patriam, commendamus. Oramus etiam ſingulos, ut noſtræ gubernationis curas & labores moderatione ſua atq; morigeratione nobis alleuent. Datæ 4. Maij, Anno 1561.

IN LIBELLVM DE ANIMA.

HOdie, Deo uolente, reuertens ad operas publicæ & ordinariæ doctrinæ noſtræ, incipiam explicare ea quæ ſunt in libello de anima Anatomica, & interiorum corporis humani partium deſcriptionem continent, quæ hoc nomen habent apud Græcos, quia ſectionibus aperiuntur et demonſtrantur, de quibus aggrediendis & tractandis peculiaris eſt doctrina Medicorum quæ ſunt ἐγχειρήσεις ἀνατομικαί, his opus eſt, ut noſtrorum corporum & partium ſingularum poſitus & quaſi munia quædam perſpici poſſint, quorum uſus cum latiſſimè pateat, ad doctrinam tamen de anima neceſſario ſunt aſſumenda. Cum enim corpus domicilium ſit animæ, cuius miniſterio actiones plærasq; ſuas exequitur, uirtutes animæ quales ſint & cuiuſmodi, explicari nequeunt, ſi

unt, ſi non, quibus organis ad actiones ſingulas opus ſit, doceatur, quantum in huius uitæ imbecillitate & caligine mentis fieri poteſt, & animæ corporis organici anima eſt, quod natura ad certas functiones inſtruxit, etſi quaſdam per ſe etiam & ſine corporis miniſterio exercet (quæ inorganicæ in Scholis appellari ſolent) & tum quidem maximè, cum ab hoc ſeparata eſt, cum ab autore Deo ita uideatur condita, ut à corpore hominis quod animat, nunquam ſepararetur, ſed cum hoc perpetuo coniuncta maneret. Poſtquam autem per peccatum mors intrauit, ut Apoſtolus loquitur, hoc factum eſt, ut corpus carcer iam ſit & quaſi ſepulcrum animæ, ut Plato diſputat, cum corpus initio conditum ſit animæ cauſa, & ſequatur tandem διάλυσις ἀπ' ἀλλήλοιν utriusq;, et linquens corpus, anima ab hoc recedat, quod deſtitutum hoc agitatore ſuo, ſenſu & motu omni carens iacet mortuum, anima autem uiuit, quæ ſic eſt condita, ut morti non ſit obnoxia, ideoq; à corpore recedit, quòd mori nequeat, quæ in Chriſtiana doctrina tantum explicantur, nam Philoſophicæ de his rebus ſcholæ quales ſint, in medio eſt, & nos de his omnibus diligenter & uerboſè diſſeruiſſe, auditores noſtri meminerunt.

Iam uero, poſtquam ex illis quaſi cotibus difficilium & obſcurarum diſputationum de natura ani-

ra animæ quasi enauigauimus, ea quæ de officio & effectionibus huius in corpore traduntur, aggrediemur, in quibus post expositas appellationes partium corporis externarum, iam de internis disputandũ erit, quæ est doctrina Anatomica, ut diximus, in qua et per se quædã sunt de quibus controuertitur, & eorum qui in hac tradenda uersati fuêre, partim imperitia, partim audacia quæ cum hac semper est coniuncta, falsa & inania multa introduxit, cum mirari aliquis possit, quomodo de ijs rebus, quæ oculis subiectæ sunt & manibus comprehendi possunt, certamina existant, de quo & ipso rationes nostras sæpè exposuimus. Celebratur autem præ cæteris Aegyptiorum in Anatomijs studium & diligentia, quorum tamen de his rebus doctrinæ nihil fermè extat. Sed Græcorum scripta in manibus sunt, quibus instructi nostri homines hanc partem cognitionis liberalis & necessariæ, quæ est ἀνατομὴ ad perfectionem quandam perduxerunt, ut qui superare iam recentiorum artificum industriã (in quibus eminet VVesalius V. Cla.) conantur, ij non tàm utilis obseruationis aliquid afferre quàm rem quasi pertundere poliendo, et integram doctrinam comminuere uideantur usurpantes diligentiam obscuram & superuacaneam, quæ hoc loco explicari non est necesse.

Ego

Ego quod ad me attinet fidem & diligentiam operæ meæ auditoribus polliceor, quam ut non esse speciosam scio & fateor, ita ijs qui hac usi hactenus sunt, profuisse, et siqui deinceps usuri sunt, non inutilem eam futuram esse, confido.

Esromus Rudingerus
Pabebergersis.

DE PRÆLECTIONE ORATIONVM CICERONIS in Catilinam Studiosis Academiæ VVitebergensis S. D.

SAEpius, auditores, ut homo leuiuscule literis humanioribus tinctus, constitutionem Scholarum, ordinem progressumq; in docendo, præsentis huius temporis, quo omnia degenerant, animo intueor meo, Et profecto, ut quod sentio libere profitear, multa imò pleraq; inuenio à prima illa uetustatis ratione discessisse, nosq; longo interuallo, ueluti per nebulas uestigia maiorum subsequi, Iuuentus enim in primis uitæ annis per artium Theatra longè alio ordine, quã hoc nostro tẽpore, γεωγραφίαν quadã deducta est: Præceptores enim in docendo religionis curam habuerunt maximam, deinde balbutiens titubansq;

discipulã

discipuli os eleganti, tersa ac pura oratine formauerunt, qua reliquarum artium cognitionem assequi & pro dignitate earundem eloqui posset. Hæc uera esse non solum Homeri aut Xenophontis παιδείαι testantur, sed hominis fabrica manifestè idem declamitat. Nam unus est in hominis natura Senatus, qui Ratio dicitur, unum etiam consilium, cuius explicationem sibi Dialectica uendicat. Deinde duo sunt in uestibulo curiæ præcones, qui ea quæ Senatus decreuerit proferunt atq; enunciant, Grammatica uidelicet & Rhetorica. In his primis artibus non tam diu multumq; quam studiosè ac diligenter prima ætas est informata. Verum, auditores, de his alibi disputari potest. Nunc ad me redeo, Cum mihi studia quorundam adolescentium à Præceptoribus alijsq; amicis commendata sint, officij mei religio suo iure efflagitat, ut quæ eis utilia & conuenientia uidero, tractem, Rhetoricæ igitur absolui primum Librum, cuius usus in Oratione Ciceronis pro lege Manilia est demonstratus. Nunc uero cum secundi libri explicationem susceperim utilißimum, putaui eiusdem uerum usum, in Cicerone, quem solum in formanda lingua admiramur & ueneramur Magistrum, ostendere. Cum autem secundus liber circa elocutionem occupatus sit, delegi ex multis alijs Orationem primam in Catilinam, utpote in qua præsentis

sentis doctrinæ usus meridiana luce clarius conspiciatur. Incredibile enim est quàm me singularis in hac oratione elocutio delectet, tanta est in uerbis singulis proprietas, puritas, elegantia: tantus in coniunctis ornatus, tàm uaria figurarum insignia ac lumina, tanta in uoce iucunditas, in actione dignitas, tanta humanarum rerum prudentia, ingenij bona tanta ac tàm multa, ut si forum & Iudices essent in cœlo, à dijs immortalibus mirabilius & diuinius causas agi atq; orari posse non existimem. Rectè igitur Silius Italicus ad Catilinarias orationes alludens de Cicerone cecinit:

Tullius æratas raptabat in agmina turmas
Regia progenies & Tullo sanguis ab alto.
Indole pròh quanta Iuuenis, quantumq; daturus
Ausoniæ populis uentura in secula ciuem
Ille super Gangen super exauditus & Indos
Implebit terras uoce, & furialia bella
Fulmine compescet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Harum autem Orationum in Catilinam priorem die futuro Iouis hora 8. incipiam. Quod ideò significo, ut si qui latinæ elegantiæ studiosi se meis discipulis priuatis adiungere uelint, illud mihi non molestum, sed gratum esse scirent. Filius Dei nostros conatus regat. Nam scriptum est:

Non labor in Domino uester inanis erit. VVitebergæ Anno 1561.

Albertus Lenicerus.

THEOLOGIÆ STVDIOSIS.

QVam hactenus ad explicationem studiorum humanitatis & bonarum artium operam meo loco in Academia nostra contuli, eam deinceps ad tradendam Ecclesiæ doctrinam ut conuertam, et rogatus et iussus sum ab ijs, quibus omnem reuerentiæ cultum & obedientiã subiectißimam debeo. Etsi aũt et conscientia tenuitatis ingenij mei, et dicẽdi facultatis iam longo tempore detrectaui talem prouinciã, et excusationibus ijs usus sum, quas nunc etiam iudico eiusmodi esse, ut satisfacere omnibus debuerint, & confido ita me notum esse omnibus, quibus usus aliquis meum intercedit, ut sciant naturam meam ab arrogantia & ambitione alienam, et discendi magis quàm docendi cupidam esse: nuper tamen, cum à Senatu nostro ad eum modum hoc à me posceretur, ut non iam peti amplius aut postulari res à me uideretur, Sed usurparentur omnino ea quæ ἀναγκας complectuntur, quales esse in potentum precibus Græca sententia docet, condixi tandem operam meam, cum & frustra me reniti intelligerem, et non debere

debere me facere amplius cum ipse iudicarẽ, tum ab alijs fideliter monerer: Præsertim, cũ non tam præcipuorum scriptorũ ex Propheticis & Apostolicis enarrationẽ, quã κατηχήσεως Christianæ ad discipulos inculcationẽ mihi demandari audirem. Ad quæ cum iam accedat illustriß. etiam Principis nostri autoritas, quid faciam aliud non habeo, quàm ut fretus Deo et auditorum humanitate, conatus meos edam in mandato munere capessendo. Incipiam autem hoc, & quidem de sententia Collegij Theologici ab eo libro, quem Præceptor noster cariß. D. Philippus Melanthon, cuius memoriã quibus uerbis celebrem non reperio, ad instructionem scripsit eorum, qui docendi in Ecclesia munus publicũ in se recepturi sunt. Ideoq; titulũ habet Examen Ordinandorum. Hic liber talis est, ut uniuscuiusq; in doctrina Christiana profectum examinare poßit: Et quæ Doctores in Ecclesia docere oportet, ea auditores etiam & discipulos Ecclesiæ discere oportere unusquisq; intelligit. Ita autem in hac opera uersabor, ut non tantum explicare studeam, quæ præscripta sunt. Sed propositis argumentis contrarijs & me & auditorum industriam exercebo in ijs explicandis & refutandis, quæ contra doctrinæ ueritatem proferri possunt, & solent, ut ad disputationum certamina progymnasma hoc sit aliquod iunioribus: Et quantum

in me est, nihil omittam omnium quo necessaria illius libelli doctrina & nota & explicata & familiaris reddatur tam mihi quam auditoribus, et fiat hoc commune examen & mihi & omnibus qui ad ueram Ecclesiæ doctrinam discendam mea opera tali uti uoluerint. Huic libello adiungere iubeor enarrationem Epistolæ Pauli ad Romanos, quæ summa est doctrinæ Apostolicæ et Euangelij Christi uniuersi. Etsi autem hoc maius opus est & operosius, accommodabo tamen hanc quoq; operam ad captum iunioris ætatis: Et una est doctrina Christiana, quæ omni ætati proponitur, neq; aliud adultis aliud pueris in hac traditur, sed doctrinæ modus & administratio ad diuersos diuersa usurpari potest. Cumq; nihil possim aliud, fidem & diligentiam ijs qui me audire uoluerint polliceor. Sic autem permutabimus operas nostras, ut prioribus duobus hebdomados diebus in examine legamus hora quarta pomeridiana, posterioribus Paulo hora nona. Quod igitur sit fœlix ac faustum, & salutare Ecclesiæ filij Dei, huic Academiæ, & mihi, Ad diem perendinum qui est III. Iduum Maij hora quarta pomeridiana incipiam operas nostras, & præfabor quædam, quæ res & locus postulant. Deum oro per Christum, ut det mihi intellectum uerbi sui, & faciat me usq; misericordiæ ac salutare ὄργανον Ecclesiæ suæ, et studia

studia atq; actiones nostras uniuersas dirigat ad gloriam sanctissimi nominis sui, & utilitatem eorum, qui opera mea utendum sibi putauerint, Amen.

Caspar Cruciger L.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor &c.

CVM superioribus diebus nomine illustriss. Principis Iohannis Ducis Holsatiensis hac transiret ad conuentum uicinorum Principum in oppido Iuterbock, clarissimus Vir prudentia & doctrina præstans, Doctor Ioachimus Moller, Consiliarius Ducum Luneburgensium, in comitatu secum duxit equitem Ioannem Borchers natum in ditione Principum Luneburgensium. Tanta autem fuit fides huius equitis, quam & aliquot expeditionibus Vngaricis, & alijs belli Capitaneis probauit, ut D. Ioachimus Moller quoties legationem Principum suorum nomine obiret, neminem sibi magis comitem dari expeteret, quam hunc ipsum, qui manu & uirtute, non immanitate morum præcipuis equitibus respondebat, multos etiam modestia & pietate superabat. Hunc Iohannem Borcherum in uicino oppido Iutreboch pleuritis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000298

vitis corripuit, cuius initia cum eum debiliorem vedderent, D. Ioachimus cogitans morbi huic occurrendum, cum ad fratrem virum doctissimum Magistrum Henricum Mollerum in Academia nostra Hebraicæ linguæ Professorem remisit, qui ægrotum & languentem ad se recepit, & ista media, quæ humano auxilio præstari possunt, adhibuit. Sed ut sæpè fit, interdum docta plus valet arte malum: natura in hoc Iohanne ita fuit debilitata, ut adhibita remedia parum ei prodesse potuerint. Quare viribus deficientibus hesterno die circa horam septimam vespertinam, ubi se ardentibus votis Deo commendasset, ex hac mortali vita emigrauit, Ita continuans iter suum institutũ, sed longè meliori conditione quam unquam ante, ex hospitio terrestri quod nunquam fixum habuit, ad cœleste illud, in quo mansionem à filio Dei ascendente ad cœlos præparatam habiturus est, discessit. In legationibus quibus Doctori Ioachimo nomine Principum à mandato adfuit, ductor fuit & hospitij monstrator, nunc in hac postrema legatione filius Dei ipse eum ex hac statione euocans, in æternum hospitium quod sæpè gemens expectauit, eduxit. Nec dubitamus eum in numero esse eorum, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, cum doctrinam cœlestem didicerit, amauerit, & in inuocatione

catione exercuerit. Funus autem Iohanni fiet, hodie hora quarta, ad quod ut honesti conueniant, pietatis officio mouebuntur. Ethnici singulari honore & reuerentia mortuos sepelierunt, Multo magis decet nos Christianos cum quadam reuerentia ad deductionem funerum accedere propter fidem & spem resurrectionis, ne uideamur extingui & sepeliri sicut equi et muli. Quare eos præsertim, qui nostræ Academiæ coniuncti sunt, adhortor, ut usitatis ceremonijs intersint, & conueniant hora quarta ante ædes clarissimi ac doctissimi uiri M. Henrici Molleri, qui cum publicis studijs inseruiat, decet uos & huic honestissimæ familiæ beneuolentiam in funeris deductione declarare. Præcipuè propter illustriss. Principes Luneburgenses, quic huic cœtui omnia fausta & fœlicia semper optarunt, & suam munificentiam multis in hac ipsa Academia declararunt, ministro ipsorum hoc ultimum pietatis officium præstabimus. Datæ die 17. Maij, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor &c.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000299

Vita fugax hominum est magnorum plena dolorum.

Hanc querelam uerißimam esse plurimorum excellentium hominum testantur exitus ex hac mortali uita, qua nihil fragilius et fugacius quidquam. Quanto enim discrimine primũ prodimus in lucem? Deinde quantis periculis obnoxia infantia? quam fugax adolescentia? quam præceps iuuenta? Eleganter etiam huius uitæ ærumnas & miserias hi uersus describunt:

(θνήσκω

Δακρυχέων γενόμην καὶ δακρύσας ἀπο-
Δάκρυσι δ' εν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον.
Ω γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον ἀσθενὲς
Συρόμενον κατὰ γῆς καὶ διαλυόμενον. (οἰκτρὸν

Id est:

Flens ego sum genitus celebrantur funera fletu
Transacta innumeris uita fuit lacrymis.
O genus humanum lacrymabile triste, caducum
Quod factum ex cinere est, soluitur in cinerẽ.

Prudenter & ille totius uitæ humanæ cursum complexus est, quam si quis penitus introspiciat, nihil in ea, nisi labores & calamitates inueniet, quemadmodum in uulgaribus uersiculis pulcrè dicitur:

Principium uitæ dolor est, dolor exitus ingens
Et medium labor est uiuere quis cupiat?

Verum

Verum hæ querelæ Philosophiæ præcipuæ sunt, quæ intuens præstantißimam hominis naturam & pulcherrimum eius opificium, stat attonita, miraturq; μικροκόσμον illum, ut ab Aristotele apellatur, tantis miserijs, ipsi quoq; morti obnoxium esse. Nos autem qui in doctrina Christiana rectè instituti sumus, & causas calamitatum cognouimus, quæ per genus humanum uagantur, et scimus hanc præstantiam mentis non tantum ad has miserias, & ad hunc tetrum carcerem nasci, sed restare alium portum, in quo bonæ mentes acquiescent & lætabuntur. Et uerißimum est Esaiæ dictum: Omnis caro gramen, & omnis gloria hominis, ut flos est. Suntq; cogitanda hæc cum in uita communi & inuocatione aßidua, tum præcipuè in funerum ceremonijs, præsertim eorum, qui in florente ætate ex hac uita abducuntur, qualis fuit uir honestus & doctus dominus Christianus Beier, cui hodie hora quarta funus fiet. Is cum pridie in inuocatione filij Dei placidè discesserit, non dubitamus eum in numero esse, de quo scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Fuit autem cursus Christiani non solum breuis, sed etiam dißimilimus curriculi patris & soceri, uirorum doctrina, sapientia, uirtute et fœlicitate clarißimorum, quorum nobis pergrata & iucunda est memoria. Pater Christianus Beier Iuris utriusq; Doctor, in

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000300

oppido Franciæ Kleinlanckheim natus, cum & Professor legum in hac Academia multos annos fuisset, & simul Consulis officium aliquot annos in hac ipsa urbe magna cum laude integritatis & virtutis gessisset, postea ab illustrissimis Principib. & Ducibus Saxoniæ, Iohanne, & filio Iohanne Friderico fœlicissimæ memoriæ, uocato in aulam munus Cancellarij commendatum est, ubi negocia præcipua suo consilio & uirtute rexit, & fœliciter gubernauit, ac senex grauis ætate & fœlicitate florens, mortuus est. Alter Socer Stephanus VVilde artis medicæ Doctor, quam & in hac Academia docuit, et postea Cygneæ exercuit, in tanta fuit propter sapientiã, doctrinam, uirtutem, fidem, & in medendo fœlicitatem existimatione, ut multis annis uix alius fuerit in his terris Medicus celebrior, cui uere competebat, & contigerat, quod de medico fideli & perito Homerus inquit: ὁδε ἀνὴρ ἰατρὸς πολλῶν ἀνταξιος ἄλλων. Vixit & ipse annos multos, sui & famam & desiderium apud bonos omnes relinquens. Horum nec fœlicitatem, nec ætatem assecutus filius Christianus, etsi nec ipsi uirtutis & doctrinæ laus defuit: tamen & suis & nobis querelas, quas initio recitauimus solas propemodum relinquit. Cum aũt sint nunc in luctu acerbissimo non solum uidua & miseri eius orphani, sed uniuersa illorum præstan-

præstantium uirorum familia, quam numerosam & honestam reliquerunt, iustissimum est, nos horum orbitate & luctu affici, sicut scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Hortamur igitur studiosos ut ad funus hodie hora quarta ante ædes Christiani Beier circa uallum conueniant, ut singuli suam uitam & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Et ut uota sint ardentiora, intueantur funera iuniorum, qui immatura morte extinguuntur, sicut pulchri flosculi facile decidunt, & sciamus uitam esse opus Dei, sicut dicitur: Ep αὐτῶ ζῶμερ καὶ κινύμεθα καὶ ἔσμερ.

Die 19. Maij. Anno 1561.

STVDIOSIS ACADEMIAE VVITEBERgensis S. D.

NOn dubium est, quin Deus in Ecclesia, quam supra conspectum rationis humanæ diuinitus defendit, tempus promulgatæ legis, in cacumine Synai, & diem missionis Spiritus sancti Ierosolymis factæ, congruere uoluerit, atq; ita

ita Ecclesiæ suæ oculos & capita attollere, ut hæc admiranda Dei opera & ingentia beneficia altius animo considerent, cogitent et gratis mentibus repetant. Quod cum uerissimum sit, decet sanè nos, qui pijs studijs nomina dedimus et in elegantissima doctrinarum cultura uersamur, sumusq; plantulæ pulcherrimè in hortis cœlestibus florentes, ut de his tantis tamq; magnis beneficijs sæpius cogitemus, præcipuè uero his temporibus, quæ nobis anniuersariam memoriam missionis Spiritus sancti proponunt. Cum autem uetus sit Testamentum typus futurarum rerum in nouo, attentè collationem ueteris & nouæ Pentecostes consideremus. In ueteri Pentecoste memoria promulgatæ Legis, quod unum ex summis Dei operibus est, celebratur ac repetitur. Estq; nihil aliud uetus Pentecoste, quam ipsissima Legis imago, quæ uoce Dei, optimi max. cœli terræq; Domini in fastigio montium Synai inter horrenda tonitrua, corruscantia fulgura, & terribilia fulmina, astante infinita hominum multitudine repetitur. Et in illa ipsa Legis Moralis pronunciatione uoluit Deus ostendere quòd sit, et qualis, & hunc populum, à Mose ex Aegypto eductum, esse ueram Ecclesiam, atq; hanc Ecclesiam, mirabiliter liberatam, ei curæ esse, protegi & defendi. Illa autem horrenda, circa Montes Synai, fulmina ac toni-

trua, proprium Legis effectum, ueluti digito, demonstrant. Lex enim suis telis omnium hominum corda conturbat, & fulmina iræ diuinæ, aduersus genus humanum, uibrat, & omnes homines non tectos nuptiali ac regali ueste filij Dei obruit & extinguit. In noua uerò Pentecoste, eadem die quinquagesima, post annos 1542. (ut enim numerantur ab exitu ex Aegypto usq; ad resurrectionem Christi) Spiritus sanctus, specie lucidissimarum flammarum, Ierosolymis in Apostolos effusus est, & impleta est dulcissima Ioëlis concio: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Hæc noua Pentecoste dulcissimam Euangelij imaginem repræsentat. Lex omnium hominum mentes perterrefacit, reos omnes exclamat & occidit, nec ullus hominum fulmina Legis sustinere potest, Euangelium uero est dulcissima, Legis ἐπιείκεια, in cuius placidissimis concionibus, datur nobis Spiritus sanctus, qui nos armat, ut hæc, quantumuis horrenda Legis fulmina, sustinere ac perferre queamus, excutit caliginem & nebulas dispellit, serenissimumq; post audita tonitrua, diem, gratissimam auram spirantem reducit, nouam lucem, consolationem & lætitiam in Deo acquiescentem pectoribus hominum inspirat. Sic lapidea hominum corda, fulminibus iræ diui-

næ ui-

næ uibrata & contusa, Spiritus sanctus sanat, erigit, et consolatur, ut tandem domicilia & tuguriola totius diuinitatis fiant. Hos, inquam, dies uoluit Deus congruere. Cum autem non dubium sit, quin hoc tempore tota cœlestis Academia hoc admirandum Dei beneficium celebret, & nos adiunctos huic Scholæ, utpote à qua omnem nostram doctrinam haurimus, esse deceat, pulcherrimumq; sit ut pes cum cythara concinnè consonet, decreui Deo dante, cras hora sexta, mane, de his summis rebus orationem licet rei dignitati neutiquam parem, in rem meorum auditorum recitare, ut ita mentes nostræ ad ardentiorem tantorum beneficiorum considerationem excusitentur. Ad quam ut mei auditores solito loco conueniant, oro. VVitebergæ die præcedente Pentecosten, quæ est à prima Pentecoste seu à promulgatione legis ter millesima septuagesima, Anno Christi 1561.

Albertus Lenicerus.

DECALOGI PROMVLgatio facta est.

Anno Mundi	2453.
Post Diluuium	797.
A promißione facta Abrahæ	430.

Ab

Ab exitu ex Aegypto die quinquagesima, unde & festum Pentecoste nomen habet. Et eodem die post annos 1543. Spiritus sanctus uisibili specie in Apostolos effusus est. Et uoluit sanè hoc modo Deus tempora consonare.

Ante natum Christum	1509.
A prima Pentecoste Iudæorum ad hunc nostrum annum à nato Christo 1561. præterierunt anni	3070.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

SI quando auras humiles, terramq; perosus
In sublime uolas, adytisq; insistere cœli
Mente iuuat, uoluisq; Deum patefacta supernè,
Aut formam fidei memorans, tres ordine certo
Personas, sed numen idem per uota fateris:
Ecquid ad officium laudis, grateisq; ferendas
Verteris, ut primùm subeunt ingentia summi
Dona Dei, quæ multa pius mortalibus ægris
Nec numero, nec fine ullo largitur ab alto,
Dum uitam informi primus tibi factor & auctor

Intus

Intus agit, penituſq; fouens producit in auras,
Et natum unigenam ſummo demittit Olympo
In terras, ut morte ſua genus omne piaret
Mortale, & cœli faceret ditione potiri, (par
Spiramenq; ſacrum quod utriq; eſt numine com-
Donat habere pijs, & teſtem & pignus amoris,
Et cœli bona, & æternæ commertia uitæ.

Altius hæc, quicunq; uacas in uota preceſq;
Sunt uerſanda animis, patefactaq; numinis alti
Intenta penetrare acie, & luſtrare neceſſe eſt,
Atq; fatigandus genitor prece, quò bona uitæ
Præſidio leuet ipſe auctor rerumq; hominumq;,
Et natum ob medium (ſolum quem propter amore
Proſequitur mortale genus regnator Olympi)
Excipiat miſeros patris indulgentia ſummi,
Et per inacceſſas tenebras, flexusq; uiarum
Oblitos rectiq; boniq;, & falſa ſecutos
Reſtituat, luccmq; iſtam mortalibus ægris
Ignotam accendat, Flatuq; regente ſacrato
Pandat iter uerum dubijs, aurſumq; gubernet,
Et puram affundat deterſis mentibus auram,
Quandoquidem noſter uigor, et uis corruat omnis
Hauſta citò, inaſſumq; abeãt opera atq; labores,
Ni propius celerans greſſum, & ſua numina fir-
Spiritus intus agat, totosq; infuſus in artus (mans
Expediat molem rerum, euentusq; miniſtret.

Nam

Nam cum ſe obijciunt animis diſcrimina noſtris
Multa modis multis, occultusq; imminet hoſtis,
Et nunc hos aditus, nunc illos arte pererrat,
Semper & aduerſis nitens caro pugnat habenis
In ſuperiùs leges, medio tum in turbine rerum
Spiritus adfulget feſsis, atq; irrita frangit
Tentamenta, ſuoq; magis nos robore fulcit
Præſtans tutelam, & rebus ſolatia in arctis.

Ergo agite, et quoniã Chriſto gens dedita paſsim
Hos celebrat de more dies, totumq; per orbem
Iam recolit ueteres patefacti Numinis actus
Legis in exhibitu, miſſuq; uolatilis auræ
Auræ quam genitor ſpirat cum compare nato
Conſortem, æqualem, communẽ ambobus amorem,
Ignem quo Pater & Natus per mutua amantes
Connexi inter ſeſe hærent, ſociaq; tenentur
Mente, nec auelli poſſunt diſcordibus auſis:
Nunc fiant ſua uota Deo, maiorq; precandi
Ardor agat mentes ſtimulis: Non uerba precantis
Vnquã arcet, refugitq; humili de corde profecta.

Quàm bonitas immenſa Dei eſt, quòd in agmine
Illuſtri augurio cœleſti tradita uoce (tanto
Lex fuit, in geminis duro ex adamante tabellis,
Cum populus ſtetit, et ſtupuit, geliduſq; per artus
Horror ijt, totq; hæſit ſub pectore ſanguis.

Et iam ſumma procul fumabant culmina Sinæ
Aduentante Deo, et tremere omnia uiſa repentè
Caſtra Ducis, Syriæq; acies, totusq; moueri
Mons circum, atq; cauis penitus mugire latebris,
Et miſtæ in fumis late uolitare fauillæ.
Intonuêre poli, et nebulæ ſubluſtris amictu
Ignis ijt, telisq; apices afflauit anhelis.
Hinc exaudiri uoces, iræq; Tonantis,
Et ferri ſtridor, fremitusq; immane gementum.
Quandoquidem Deus ille Deus iuſtiſſimus unus
Scire cupit gentes qualis ſit et ipſe, quibusq;
Cultibus, et quanto cumulari malit honore,
Nosq; ideò eſſe ſatos ut legis ad inſtar agamus.
Quin medius dedit ipſe manu cœleſtia Legis
Iura Dei natus, populumq; affatus euntem eſt:
Nam datus in mediũ eſt inter patremq; hominesq;
Vt per eum noſtris animis collapſa uiciſſim
Reſtituantur, et exactè ſua debita legi
Soluantur, noſtræq; uices præſtentur ab illo.
O largis fœcunda bonis ſapientia legis
Quam talis pompa eſt Sinai ſub monte ſecuta,
Nec ſolis patefacta uiris de ſemine Iudæ,
Sed genti humanæ magnũ que ſparſa per orbem,
Et natis natorum, et qui naſcuntur ab illis.

(centum

Sit procul ergo furor Cyclopum, et uana do-
Aſpera qui de lege Dei ſunt uerba locuti,

Aut

Aut illam ad furcas, Moſenq; ad tigna relegant.
Ne mihi ne incauto talis furor excidat, ut te
O hominum cuſtos generis, diuumq; uoluntas
Aeterna, immota atq; animis lux inſita noſtris,
Sub pedibuſue premã, nulloue in honore reponã.
Quare animis uerſate æquis, & diſcite prompti
Quid lex illa Dei, quid legis poſtulet uſus:
Dehinc Chriſtum prendente fide ſupponite cordi,
Deq; ſacro intenti doctrinam adiungite flatu
Sectantes meliora, Deumq; expoſcite uotis:
Deſuper effundat dono ſeptemplice flatum
Qui quondam in linguis, auraq;, igniq; coruſco
Emicuit, ſoluitq; ſono uariantia labra,
Vt mentem illuſtret radijs, & ſomite anhelo
Omnibus inuitat, diuinum in pectora amorem,
Neu uerbum extingui ſinat hoc in turbine rerum,
Cæca hominum mens eſt, uerbi niſi luce regatur.

Sed quia non aliter niſi ſparſo in munere uerbi
Spiritus ille datur, cum credula corda piorum
Suppoſuêre animis uerbum, intentiq; laborant:
Quisq; miniſterij gratum declaret amorem,
Et cuncti uenerati animis, quæ copia cuiq; eſt,
Dona ferant, onerentq; aras, & debita ſoluant.

In Pentecoſte Anno 1561. Anno à prima Pentecoſte 3070.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000305

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor omnibus Lecturis S. D.

SAEpè in hac Schola repetita sunt, & hoc ipso in loco proposita, præcepta & mandata nostra, de modestia & de uirtutum omnium officijs, de quibus quoties cogitamus, non possunt non uenire in mentem nobis plurima, quæ uehementer animos nostros commouent, ut & deploremus huius delyræ senectæ mundi insaniam multiplicem & uehementer miremur præsentis seculi stuporem, quod non nostræ tantum de modestia consiones, sed etiam seuerissimæ comminationes diuinæ, & pœnæ tristissimæ, quæ in conspectu sunt, nec audiuntur, nec admittuntur à miseris & uerè stolidis ac stupidis hominibus, Ac prorsus in sententiam hanc adducimur, ut, quod in ægrotantibus medici pro letali signo habent, quando nec sentit ægrotans morbi sæuitiam ac periculum, nec interrogatus dicere potest, qua in parte doleat, idem iudicemus de totis cœtibus, quando calamitates publicæ non sentiuntur, aut metuuntur amplius, certum esse, uel finem seculorũ uniuersalem non procul abesse, uel impendere pœnas fatales eiusmodi, quæ

quæ euersionem & interitum extremum, non nobis tantum sed Germaniæ uniuersæ, & regnis cæteris minantur. Et nisi cum hac consolatione, quod promisit filius Dei, se seruaturum esse Ecclesiam usq; ad finem mundi, tum conscientia optimæ uoluntatis, & studij, et gemituum nostrorum, erigeremur, dolore nos extingui necesse esset. Nam et Deum inspectorẽ cordium ac iudicem horum, imò hos ipsos parietes, si loqui possent, testimonium nobis daturos esse non dubitamus, quanta cura ac sollicitudine, quam paternè ac amanter, & quoties uos obtestati simus propter gloriam Dei, propter Ecclesiam, & uestram salutem, ut modestia & honesta morum gubernatione lenire iram Dei et auertere pœnas impendentes studeretis.

Sed quanta multorum sit ferocia ἀναλγησία & ἀναισθησία, imò etiam immanitas, proh dolor, res ostendit. His igitur quid faciamus aliud, quam ut Aphorismum medicum cogitemus ὁκόσοι πονέουτες ζ τῦ σώματος, τὰ πόλλα τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τετέοισι ἡ γνώμη νοσέει.

Simul tamen, cum & officij nostri memores nos esse oporteat, in quod collocati sumus diuinitus, clamare, monere, & obtestari uos non desinemus, Cumq; officinæ sint uirtutum & omnium honestorum officiorum Scholæ & Academiæ pu-

 blicæ,

blicæ, cogitare tandem et constituere nos de rebus ijs aliquanto seuerius oportuit, quæ ad officia uirtutis & modestiæ, & ad tuendam tranquillitatem ac pacem publicam huius Academiæ & urbis attinere uisa sunt.

Significamus igitur decreto Senatus Academiæ repetita & denuo sancita esse statuta uetera illustrissimorũ Principum Electorum, Ducum Saxoniæ, de gestationibus armorum, & de nocturnis ac seditiosis discursationibus, & prouocationibus publicorum Vigilum. Itaq; seuerè & sub pœna grauissima, quam Academia nostra irrogare potest, prohibemus, ne quis in posterum nocturno tempore cum armis in platea publica ageretur, aut in publicos uigiles, uel quenq; alium impetum faciat. Cumq; recens sit & inusitata quorundam immanitas, interdiu & noctu uagari Bombardis armatos, & in ciuitate tranquilla & pacata, globos emittere, usum ac gestationem Bombardarum in uniuersum interdictum esse nobis denuncianus, ac simul pœnam, quam habemus summam proponimus. Nam qui post hoc edictum interdiu cum Bombarda deprehensus fuerit, ipso facto se relegatum esse sciat: Qui uerò globum in urbe, interdiu uel noctu emiserit, aut lapidum iactu curiam oppugnauerit, prorsus à societate nostra facto ipso excludetur, & infamia publica notabitur, Et si qui contumaciter contemnere hoc decretum nostrum conabuntur, sciant illustriss. Principem Electorem, alia ratione & uindicta seueriore aduersus tales, usurum esse.

Nunc etiam eum, qui globum noctu emisit in uigiles, hærere in pœna significamus.

Ac ne quam propter uigilum iniustitiam & immodestiam querimoniæ causam scholastici in posterum habeant, significamus senatum urbis in hos qui deliquerunt, seuerè animaduersurum esse. Et custodiam publicæ tranquillitatis, alijs honestis & iustis ciuibus hesterno uespere commendatam esse, Quos ne lacessant aut iniuria quacunq; adficiant scholastici, seuerè mandamus. Et meminerint pij adolescentes grauissimi præcepti & comminationis diuinæ, Quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibi ipsis Iudicium seu pœnam accipient & accersent. Item, Magistratus Dei minister est ulcor ad iram, ei, qui, quod malum est, fecerit. Quare oportet esse subditos, non solum propter iram, uerum etiam propter conscientiam.

Et ne sint in posterum occasiones discursationum aut tumultuum nocturnorũ, simul hoc quoq; scholasticos scire uolumus, serio inter nos et senatũ urbis conuenisse, ut mandetur ciuibus et ijs uniuersis apud quos scholastici uiuunt, ne in posterum

tempore æstatis post horam decimam, aut in hyeme post horam nonam, compotationes aliq; concedant aut ædes patulas permittant.

Præcipimus igitur Scholasticis nostris seriò & seuerè, ne ultra hoc tempus compotationes nocturnas producant, neue aliquam hospiti aut ciui post horam decimam noctu molesti sint. Cum enim decreuerit Senatus seuerissimè in ciues hos animaduertere, qui decretũ hoc uiolabunt, uolumus, uos quoq; parcere ciuibus, ne his quocunq; modo causam damni uel periculi efficacem præbeatis, Nec nos officio nostro deerimus in puniendis, iuxta statuta, his, quos delinquere hac in parte deprehendemus.

Ac ut illustrissimorum Principum Electorum, huius Academiæ fundatorum uoluntas uobis nota sit, uerba statutorum ueterum, quibus olim idem decretum est, recitabimus. Verba statutorum hæc sunt.

Deferens arma, globos, uel alia iactilia, ad annum relegetur. Et coram tali nemo legat, imò nullus aut Doctor aut Magister, talem sustentet sub pœna præstiti iuramenti.

Turbans domum noctu uel auxilium dans, ipso facto periurus sit, & perpetuo exclusus.

Noctu post campanam, sine lumine et necessaria causa nemo uagetur in plateis aut clamet, sub pœna relegationis unius anni. Nemo

Nemo ingrediatur tabernam uinariam, aut alias quascunq; habentes signa extensa, potandi gratia, sub pœna quinq; grossorum.

Nemo ingrediatur hortos alienos, nec damnum inferat aliqui eo inuito, semper sub pœna exclusionis ipso facto, Et nihilominus resarciat damna.

IRrepsit & consuetudo alia, prorsus Barbaria, quod ad sacra nuptialia multi adcurrunt non inuitati, & in choreis, quæ honestis matronis & uirginibus, ueteri honestissima consuetudine conceduntur, tumultuari Cyclopica immanitate non uerentur. Hac in re cum multiplex sit turpitudo & Barbaries, prorsus non conueniens Scholasticis, hortamur eos & seuerè præcipimus, ut hac quoq; in parte modesti et iusti esse studeant. Cogitent sacra nuptialia honestos et pios congressus esse institutos inuocationis & communium precum causa, quas cum sacros nominarit uetustas, considerent causas cur ita uocentur, & quid in his agant pij & sapientes.

Multa sunt admiranda sapientiæ & bonitatis diuinæ testimonia in ordine coniugali: Quid mirabilius est συζυγίας: quibus non solum ut ducibus, impelluntur & incitantur, ad amorem mutuum coniuges, sed tanquam uinculis arctissimis colligantur & copulantur erga sese, & erga mise-

ram ſobolem? Quã admiranda eſt propagatio et partus hominis, ubi innumera præſentiæ diuinæ teſtimonia conſpiciuntur? ſicut & Paulus de coniugio inquit, Myſterium hoc magnum eſt.

Oſtendit igitur coniugium Deum eius autorem & conſeruatorem, uelle, ut pro conditione, propagatione, defenſione & conſeruatione generis humani, gratiæ ſibi agantur. Cumq; hoc modo caſtitatem exerceri, & uirtutis huius cogitatione agnoſci et diſcerni uelit à ſpiritibus immundis, et ſpurcis Diabolis, hoſtibus ſuis, teſtatur hoc quoq; uelle Deum à ſe peti, ut uiuere caſte ſinguli & omnes poßimus, Et ut piæ œconomiæ, quæ ſunt Eccleſiæ & politiarum ſeminaria, ab ipſo ſeruentur, & protegantur.

Propter has tantas res, cum in nuptijs præcipuè conueniant ſapientes & pij, & ſint ſine ulla dubitatione præſentes, Deus ipſe & caſti Angeli, Reuereantur inuitati & cæteri omnes, in conuiuio & choreis, præſentem Deum, caſtos Angelos, Reuerendos ſenes, honeſtas matronas, & Virgines, Reuereantur oculos & iudicia peregrinorum hoſpitum, & turpe ſibi ducant, quenquam exhis, quaacunq; deformitate & barbarie offendere.

Non ſint in conuiuijs nuptialibus, quæ honeſtæ lætitiæ cauſa inſtituuntur, Barbaricæ uociferationes, helluationes, aut pugnæ, quales de centaurorum & Lapitharum epulis narrantur, Et ueteris dicti meminerint, quod olim in conuiuijs uſurpatum eſt, Primus hauſtus ſitis eſt, Secundus lætitiæ, Tertius contumeliæ, Quartus furoris.

Talis ſeu contumelia ſeu furor ab his conuiuijs ſacris ut abſit, propter præſentem Deum & caſtos Angelos, helluationes Barbaricas cauendi inuitati.

Meminerint & dicti Pauli, Nolite impleri uino in quo eſt ἀσωτία.

In choreis et ſaltationibus præcipuè luceat modeſtia, & hoc quod dicitur τὸ πρέπον in ſermone in inceſſu, in ſaltu & in ducendis choreis.

Cogitent & olim à Maioribus noſtris, et nunc à bonis ac ſapientibus ſingularem cum reuerentiam, tum honorem habitum honeſtis matronis & Virginibus. Itaq; indigniſſimum eſſe cenſeant, aliqua has contumelia adficere.

Audimus autem querelas de multorum hac in parte enormi & turpi immodeſtia, quod in ducendis choreis & ſexum ſæpe contumelia adficere circumgyrationibus & torturis uiolentis, & turbata harmonia modeſtæ ſaltationis, dimicare inter ſe & uerbis & uerberibus multi ſoleant.

Quare & has circumgyrationes & perturbationes ordinum in choreis, ſeuerè prohibemus.

Et ſi, qui accuſabuntur propter tumultus, eo in loco qui ſacer eſt, excitatos, grauiter in eos animaduertemus.

Seruent ſaltaturi ordinem à Paranymphis diſtributum, ſeruent harmoniam honeſtæ & modeſtæ ſaltationis. Pudeat bonos & uirtutis amantes adcurrere ad ſacra nuptialia, aut ad choreas, non inuitatos.

Si qui autem ſpectatores horum ſacrorum eſſe uoluerint, ſint quieti & modeſti. Deniq; cogitent inuitati & cæteri omnes, ſui officij eſſe, ut ſacro huic, ad quod uocati ſunt, aut ſpectatum accedunt, ornamento ſint, non dedecori. Et ut Pauli regula ſeruetur, quam Corinthijs tradit: Siue editis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite, & ne ſitis ſcandalo Eccleſiæ Dei.

In his decretis noſtris omnibus, quæ & iuſta & paterna ſunt, etſi ſperamus ſua ſponte obtemperaturos nobis bonos & intelligentes, tamen ut fieri ſolet, ſunt in hoc cœtu noſtro uomicæ aliquæ & fulicæ inquietæ ac turbulentæ, quorum cauſa ſeueritate maiore opus eſt, quam qualem hactenus exercuimus.

ITaq; bonos, qui ſerio ſtudio diſcendi flagrant, & tranquillitatis amantes & ſtudioſi ſunt, hortamur & obteſtamur, ut cogitatione triſtiſſi-

tritiſſimarum pœnarum, quæ impendent, flectant animos ad modeſtiam et ſeriam inuocationem, quæ profecto eſſe nulla poteſt in hac tàm immani & Barbarica multorum turpitudine, ſtupore & ἀγαλγησίᾳ.

Cogitent quam triſtia ſint in Eccleſia diſſidia docentium, quam aſtutæ & crudeles pontificij regni & concilij, quod ad opprimendos nos recens indictum et coactum eſt, machinationes ſint, quam terribilia latronum Turcicorum & Moſchicorum bella, uaſtitatem Germaniæ minitentur, Sunt enim recens huc allatæ literæ ex Vngaria, in quibus narratur, Turcos aliquot hominum millia iam abduxiſſe, & bellum aliud terribilius uicinæ Auſtriæ & ſedi Imperatoris Viennæ minitari. Quam uerò triſtis ſit rerum ſtatus in Liuonia, quam horrendæ inauditæ crudelitatis exempla à Moſchicis latronibus iſtic edantur, nemo intelligens ſine gemitu cogitare poteſt.

Hæ pœnæ ne nos quoq; opprimant, aſſiduis & ardentibus uotis à Deo petamus, & ut fieri inuocatio poſſit, modeſtiam, temperantiam & reliqua pietatis, uirtutis, & humanitatis officia colamus & exerceamus.

Si qui autem inquieti & turbulenti ſicarij, gloriosum putant noctu uagari, & tumultuari in plateis armatos, hi ſe alienos eſſe à cœtu noſtro ſciant.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000310

ſciant. Et ſi ſunt eo animorum robore ac magnanimitate, quam ferocientes in ſchola bene conſtitutam & expetentę tranquillitatem, præ ſe ferunt, Præſtent hoc beneficium patriæ, et in reprimendis hoſtibus nominis Chriſtiani Turcis uel Moſchouis ſpecimen ſuæ fortitudinis oſtendant. Parcant autem nunc miſeris & ærumnoſis ſenibus, puerperis, pueris, & ægrotantib. quos tumultuantes non ſolum perturbant, aut terrent, ſed mœſticia occidunt & enecant. Parcant Eccleſiæ & Academiæ, quæ propter petulantiam effrenis et ſtultæ iuuentutis, male audit, & à maleuolis Sycophantis hoſtibus noſtris paſſim & publicè calumnijs ueris traducitur. Et ſi non horum cogitationę, & uitæ etiam ſuæ periculo mouentur, ut tranquillius uiuant, ſaltem metuant piorum parentum, aut cognatorum dolores, quorum cum parricidæ fiant, his ipſis ſuis furoribus, manes eorum ultores ac uindices ſequi ordine diuino & immutabili non dubitent. His quoq; ſi non mouentur, metuant tamen periculis inuoluere ſua petulantia & ferocia alios innocentes, qui cum pœnæ publicæ attrahuntur, ipſos ut ἀλάſτορας et καθάρματα execrãtur, Deniq; ſi qua pietatis aut humanitatis in his ſcintilla eſt, ne terram ſanguine humano polluant, ne triumphos Diabolis faciant, quos læti in contumeliam Dei agunt, cum perfecerunt cædes, aut parri-

parricidia talia, quæ ſequi in mœſtis parentibus certiſſimum eſt, ne filium Dei, ne Spiritum eius ſanctum mœſtum ac contriſtatum, ne Angelos comites horum, ex cœtu noſtro furenter expellant, Ne ſatellitia Diabolorum attrahant, quos uagari cum nocturnis illis diſcurſatoribus, & ardentes odio filij Dei, & nactos idonea organa, tetriora alia moliri, ac texere ex initijs talibus non dubium eſt.

Sed oramus filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut hanc Scholam & Eccleſiam regat, ſeruet, & protegat, & depellat à nobis Diabolos, & omnia eorum organa, nec ſinat in his regionibus fieri Barbaricam & Cyclopiam uaſtitatem. Datæ 1. die Iulij, Anno 1561.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, EVSEBIVS Menius, artium liberalium Magiſter & Profeſſor publicus in Academia VVitebergenſi.

VT quondã teneris ouium qui fœtibus auctus
Quos mater ſilice in nuda connixa reliquit,
Cum primùm è longo per luſtra uirentia paſtor
Balatum accepit, feruens tum accurrit, et agnum

Ipſe

Ipſe humeris ſubit, aut gremio mirabile uiſu
Inſertat de more, & campis geſtat apertis:
Sic pater ille Deûm tàm cæco in turbine rerum
Fatalesq; inter pœnas, regumq; ruinas.
Præcipites, dum penè ſalus abſumta, neq; uſquam
Apparet ſpes ulla, tamen ſua ſacra profeſſos,
Diſcentumq; gregem ceruici imponit, & ulnis
Geſtat ouans, ſanctaq; fouet præcordia flamma,
Ne qua inter cœptas operas in numine Chriſti
Hoſtilis rabies abſumat, & agmina turbet.
Et niſi uis ſuperûm obſiſtat crudelibus auſis,
Dum monet hinc Getes illinc Moſcouia bellum,
Conciliumq; parat Romanus cogere Aſylas,
Et toties ſancto fallentes, nomine fratrum
Iniuſtam intendunt litem mira arte Sophiſtæ:
Quippe ferant rapidi ſecũ, ſpargantq; per auras
Exiguum, imbecillem cœtum, qui Chriſte ſequuntur
Signa tua, & uerbum uerſi ad meliora fatentur.
Et tamen hic paruus contra magna omnia mundi
Obnixus ſtetit, atq; extrema per omnia uitam
Duxit, eo ducente polum qui regnat & orbem.

Aſpice qualis erat, quamq; illo ignobilis æuo,
Cum pater intactæ conceptum uirginis aluo
Promiſſum exhibuit natum, qui morte referret
Res hominũ in melius quas olim amiſerat Adam.
Pauci quippe boni ſancta in ſtatione manebant,
Cum conſorte thori templi qui munus obibat

Sachariæ

Sachariæ æui maturus, et innuba mater,
Creditus et uulgò conſors, atq; Anna futuri
Conſcia, paſtoresq; alij, et ſine nomine uulgus:
Cum Galilæa premens Herodes arua teneret
Interea, Solymaq; ſederet in urde Pilatus,
Pontificumq; cohors ſub relligionis auitæ
Prætextu tunc iura darent, cultusq; ſacrorum
Iactarent ſoli, et ſoli ditione tenerent
Templa, domosq; Dei: nec longũ tempus, et ipſum
Sachariam, quia uoce palam de uirgine natum
Ipſe fatebatur regem autoremq; ſalutis,
Clàm ferro incautũ ſuperant, truncantq; per aras.
Quid memorem, Solymam cum cœlica iuſſa per (oram
Vulgaret fama, Nili dux ecce ſuperbo
Imperio, & ſæuis Lamyrus circumdatus armis
Fortè pedem bello referens, Galilæa per arua
Signa tulit, latosq; obſedit milite campos,
Et ter dena uirûm demiſit millia letho
Per fora, perq; uias, prohibet nec ſaxeus hoſtes
Agger murorum, ſed inundant ſanguine foſſæ.
Mortua quin etiam præbebat corpora uiuis
Tormenti genus, et captos conuertere morſus
In conſanguineos penuria adegit edendi,
Cum ſecti in partes ſanie, taboq; fluebant:
Carceribus clauſos longa ſic morte necabat.
Nec ſatis hoc, ne quid tanto in diſcrimine abeſſet,
Herodes Syriijs exhauſit ciuibus urbes

Ipſe humeris ſubit, aut gremio mirabile uiſu
Inſertat de more, & campis geſtat apertis:
Sic pater ille Deûm tàm cæco in turbine rerum
Fatalesq; inter pœnas, regumq; ruinas.
Præcipites, dum penè ſalus abſumta, neq; uſquam
Apparet ſpes ulla, tamen ſua ſacra profeſſos,
Diſcentumq; gregem ceruici imponit, & ulnis
Geſtat ouans, ſanctaq; fouet præcordia flamma,
Ne qua inter cœptas operas in numine Chriſti
Hoſtilis rabies abſumat, & agmina turbet.
Et niſi uis ſuperûm obſiſtat crudelibus auſis,
Dum monet hinc Getes, illinc Moſcouia bellum,
Conciliumq; parat Romanus cogere Aſylas,
Et toties ſancto fallentes, nomine fratrum
Iniuſtam intendunt litem mira arte Sophiſtæ:
Quippe ferant rapidi ſecũ, ſpargantq; per auras
Exiguum, imbellem cœtum, qui Chriſte ſequuntur
Signa tua, & uerbum uerſi ad meliora fatentur.
Et tamen hic paruus contra magna omnia mundi
Obnixus ſtetit, atq; extrema per omnia uitam
Duxit, eo ducente polum qui regnat & orbem.

Aſpice qualis erat, quamq; illo ignobilis æuo,
Cum pater intactæ conceptum uirginis aluo
Promiſſum exhibuit natum, qui morte referret
Res hominũ in melius quas olim amiſerat Adam.
Pauci quippe boni ſancta in ſtatione manebant,
Cum conſorte thori templi qui munus obibat

Sachae

Sacharias æui maturus, et innuba mater,
Creditus et uulgò conſors, atq; Anna futuri
Conſcia, paſtoresq; alij, et ſine nomine uulgus:
Cum Galilæa premens Herodes arua tenebat
Interea, Solymaq; ſederet in urde Pilatus,
Pontificumq; cohors ſub relligionis auitæ
Prætextu tunc iura darent, cultusq; ſacrorum
Iactarent ſoli, et ſoli ditione tenerent
Templa, domosq; Dei: nec longũ tempus, et ipſum
Sachariam, quia uoce palam de uirgine natum
Ipſe fatebatur regem autoremq; ſalutis,
Clàm ferro incautũ ſuperant, truncantq; per aras.
Quid memorem, Solymam cum cœlica iuſſa per (oram
Vulgaret fama, Nili dux ecce ſuperbo
Imperio, & ſæuis Lamyrus circumdatus armis
Fortè pedem bello referens, Galilæa per arua
Signa tulit, latosq; obſedit milite campos,
Et ter dena uirûm demiſit millia letho
Per fora, perq; uias, prohibet nec ſaxeus hoſtes
Agger murorum, ſed inundant ſanguine foſſæ.
Mortua quin etiam præbebat corpora uiuis
Tormenti genus, et captos conuertere morſus
In conſanguineos penuria adegit edendi,
Cum ſecti in partes ſanie, taboq; fluebant:
Carceribus clauſos longa ſic morte necabat.
Nec ſatis hoc, ne quid tanto in diſcrimine abeſſet,
Herodes Syriijs exhauſit ciuibus urbes

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000313

In ſua crudeli conuerſus uiſcera dextra.
Hinc Parthus premit, & Solymam circumſonat
Et gens illa quidem ſæuis aſſueta rapinis: (armis
Hinc Syrus, atq; niger ſeptemplicis accola Nili
Prædam exercebant ferro, cædemq; parabant.
Sæpè puer cæros fratres, iuxtaq; parentes
Alterum in alterius mactatos ſanguine uidit.
Sæpè ferox miles natos ante ora parentum
Perculit, effractoq; infecit tela cerebro.
Hos inter motus, atq; hæc diſcrimina rerum,
Abiades uates cum ſtirpe, & gente propinqua,
Et quicunq; fidem promiſſo in ſemine habebant
Seruati à furijs regum, euaſere ruinis,
Et pacem orabant ſuperos, finemq; malorum.
Nunc ô nunc dubijs etiam ne defice rebus
Nate Dei, atq; aliquos ſerua tua ritè profeſſos
Verba, uiamq; doce quò te non more nefando,
Non pecudum fibris, ſed mente, fideq; colamus.
Tempore in hoc qui nos caſus, qui bella ſequantur
Chriſte uides, ſine relliquias ſupereſſe, nec omnia
Euerti penitus doctrinæ ſemina puræ
Cum quibus æternum terris tibi colligis agmen,
Cui mentis bona ſumma tuæ largiris Olympo,
Et tecum hæredem regni facis eſſe paterni.
At prohibes, noſtras ne turpis inertia mentes
Officij immemores frangat, ſoluatq; ueterno,
Et tua uis noſtris penitus ſeſe ingerit auſis

Cum

Cum iuſſum exequimur uigili in ſtatione laborem
Pro ſe quisq; uiri, ſtudijsq; operamur honeſtis.
Hinc ea ſola animis ſpes & fiducia feſſis,
Nec quæ circumſtat denſiſſima turba malorum
Abſterret, præſente fide labor omnia uincit.
Vtq; propagari totum doctrina per orbem
Poſſit, & inſtitui mentes in munere uerbi,
Linguarumq; modis, uerbi quarum indiget uſus:
Nunc ad cenſuram ſolito de more uocamus,
Artis & ingenij ſpecimen qui ferre parati
Eſtis, & à ſtudijs aliquam deducere laudem.
Quicquid in arte mea poſſum promittere curæ,
Omne meum ſtudium ueſtrum eſt, abſiſtite tantum
Officio indubitare meo: ſic Spiritus adſit
Cœlicus, & noſtras confirmet numine mentes
Vt noſter tibi Chriſte labor, tibi ſeruiat uni.

In die Viſitationis Mariæ
Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor &c.

CHriſtianorum hæc unica ſapientia eſt, τὸ γνῶναι αὐτὸν τὸν χριστὸν καὶ τὴν δύνα

δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ, καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ. Vt ſcribit Apoſtolus. Quæ cum in omni uita omnibuſq; locis & temporibus commentanda ſunt, tum præcipuè cum in funera prodimus, ut cogitatione reſurrectionis in uitam à morte confirmemus animos noſtros, & in conſideratione conditionis communis, & dolore priuati luctus hos erigamus. Ita enim hoc officium per ſe triſte, ijs qui ad talem modum præſtant atq; uſurpant utile fit uel potius ſalutare, & conſolatione firma & certa complet animos, Nam pietatis & humanitatis laudem quod hoc complectatur, etiam ij ſciunt, qui nullo reſpectu pietatis aut officij atq; decori funera deductione ſua perſequuntur. His & ſimilibus de cauſis, quas ſua unicuiq; pietas & humanitas ſubijcit atq; explicet, par eſt omnes noſtros minimè ad talia officia grauatim conuenire. Mortuus eſt autem heri ueſperi optimus & honeſtiſſimus iuuenis Iacobus VVeisbrot Aſcanienſis, cuius pater Andreas propter pietatem, ſapientiam & eruditionem ſuam præfectus eſt ibi gubernationi Ciuili, & Conſul eſt patriæ ſuæ. Huius igitur uiri filius in flore ætatis & curſu ſtudiorum ſuorum concidit, natus ætatis annum egit uigeſimum primum, & ſtudio Iuris ciuilis iam magna cum ſpe & expectatione omnium operam dare inceperat, ſed hoc anno ſuæ ipſius

ipſius Climacterico, cũ iam biennium in Academia noſtra uixiſſet placidè & quietè, atq; ita omnino ut mores ipſius bonis ac ſtudia omnibus doctis uiris probarentur, febri continua corripi cœpit, quæ uirtus uitæ quaſi conflagrauit. Ita autem mortuus eſt, & ſic ex hac uita migrauit, ut non eſſet ei in alteram beatam & immortalem obſcurus tranſitus, nam & hoc egit, ut doctrinam Euangelij et cognitionem uirtutis retineret, & fidem in filium Dei tueretur, & precibus eum ardentibus inuocaret, commendans Spiritum ſuum ſecundum Propheticam formulam, in manus Domini uſq; ad extremum halitum, & in pietatis ſtudio accinere etiam aliquid carminis ſacri moriens conatus eſt. Huic igitur ſcholaſtico noſtro funus fiet hodie hora 4. quod ut deducere et exequias huius frequentare uelint noſtros uniuerſos hortamur, ita enim et quod maximè nos decet, præſtabimus, & de memoria mortui & de propinquitate huius uniuerſa quam habet honeſtiſſimam, bene merebimur. Conuenietis autem hora indicata ad datum ſignum propè ædes doctiſſimi uiri Collegæ noſtri Magiſtri Sebaſtiani Theodori VVinshemij, & cum comites funeris eritis, quales eſſe decet, tum ſuam communemq; ſalutem omnium quisq; æterno Deo commendabit, cum & plurima ſigna ante oculos ſint maximarum calamitatum, et ingentium periculorum metus cauſæ

manifestæ, quæ ut auertantur, oremus unicum æternum Patrem Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui cum Spiritu sancto est unus, solus, uerus, sanctus, fortis, immortalis, iustus, clementiß. Deus & protector atq; defensor Ecclesiæ Filij sui unicus & certißimus. pp. III. Idum Iunij, Anno 1561.

STVDIOSIS ACA-
DEMIAE VVITEBERGENSIS DE
prælectione secundi libri Rhetoricæ Philippi Melanthonis.

ANtonius apud Ciceronem, sapientißimum & eloquentißimum Oratorem, quem non hominem ex homine genitum, sed Deum quendã è cœlo in terras delapsum admiremur, utilißimum fore censet, si subinde mentem reijciamus, ad id, de quo dicturi sumus, intentam futurum esse, ut & causæ satisfaciamus, & nihil quod uel obsit illi, uel certe non prosit adferamus. Grauis hæc est Antonij admonitio, in quam & nos in hoc studiorum nostrorum cursu oculos tanquam nautæ in clarißimos Septentriones conijciamus. Tractauimus igitur superioribus mensibus mediocri, ut spero, diligentia primi libri Rhe-

toricæ præcepta, eaq;, ut artis usus, sine quo præcepta mutila sunt, clarius conspiceretur, orationis Ciceronis pro Lege Manilia enarratione illustrauimus. Totus autem iste liber in duabus prioribus artis dicendi partibus, Inuentione nimirum, & Dispositione consumptus est. Restant igitur aliæ adhuc partes tres explicandæ, inter quas principem locum suo quodam iure sibi uendicat Elocutio, quæ sola illustre inter Dialecticam & Rhetoricam discrimen constituit. Dilucide enim, perspicue ac ornate res ipsas efferendas esse monet, ac tum uerborum tum sententiarum lumina commonstrat, figuras, Tropos, schemata, quæ omnia phaleras ac gratiam orationi addunt, explicat.

Hæc tota doctrina quam sit utilis ad omnium autorum tàm prophanorum quam sacrorum enarrationem nulli dubium est. Ne igitur Rhetoricæ præcepta, tanquam uita & spiritu carentia, eaq; mutila relinquamus, animum reuocantes oculosq; in Titulum propositæ rei conijcientes, explicationem secundi Libri, cum hoc aliqui Auditorum efflagitarint, adijcere, Deo uitaq; comite, decreuimus. Vt enim Venus, cuius caput & summa pectoris ab Apelle politißima arte perfecta fuerunt, multo haud dubiè fuisset admirabilior, si manus etiam & pedes ac cætera membra

omnia pari elaborata artificio acceſsiſſent. Sic hæc noſtra quoq; ars multo præſtabilior erit, ſi non dimidiatam duntaxat, ſed et reliquarum partium explicationem accommodauerimus. Quare ſecundi libri Rhetoricæ enarrationem futuro die Mercurij hora 12. aggrediar, & quid Studioſis ex hac lectione expectandum ſit, quoue ordine ego in inſtituto pergere uelim, prima lectione, Deo dante, perſpicue dicetur. Hoc ideo publice ſignifico, ut, ſi qui ſe meis auditoribus adiungere uelint, operam, diligentiam ac ſtudiũ meũ omne ſibi conſtare cognoſcerent. Cùm autem grauiſsimè in Platonis Phædro Socrates pronunciet, hoc oratorium munus ſuſcipiendum, & linguam atq; eloquentiam excolendam eſſe uiro ſapienti, non ut ſermone & actione hominibus gratificetur, aut quadam luxurie, maieſtate & pompa orationis auditorum animos demulceat, ſed ut Deo grata & hominibus ſalutaria dicere ac facere pro omnibus uiribus poſsit, ego toto pectore Filium Dei λόγον & primum in Paradyſo oratorem precor, ut mentes & linguas noſtras ad perpetuam nominis ſui laudem & Eccleſiæ aliorumq; ſalutem regat ac gubernet. VVitebergæ die 22. Iunij, Anno 1561.

Albertus Lenicerus.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor &c.

O Miſeras hominum mentes, ô pectora cæca,
Qualib. in tenebris uitæ, quãtisq; periclis
Degitur hoc eui, quodcunq; eſt.

Inquit uetus Poëta humanæ uitæ ſortem & miſerias deplorans, Sed iam maxima pars hominum & præſertim iuuentus de ſuis periculis & communibus miſerijs admonita, Deum & homines contemnens, & Deo tonanti & minanti quaſi oppediens furioſa & ipſa in ſuum interitum ruit, & alijs pœnas communes accerſit, & quanquam quidam ut latro ad ſiniſtram Chriſti, in cruce & pœnis iam hæreant: tamen ἀπηλγηκότες ſua mala nõ ſentiunt, ſed in his rident et ludunt. Iam non ſolum cæca, ſed & ferrea ſunt quorundam pectora. De hoc numero non fuit Simon Sutor, qui cum obſtructione epatis ultra menſem laboraſſet honeſtis parentibus in Birthalben Tranſyluaniæ oppido natus, annum uigeſimum primum agens hac nocte extinctus eſt, pia et ſancta confeſſione prius edita, aſsidue filium Dei inuocans, & has promiſsiones repetens, Fidelis Deus qui non ſinit nos tentari ultra quam poſſumus &c. Item:

SAEpè auditis retineri in Ecclesia piam fu-nerum ritum, has potissimũ ob causas. Primũ ut de fugacitate, inconstantia, et de miseriis uitæ huius cogitemus, commonefacti conspectu fu-nerũ. Nam quod Psal. inquit de miseriis hominum et uitæ breuitate. Mille anni ante oculos tuos Domine, sunt tanq̃ dies hesterna quæ præterijt, & sicut uigilia nocturna, Facis diffluere homines sicut nimbum, somnium sunt sicut gramen, quod subitò exarescit, quod manè floret & mutatur uesperi, exciditur & arescit. Item Iob: Homo de muliere natus breui uiuit tempore, & multis repletur miseriis. Id omnia omnium hominum funera ostendunt et attestantur, Et quidem Ethnici ijs ipsis commonefacti similibus querelis ærumnas huius uitæ deplorant. Qualis est Pindaricæ illa breuis quidem, sed uenusta et uerissima uitæ hominum pictura: Υ̓δὲ Ὺς, Υ̓δὲ ὄυλος, σκιᾶς ὄναρ ἄν-θρωποι. De his ergo ærumnis nostris multò magis nos qui in Ecclesia sumus, cogitare iustum est, Qui non ut Ethnici ipsas tantum ærumnas foris aspicimus, sed causas intelligimus interiores, à quibus mors et miseriæ reliquæ oriuntur ac promanant, imò non has tantum nouimus, sed finem etiam et liberationem ab his omnibus uoce diuina propositam et monstratam certò prospicimus. Alterum ergò quod in funeribus fieri conuenit, est cogita-

cogitatio et deploratio ardens & seria peccato-rum nostrorum, propter quæ morti & ærumnis cæteris subiecti sumus, de quibus idem nos Psal. ille commonefacit, de quo paulo ante dictum est, quia inquit: Deficimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, occulta nostra in lumen uultus tui. Sed cum immensa & inenarrabili bonitate propositus nobis sit liberator & redemptor à morte filius Dei dominus noster Iesus Christus, ut hunc fide intuentes ac complectentes certò statuamus per ipsum nos reuicturos, & uitæ & iusticiæ æternæ hæredes futuros esse: Accedere ad priora illa tertiũ hoc debet, ut fide & spe liberationis illius nos erigamus, & sustentemus, & propositum Saluatorem & uictorem mortis adprehendere & complecti studeamus: Sicuti Iob se erigit inquiens: Scio quod Redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & pelle mea circumdabor, & in carne mea uidebo Deum, quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, Etiamsi occidet me sperabo in eum. Sed interea donec ad metam illã seu portũ uitæ & salutis æternæ appellimus, ueris & ardentibus gemitib. nos & uitam nostram & totam Ecclesiam Deo commendemus. Quod igitur in omnibus piorũ funeribus consuetudine ecclesiæ laudatissima fieri solet, Id hodie quoq;

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000318

quoq; cogitate faciendum esse in deductione funeris, uiri honestißimi & integerrimi, domini Georgij Nimeck alias Kelner, Iudicis in hoc oppido, cuius cum & uirtus & integritas eximia fuerit, & obitus propemodum immaturus ac præproperus, ad regulas congruat ex Psalmo & Iobo recitatas, de fugacitate & inconstantia uitæ, tantò ardentius cogitandum sibi singuli putent. Meminisse enim plærosq; uestrum arbitramur, quibus & ipse & fratres superstites uiri honestiß. et integerrimi parentibus nati sunt. Nam etsi patrem cito amiserunt, uirum industrium & honestum, & illustriß. Principi, Electori Saxoniæ Friderico huius Academiæ fundatori percharum: Tamen mater cuius funus uix ante mensem tertium deduci uidistis, matrona fuit uiuacißima, ut annum 80. excesserit. Hic Georgius quoq; inter filios natu maximus, etsi corporis ac uirium robore tanto fuit, ut fassus sit se non ullum in uita corporis ægritudinem sensisse: Tamen matris ætatem dimidiam annis non multis uix superauit, et nunc febre ardenti subito extinctus, & ut Psalmi uerbis utar, quasi uolatu præpete abreptus est. Sed cum in inuocatione filij Dei placidißimè heri decesserit, hæc ei fœlicitas gratulanda est, quod sine diuturnis & magnis cruciatibus ex hoc ergastulo & ualle lacrymarum abductus est. Nos cum & ipsius uirtuti & integritati, et fratribus

tribus uiris honestißimis officia omnia nos debere agnoscamus, & doleamus amisisse nos ueræ inuocationis socium. Hortamur scholasticos ut iam duodecima hora ante ædes ipsius conueniant, & hoc officio postremo in deducendo funere nostram erga ipsum & erga familiam honestißimam benevolentiam declarare ac testari studeant, & se ac uitam suam & Ecclesiæ uniuersæ periala piis uotis & precibus Deo commendent. Quem rogamus ut clementer Academiam hanc orphanam & Ecclesiam huius oppidi seruet ac protegat. Datæ die 23. Iulij, Anno 1561.

IN PRÆLECTIONEM PRIMAE EPISTOLAE ad Timotheum.

NOn dubium est summam & omnium difficilimam in genere humano functionem esse, uerbi Dei ministerium, ad quod gerendũ, missi et uocati sunt lumina orbis terrarum.

Primum ipse filius Dei, qui Euangelium de reparatione humani generis ignotum Angelis & hominibus, ex sinu æterni Patris primus in lucem protulit, primus concionator in Paradyso fuit, primus uoluntatem æterni Patris miseris & perditis hominibus reuelauit.

Hunc

Hunc ordine secuti sunt patres Adam, Abel, Seth, &c. quorum Adam Archiepiscopatu primi millenarij functus est.

Secundi millenarij Archiepiscopus fuit Noa cum Sem, ita primis duobus millibus annis duo Archiepiscopi Ecclesiæ Dei præfuerunt Adam, et Noa, cum alijs sanctis Patribus, suis Diaconis & compresbyteris.

In tertio millenario fungitur Archiepiscopatu Abraham cum sanctis Patriarchis ordine usq; ad Prophetarum tempora.

In quarto millenario summus Ecclesiæ gubernator est Helias cum alijs Prophetis ordine sequentibus.

Quinti & sexti ultimi millenarij mundi summus Rex & Sacerdos æternus Ecclesiæ, est Dominus noster Iesus Christus, sedens ad dexteram Patris, qui dat Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Episcopos, Pastores, Doctores, & omnibus ætatibus conseruat ministerium uerbi, alijs in aliorum tanquam stationem et supplementum subinde missis Pastoribus et Doctoribus.

Cum igitur tantum sit munus ministerium uerbi Dei, proponit et depingit in priori Epistola ad Timotheum scripta, Paulus tanquam Apelles aut Parrhasius, optimi Episcopi imaginem, et ostendit, ordine prolixa oratione, quibus uirtutibus Episcopum Ecclesiæ Dei deceat esse ornatum, & satis apparet hanc picturam à Paulo non suæ ætatis tantum, sed omnium temporum hominibus esse propositam, ut Ecclesia sciat quales deligendi & præficiendi sint Episcopi, & ut ipsi Episcopi Ecclesiæ hanc imaginem in conspectu habeant, & sciant, quibus uirtutibus studere, & quomodo in domo Dei uersari & eam administrare debeant.

Dignissima igitur consideratione diligenti hæc Epistola est, cuius enarrationem hodie hora tertia, Deo iuuante, ordiemur, Datæ die 28. Iulij, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

PRopter magnitudinem miseriarum humanarum multi ueterum sapientum non uerit sunt dicere, Non nasci optimum esse, proximum autem si sis natus, quam primum emori. Nec Menander, cum inquit: ὃν θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος, aliã de morte et in tritu puerilis ætatis, nisi hanc tenuem uidit consolationem, quod matura è uita emigratio subducat puerilem ætatem & liberet à sensu plurimarum et miseria-

rum & moleſtiarum, quas experiri & ſuſtinere adultos oportet. Quod etſi uerè dicitur: tamen multo tenuius & leuius eſt, quam ut mederi poſſit acerbiſſimo dolori, quem excitant σοργαὶ φυσικαὶ in animis parentum ſpectantium ſoboli ſuæ calamitates aut mortem. Et in amiſſione ſobolis primogenitæ duplicari norunt omnes qui ſunt experti, nec obſcurè ſignificatur in eiuſmodi caſu acerbiſſimi luctus magnitudo uoce Prophetæ, cum dicitur Zacheriæ 12. Capit. Dolebunt ut in morte primogeniti. Cum igitur illæ Philoſophicæ ψυχολογίαι non tollant naturales motus cordium quos condidit in natura Deus, ut nos de ipſius ardenti amore & commiſeratione erga homines commonefaciant, regamus in hac naturæ imbecillitate eos motus uerbo Dei, & orbitatis mœrorem dulciſſimarum promiſſionum cogitatione leuemus, quæ in Euangelio à Filio Dei propoſitæ ſunt. Hæ conſtanter adſeuerant non tantum huius uitæ miſerijs liberari infantes piorum, Sed certò receptos eſſe in gratiam à uero Deo qui eſt æternus Pater Domini noſtri IESV CHRISTI & reconciliatos eſſe Deo propter CHRISTVM, & in Baptiſmo ſanctificatos eſſe Spiritu ſancto ad uitam æternam. Sinite inquit Filius Dei, parulos uenire ad me. Talium eſt regnum cœlorum.

Nec

Nec eos caſu extingui, ſed paterno conſilio Dei euocari ex hac uita & traduci ad conſuetudinem cœleſtẽ oſtendit hæc uox: Mea ſunt primogenita, dicit Dominus. Et Dominus in Euangelio inquit: Angeli eorum ſemper uident faciem patris, qui in cœlis eſt. Hac uera & efficaci conſolatione erigant ſe pij parentes, uir ingenio eruditione & pietate excellens M. Albertus Lemeiger publicus in Academia Profeſſor, & honeſtiſſima Coniunx ipſius, qui nunc propter amiſſum filiolum primogenitum in luctu & ſqualore ſunt, ac cogitent ad ſuum etiam filiolum pertinere declarationem uoluntatis diuinæ, quæ tradita eſt in dicto: Non eſt uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis iſtis. Non luctu immoderato inuideant dulciſſimæ ſoboli ſalutarem & æternum complexum filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad quem uel paulo poſt (quæ huius uitæ fugacitas eſt) ei erat emigrandũ, uel etiam in quo cum glorificata Dei Eccleſia poſt annos non ita multos rurſus eum læti uidebunt. Sit ſanè aliqua fœlicitas non impliciri ærumnis quas infinitas habet hæc fragilis & momentanea ac miſerabilis uita: Verum euolare etiam ad lucem illam, quæ Dei eſt habitaculum, & in manu, id eſt tutiſſima Dei protectione ſuauiter quieſcere animas piorum, donec ad eiuſdem beatitudinem gloriæ & uitæ ſocietatem corpora ſuſcitentur, ea-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000321

demum firma, certa & solida beatitudo est, sicut scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Quare quantæcunq; sint huius uitæ ærumnæ & calamitates: tamen & natam sibi sobolem pij parentes lætentur, & nos omnes condidos esse ac natos homines gaudeamus, et rursum ad meliorem uitam corporali morte animas traduci beneficio filij Dei grati agnoscamus, & Deo quas in tota æternitate gratias acturi sumus, nunc etiam agamus. Hac uerò & spe & fiducia piè defunctorum corpora religiosis ceremonijs humo condi solent, ut homines pij superstites de morte & eius causis, de animæ statu & corporũ resuscitatione commonefiant. Ac optandum erat in funerum deductionibus maiorem conspici frequentiam Scholasticorum, propter has ipsas commonefactiones atq; alendæ pietatis caussa. Cum igitur hora quarta exuuias sanctæ animulæ Ioachimi filioli M. Alberti in κοιμητῆριον sanctorum elaturi simus, Scholasticos hortamur ut et pietatis et officij causa ceremonijs funeris intersint, et suam ibi incolumitatem et fœlicem ex hac uita quocunq; ætatis tempore Deo uisum erit, emigrationem pijs uotis et precibus commendent filio Dei Domino nostro Iesu Christo, qui dixit: Ego sum resurrectio et uita, Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Datæ die 30. Iulij, Anno 1561.

DECA-

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi Magister Eusebius Menius Professor publicus.

DVm titubat mundi moles, rabidoq; furore
Attrahitur rebus uasta ruina bonis.
Tu tamen ut pastor teneros qui suscipit agnos,
Nos humeris gestas optime Christe tuis.
Et si nulla datur cæcum exuperare potestas
Consilium, & læso numine cuncta ruunt.
Ad patrium cœlum terrenis libera curis,
Aspiret nobis mens pia, plena fide.
Sæuiat interea mundi rabiosa tyrannis,
Intentetq; pijs omnibus ira necem.
Sic Tholosa gemit rapido uicina Garumnæ,
Candidaq; ubi fortis Lilia Gallus habet.
Hìc linguæ florent, sacræq; Machaonis artes,
Artes inuentum præses Apollo tuum.
Heû mihi quam cladem nuper quæ funera uidit
Dum Monachus litis semina sparsa nouat:
Atq; Eridos pomum summis conatibus, ac ui
Obijcit, ambiguos & serit arte dolos.
Credo equidem infuso quod sepia mixta ueneno,
Et Phlegetontæo sanguine tincta fuit.
Quam multi iuuenes inopina strage peremti,
Ante diem miseris interière modis?

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000322

Testis erit tanti spectatrix Gallia luctus,
Quæq; suos natos orba senecta gemit.
Tantus agit multos furor, & uesana libido,
Dulcia qui fugiunt ocia, bella probant.
Impugnantq; fidem, qua sola sydera adimus,
Stamus & infracti, iudicium ante Dei.
Aggerat hæc Satanas truculentus, et omnia turbat,
Quæ poterant aliquem pacis habere modum.
Hic super aërias errare licentius auras,
Omne scelus tristi colluuione facit.
Organaq; impellit sua callidus, armat & illa,
Quodlibet ut tentent qualibet arte nefas.
Non igitur stertat mens alto oppressa ueterno,
Nec decepta mali credat abesse metum.
Restant heu restant magno certamina motu,
Proq; fide & uera religione labor:
Instruat hæc contra se mens ex fontibus ipsis,
Hauriat ut dubijs credula rebus opem.
Doctrinam discat quæ summo tradita cœlo
Certa uoluntatis dat monumenta Dei.
Nec tamen illa potest disci, nisi & altera cura
Accedat, rectè ut cuncta scœare scias.
Ingenuæ hoc monstrant studijs fœliciter artes,
Et quo sint sensu quæq; legenda monent.
Sit prior exemplo lapsi tibi temporis ætas,
Cum iacuit tenebris obruta pura fides.

Sunt

Sunt tamen elato qui spirant pectore fastum,
Artibus ingenuis dum fera bella parant
Et sua semidei decreta ferociter urgent
Venaq; pro ueris somnia sæpè colunt.
Esse quid hoc dicam? furor est, tracturaq; rursus
Interitum studijs impia barbaries.
Horresco referens, ueniens mirabitur ætas,
In tetricos homines hoc cecidisse scelus.
Nos uero studia hac moniti meliora colamus,
Noster & illa iuuet sedulitate labor.
Nunc etiam rursus discentum examina fiunt
More Scholæ, multum quæ repetita iuuant.
Ergo conueniat nostri pars optima cœtus,
Ornet ut examen colloquijq; uices:
Quando aurata manus primum signauerit horam
Et steterit medio feruidus axe dies.
Hæc artes peperit collatio, solaq; magnum
In studij cursu calcar habere solet.
Tu modo natæ Dei summi, qui culmine cœli
Venisti populi luxq; salusq; tui.
Tu rege conatus nostros & suffice uires
Quod facimus laudi cedat ut omne tuæ.
Sic non hoc miserum ducemus inaniter æuum
Atq; erimus regni membra sacrata tui.

Datæ die 7. Augusti,
Anno 1561.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000323

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor &c. S. D.

IN Pago uicino ac penè suburbano cui de causis manifestis, nomen Broto, à traiectu factum putatur, qui tali quodam uocabulo lingua Vandalica appellari dicitur, in hoc igitur hodie ludi fient certaminum sagittariorum, & eorum qui de Cannis ferreis ignitos globos eiaculantur, quos in re noua, uocabulo etiam nouo, Sclopetarios uocant, cum machina hæc de extremis mundi furoribus pars sit non postrema. Ab his igitur spectaculis quia scholasticis nostris, multis de causis, metuimus, inprimis ijs qui per ætatem & auriosiores sunt & minus sibi cauent. Ideo in solicitudine nostra paterna, hortamur præcipuè eos qui priuatæ disciplinæ suæ habent commissos aliquos, & Pædagogos omnes, ut hac in parte necessarium suis respectum & fidem debitam præstent. Omnino autem nostro ordini uniuerso considerandum est, quid hunc maximè deceat, neq; hoc ἦθος est liberaliter instituti hominis, oculis & auribus ἐπὶ πᾶν θέαμα καὶ πᾶν ἄκουσμα oberrare, sed coherceri ἐνδρομὰς καὶ περιπλανήσεις tales oportet,

oportet, ut ueteres sapientes docent, & ad ea quæ in uitæ usum habent utilem conuerti, hoc nisi fiat τῆς πολυπραγμοσύνης culpa admittitur, cuius nota perquã illiberalis est & fœda. Magis autem cognosceretur fœditas huius, si hanc Theophrastus ille descripsisset, cuius extant χαρακτῆρες uitiosorum morum, et si hic περιεργίας turpitudinem descripsit cui cognata est πολυπραγμοσύνη, quam omissam à Theophrasto Plutarchus pinxit, qui περὶ πολυπραγμοσύνης eruditũ scriptum reliquit. Hoc certè affirmare nõ dubitamus, doctrinæ et eruditionis uerè studiosos in his duob. Theophrasti et Plutarchi libellis uel legendis uel relegendis aliquanto plus uoluptatis percepturos esse quã ab illis spectaculis sperari possit. Sicut autem Socrates monuisse legitur ab ijs cibis cauendũ esse, qui non esurientes ad edendum inuitarent & adducerent, & à potu similiter, qui non sitientes alliceret: Ita ab ijs etiam spectaculis abstinendum, quæ occupant et abducunt oculos eorum quos adesse & spectare nihil ipsorum interest, et ad quos illa non pertinent. Hæc commonefactio nostra quantum profectura sit, res nimirum docebit. Nos tamen hoc modo officium nostrum præstamus, Vt si quid quod nolit cuiquam ex nostris inde accidat, ad Deum & homines excusati simus futuri. Die Laurenti Anno 1561.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM M. Eusebius Menius.

SAEpè repetimus & diligenter inculcamus tam uoce quam scriptis, discrimen inter doctrinam Ecclesiæ Dei propriam et Philosophiam, nec confundimus hæc diuersa doctrinarum genera, sed disertè affirmamus, Philosophiam non solum de essentia & uoluntate Dei certi nihil statuere, sed prorsus etiam ignorare tum causas ac fontem, tum remedia omnium malorũ in genere humano, licet ingentem molem miseriarũ utaunq; agnoscit ac deplorat. Interea tamen piè affirmamus Philosophica studia magno usui & ornamento esse Ecclesiæ Dei, id quod experientia manifestè testatur, & multæ firmissimæ probant rationes. Quis enim neget, sine linguarum & artium dicendi præsertim Dialecticæ cognitione nihil dextrè explicari aut percipi posse? Alia enim phrasis est aliarum linguarum, quam uarietatem, qui non intelligunt & considerant, sæpè in re exili hærent dubij, sepè etiam fœdè hallucinantes peregrinas & à sermonis proprietate alienas affingunt interpretationes. Vt igitur nativa proprietas sermonis Prophetici & Apostolici in Ecclesia retineatur, linguarum cognitione omnino opus est. Deinde ad eruditendas mentes

mentes & confirmandas ueras opiniones, plurimum conducit euoluere omnium temporum historias, quæ quidem præcipuè literis Hebraicis, Græcis & latinis comprehensæ sunt. Hæc si cui fortè puerilia & tenuia uidentur, ut quæ in sermone tantum uersantur, is reliquarum etiam Philosophiæ partium utilitatem ac necessitatem consideret. Nihil autem nunc dicam de mirando Dei opificio in conditione mundi, de ordine cœlestium motuum sapientissimè instituto, quarum rerum aspectio & consideratio, etsi per sese dulcissima est, tamen propter hanc præcipuè causam expetendam esse sanè omnes intelligunt ac fatentur, quod illustre prouidentiæ testimonium est, excusitans mentes non prophanas ad agnitionem Dei & amorem uirtutum. Quam necessaria sit Physicæ & Ethicæ doctrinæ cognitio ad multarum grauissimarum disputationum in doctrina Ecclesiæ dextram & perspicuam explicationem mille exemplis ostendi, si opus sit, potest. Cum Paulus inquit: Noticias diuinas in mentibus hominum manere, sed detineri captiuas ab iniusticia: Hic nisi quis ex doctrina Physica teneat discrimen potentiæ cognoscentis & appetentis, non assequetur uerum sensum Pauli. Econtra si quis ex Physica rectè distribuat potentias magnum lumen accedit, nec tantum sensus perspicuus est & facilis, sed et explicatio illustris. In parte

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000325

cognoſcente manent qualeſcunq; noticiæ de Deo, de ordine rerum creatarum, de diſcrimine honeſtorum & turpium, Item noticiæ numerorum ac Geometricæ. Sed in parte appetente eſt auerſio à Deo, odium & fuga Dei, & cor coniunctum cum potentia appetente rapitur inordinatis motibus ac cæco impetu ruit contra mentis iudicium. Verè igitur tunc noticiæ captiuæ detinentur ab iniuſtis effectibus & inordinatis cupiditatibus contumacis cordis. Cum dicitur de diſcrimine perſonarum diuinitatis et ſingularum proprietatibus, quod filius ſit perſona à patre ab æterno genita, & quod Spiritus ſanctus procedat ab utroq;, etſi nec generationis filij nec proceſſus Spiritus ſancti modum integrè in hac mentis caligine perſpicere poſſumus: tamẽ ſimilitudo à noſtra cogitatione uel Spiritu uitali in corde nato, & inde exhalante, ſumpta, multum iuuat ac illuſtrat pias ac ſobrias de tantis rebus meditationes. Denicq; utilis eſt naturæ conſideratio in uniuerſum non ſolum ad accendendas & confirmandas in mente honeſtas opiniones de Deo, quas inſitas animis Deus uult excitari & ali doctrina, ſed etiam ad præſidia humanæ uitæ quærenda & regendos mores.

Dum itaq; conſtet: has literas & artes, quæ Philoſophiæ nomine comprehenduntur, multipliciter prodeſſe ad explicationem doctrinæ cœleſtis, & de tota

de tota hominum uita præclare mereri, meritò & ipſæ amandæ diligenterq; excolendæ ſunt, et profeſſores ac cultores earum omni cultu honoris afficiendi. Quod igitur fauſtum & fœlix ſit decernetur proxima die Martis quæ erit duodecima Auguſti gradus Magiſterij Philoſophici aliquot honeſtis & eruditis uiris, quorum nomina infra adſcripta ſunt. Cum autem deceat hanc renunciationem teſtimoniorum publicam eſſe: rogamus omnium ordinum profeſſores Doctores, Magiſtros, & cæteros Scholaſticos, ut huic publicæ gradus renunciationi frequentes interſint, eaq; in re ſtudium ſuum declarent erga Philoſophiæ ſtudia, quæ certè propter multiplicem utilitatem omnibus paruis & magnis officijs tuenda & amanda ſunt: Simul etiam hoc congreſſu gratias agant Deo æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod lucem doctrinæ ſuæ & neceſſariarum artium non ſinit extingui, & ardentibus uotis petant: ut harum regionum Eccleſias & Scholas, & earum domicilia porrò clementer gubernet & protegat. Die Laurentij, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor &c.

NImis

Nimis uerè dicitur: Vita fugax hominum est magnorum plena dolorum. Cuiuscunq; enim conditionis hominem interrogaueris, neminem inuenies, qui gloriari possit se ita uitæ suæ dies exegisse, ut nihil erumnarum & calamitatis, quæ humano generi frequenter obuenire solent, gustauerit. Artaxerxes mortua coniuge quam unicè diligebat, Democritum auius eruditio & sapientia Ethnicis eius ætatis admirationi erat, precibus et pollicitationibus regijs inuitabat, ut coniugem mortuam uitæ restitueret, respondit Democritus artem perfacilem esse, sed remedium quod reuocationi coniugis in uitam adhibendum esset, inuentu difficile. Cumq; Rex concepta iam spe, de remedio diligenter & diu perquireret, & simul promitteret, se sumptus quantumuis magnos facturum, si remedium de quo Philosophus loqueretur, comparari posset, Respondit Democritus: Si triginta homines imperio Regis subiecti inueniri possent, qui trigesimum annum attigerunt sine omni miseria, horum nomina inscribenda esse sepulchrò coniugis, & futurum ut Regina ex mortuis in uitam reuocetur. Hac narratione non tantum ostendere uoluit, quod sibi quantumuis sapienti restitutio mortuorum in uitam impossibilis esset, sed simul quod totum genus humanum nemine excepto obnoxium sit miserijs & calamitatibus,

tatibus, de quibus tragicè exclamant & conqueruntur homines Ethnici, non instituti salutari doctrina Ecclesiæ, quæ sola ostendit et causas horum malorum, & ab his miserijs finalem liberationem. Nos autem qui sumus ueræ Ecclesiæ ciues utrumq; considerabimus, & quod humana natura mole erumnarum prematur, ut agnoscat ueram et horrendam iram Dei aduersus peccatum, & flectatur ad timorem Dei et cohercendas cupiditates, quibus miseriæ accersuntur, et simul quod filius Dei omnes ad suam misericordiam confugientes uelit miserijs huius uitæ liberatos in uitam æternam reducere, & illud fœdus renouare quod Deo cum homine ad imaginem suam condito, fuit in primo statu integritatis, quod à primis parentibus horrendo lapsu uiolatum & ruptum fuit. Hac piæ meditatione toto uitæ curriculo quantumuis breui & fugaci se sustentauit, eruditione & pietate præstans uir Augustinus Thalheimerus natus in oppidulo Pfarkirchen inferioris Bauariæ sub Duce Alberto, hic Augustinus natus est honestissimis parentibus, qui cum doctrinam pietatis religioseè colerent, filium in honestarum artium ac pietatis studio in Austria eruditi curarunt, inde cognitis primis fundamentis de consilio & uoluntate patris se ad nostram Academiam contulit. Vixit autem apud nos piè & modestè toto sexennio magnæ diligen-

diligentia & cura operam dans studijs sacrarum literarum, quibus mediocriter instructus in Moraniam profectus est, ubi Scholasticæ conditioni magna cum laude et comprobatione honestorum præfuit. Sed paulo post elapso anno ex Morauia propter aduersam ualetudinem discedens VViteбergam rediit, & ut uires recolligeret & se ad functionem Ecclesiasticam præpararet. Sed recens dysenteria correptus est, qua cum ipsius uires prostratæ essent, extinctus est hesterno die hora quarta uespertina, migrans ad ueram et cœlestem patriam, cuius profectionis extremus actus est mors, quæ est μεταβολὴ καὶ μετοίκησις τῆς ψυχῆς τοῦ ἐνθενδε τόπου εἰς ἄλλον τοπον, sed longè præstantiorem. Nec dubium est quin hic Augustinus sit in numero eorum, de quibus dicit Propheta Esaias: Iusti colliguntur ne sint spectatores uenientium calamitatum, quibus horrendi & multiplices furores hominum puniuntur. Certum est impendere magnas uastationes, in quibus ut Deus in ira sua misericordiæ recordetur, ueris gemitibus eum oramus: Scitis autem pias sepulturæ ceremonias seruari, et in deductione funerum pios hominum congressus fieri, non ut in ea spectacula exhibeantur, sed ut cogitemus de causis mortis & ingentium miseriarum humanarum, de uenturo iudicio, de resurrectione & uita æterna.

Quare

Quare hortamur Scholasticos ut ad funus horæ quarta conueniãt ante Nosocomion Vniuersitatis nostræ, singuli suam uitam Deo commendent, & communibus precibus mitigationem publicarum miseriarum petant. Die 11. Augusti, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor &c.

O Miseras hominum mentes, ô pectora cæca
Qualibus in tenebris uitæ, quantisq; periclis
Degimus hoc æui quodcunq; est.

Hæc est querela omnium sapientum, in quam magno gemitu descenderunt admiratione concepta, cur hæc præstantissima omnium creaturarum, & tamen imbecilla hominum natura, tot calamitatibus exposita, & tanta ærumnarum mole oppressa sit. Multi ex inopinatò accidere hæc hominibus mala arbitrati sunt, & quorundam etiam casuum fatales esse causas asseruerunt, scelera item ab hominum uoluntate dependere: Mortis item et morborum causas in materia quæsiuerunt. Altius inuestigatione progredi, & fontem horum malorum ex ratione demonstrare non potuerunt,

tudelicet unde in materia hominum, & in uoluntatibus humanis tanta exiterit infirmitas, & lues, quæ naturam excellentißimam, ut ærugo ferrum, paulatim conficit atq; absumit. Sed nos ciues Ecclesiæ ueræ, principales & ueras causas diuinitus patefactas in scriptura intelligimus, quæ non solùm recto filo ad earum cognitionem nos deducit, sed & remedia, sapientiæ humanæ ignota, demonstrat, & euentus omnes diuino regi consilio docet, ideoq; animos nostros ad obedientiam Deo debitam flectit, & in eius uoluntate placidè acquiescere iubet, & propositis firmis & efficacibus consolationibus, nostro dolori occurrit, & quasi media de morte reducit. Quid efficacius Marthæ animum lugentis ob præreptum immatura morte fratrem, erigere potuit illa filij Dei uoce & alloquio, quo summam ei consolationem proponit, & portum quietis, salutisq; nostræ ostendit, quibus quotidiè cum multiplici ærumna fragilis huius uitæ, & cum ipsa deniq; morte conflictandum est, cùm inquit: Ego sum Resurrectio & Vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, tamen uiuit. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Hanc consolationem, non in ratione natam, aut ab hominibus excogitatam, sed ab ipso Filio Dei, destructore mortis & uitæ instaura-

 tore

tore editam, firma fide apprehendere, & animis fouere nos decet, & in eam ipsam in ærumnis nos includere, ut infans embryone inuoluitur, & tutus ibi latescit, donec maturo tempore in auras tandem egreditur, & apertè uitam spirat. Præcipuè autem in funerum pompis, talium rerum consideratione animi excusitandi sunt, ubi res tanquam ante oculos positæ, occasionem cogitandi præbent de fragilitate & miseria humani generis, & de ira Dei aduersus peccatum, & pœnis, & morte, quæ hanc massam imbecillem propter peccatum consequitur, ut dicitur, Per peccatum mors intrauit in mundum, & in uersiculo dicitur, Nil nos quàm morti debita massæ sumus. Simul autem præcipi à Deo sciamus, ut è mortis terrore animi eluctentur, & diuinitus proposita remedia, & consolationes de filio Dei admittendæ sunt, qui ideò mortem oppetijt, & resurrexit, ut pœnam pro peccatis debitam, nostra uice pensaret, et hominibus iusticiam & uitam referret atq; redderet. Hic filius Dei mortem in natura nostra uincit, et fide sibi insertos ad uitam æternam et læticiam resuscitare uult. Eadem uoce filij Dei Iesu Christi, tuo morbi tempore se sustentauit honestus, pius, & studiosus adolescens Iacobus Fischer, natus in Valle Ioachimica honestiß. Parentibus, quorum insignis uirtus et

 pietas

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000329

pietas, non tantùm in illa urbe, ſed multis etiam hîc cognita atq; perſpecta eſt. Pater, eiuſdem cùm recens defuncti filij nominis, calamitate domeſti, ca & ætate confectus, partes, ut uocant, metallicas ſumma fidelitate multis ibi annis adminiſtrauit, et ad publicas in Repub: dignitates & munera euectus, non tàm ad ſuam dignitatem & tranquillitatem, quàm ad Reipub. commoditatem reſpectum habuit. Et cùm ipſe in iuuentute honeſtas artes percepiſſet, & ueram de Deo doctrinam intelligeret, filijs ſuis autor fuit, ad liberalium artium colenda ſtudia, & ueram pietatem diſcendam, eoſq; ſumtibus in hac Academia liberaliter ſuſtentauit, quorũ natu grandior M. Chriſtophorus Fiſcher, uir eruditione, pietate & morum honeſtate præditus, inſpectorem Eccleſiarum in ditione Comitum Hennebergenſium agit, & de Eccleſia Dei benè meretur. Ante tres annos hîc in puerperio recenti, morbo oppreſſa et extincta eſt ſoror eius Catharina, quæ nupta fuit clariſſimo uiro Andreæ Roſæ Medicæ facultatis Doctori, fœmina omnibus uirtutibus & donis exornata, quas Paulus in ſancta Matrona neceſſariò requiri ſcribit. Vera enim agnitione & fiducia Mediatoris rectè Deum inuocabat, & uero cordis affectu diligebat, & erga parentes, maritum & ſobolem, uariis offitijs amorẽ ſuum declarabat. Caſtitatem, uerbis, moribus,

moribus, & factis præ ſe ferebat, & uitæ œconomicæ moleſtias et onera, manſueto animo adminiſtrabat, & uerè columna domus fuit, qua triſti in morbo amiſſa, quàm ingenti luctu parentes illius & cognata familia conauſſa atq; conſternata ſit, nobis & alijs notum eſt. Hic uerò Iacobus per quinquennium ferè uerſatus eſt in hac Academia, & luxit in eo ingenium, uirtus et pietas patris & fratris. Cumq; iam ætas eius talis eſſet, ut in ſtudijs liberalibus, quibus operam dedit, progreſſum ſuum eruditis probare poſſet, incidit in morbum periculoſum, è quo cùm ſe eluctari non poſſe haud obſcurè ſentiret, occupatus fuit tantùm inuocatione Filij Dei, & commemoratione & auſcultatione piarum ſententiarum, quæ nobis propter Filium Dei liberationem & ſalutem æternam promittunt. Ex his enim fontibus, conſolationes in ærumnis & agone mortis ſibi hauriendas eſſe ſciebat. Cumq; ad parentes propter longi itineris incommoditatem, & morbi incrementa transferri non poſſet: depoſito ex animo tandem hoc uoto, totam familiam cognatam, ardentibus precibus ſæpè iteratis Deo commendauit, & certa fiducia & expectatione conſociationis lætæ in illo poſtremo die, animum ſuum erexit, & per hoſce dies quibus decubuit, ſæpè & clarè teſtatus eſt, (cũ in lucta mortis animo quaſi exiliente, ſubinde Auguſtini ſententiam commemo-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000330

ret, Turbabor, ſed non perturbabor, quia uulnerum Domini recordabor, Et dictum Iohannis: Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omnibus peccatis,) ſe certam concepiſſe ſpem de reſurrectione & uita æterna, propter hunc Dominum, qui nos ſanguine ſuo à peccatis mundauit, & ſe reſurrectionem & uitam, hoc eſt, victorem mortis, et uitæ inſtauratorem, etiam in ipſa morte corporali, profitetur. Verè igitur, exemplo Iacobi Patriarchæ, qui agnina pelle uelatus patrem acceſſit, ut benedictionem ab eo acciperet, hic Iacobus quoq; æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, inuocatione ardenti acceſſit, et Agni Dei pelle, id eſt, Iuſticia Chriſti ueſtitus, gratuitã ſalutem fide conſecutus eſt: Et crebris in agone recitationibus dictorum Euangelij, ſignificauit, et animi tranquillitatem, fidei nempe lætum effectum, & initia ſalutis æternæ in ipſius anima iam accenſa eſſe: & heri circa quintam matutino tempore placidè animam exhalauit, cùm nulla prorſus ſigna daret incompoſiti animi ad mortẽ obeundã. Cùm igitur in uera agnitione ac inuocatione filij Dei liberatoris diſceſſerit: Certè parentes eius et cognati, hac ipſa conſideratione læti finis & exitus filij ſui, luctum moderari debent, nec ipſi hanc fœlicitatem apud Deum inuidere, ſed uoluntatem Dei intueri, & non quòd orbati eo abſente ſint, ſed ad quæ bona

ex hac

ex hac miſera & fugaci uita, temporibus quidem plenis calamitate euocatus ſit, conſiderare. Et ſi uera animi affectione eum, ut dubium non eſt, proſecuti ſunt, meliori eius ſorti iam fauere debent, cùm in numero eorum ſit, de quibus ſcriptum eſt: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Et cùm ſtatuant Eccleſiæ doctrinam ueram eſſe, gratulentur ipſi, quòd in inclyta Academia inter doctorum & piorum hominum manus, & medias preces ad cœleſtis Academiæ conſuetudinem euocatus eſt, in qua non riuulos doctrinæ, ſicut in hac adoleſcentia ſua, ſed de pleno & puriſſimo fonte Vitæ, ipſo Chriſto, haurit cœleſtem ſapientiam, & coràm pendet ab ore Doctoris Filij Dei, circumſtantibus Prophetis ac Apoſtolis, ac immenſa lætitia Deo agit gratias, quòd citò in hanc Beatorum pulcerrimam congregationem abductus ſit. Et ſciant parentes, ſe non amiſiſſe, ſed in eum locum præmiſiſſe filium ſuum, de quo cogitantes, ipſi confeſtim hinc abripi, & citato greſſu aduolare mallent Et hunc filij diſceſſum, fuiſſe iter ad cœleſtis Academiæ conſuetudinem, ut dicitur: Sicut Chriſtus per mortem in uitam et gloriam ingreſſus eſt, ita nos &c. Decet autem nos oſtendere ſignificationem beneuolentiæ erga honeſtiſſimam eius familiam, et ipſum defunctum, cuius uitæ teſtes eſſe poſſumus, qui inſpectores fui-

mus toto quo hîc uixit tempore. Hortamur igitur collegas nostros & Scholasticos, ut ad funeris deductionẽ in foro ante ædes Christophori Schram, hora 12. frequenter conueniant, & ibi singuli se & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent, & petant, ut Deus scholasticam iuuentutem, tanquam Milites suos, incolumem conseruet, & eius studia propter Ecclesiæ collectionem dirigat & gubernet. Quia certè opus est Ecclesiæ Dei propagatoribus doctrinæ, ut scriptum est, Non mortui laudabunt te Domine. Die 14. Augusti, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor &c.

NON dubium est quin homines moderati & pietatis exercitia amantes, in hoc turbulento rerum statu sæpè cogitent de miserijs generis humani, & tristi conditione breuis et fugacis uitæ, quam illustribus uerborum luminibus depingit Patriarcha Iacob, cum regi Pharaoni interroganti de ipsius ætate respondet: Dies peregrinationis uitæ meæ centum triginta annorum sunt, pauci & mali, & non peruenerunt usq; ad dies

dies patrum meorum. Hæc descriptio rectius nostro seculo conuenit, quo maxima pars hominum perit gladio, peste, intemperantia, tristicia & miserijs infinitis, et adeò breuis est uita, ut pauci qui diu uixisse putantur quinquagesimum aut sexagesimum ætatis annum excedant. Nominat uitam humanam peregrinationem, quæ uagatur sine certa sede, quam continuare omnes pij debent, donec uoluntate Dei, qui singulis in hac peregrinatione certa officia attribuit, ad cælestem sedem, ubi non hospitium, sed patriam certam & fixam habituri sumus, euocabimur. Certum est & regij Prophetæ Dauidis eandem esse sententiam, cum inquit: Sum peregrinus & aduena, Sicut omnes patres mei. Non enim in hac mortali uita in qua mole peccatorum & ærumnarum premimur, ciuitatem manentem habemus, sed futuram inquirimus, De qua Paulus præclarè dicit, τὸ πολίτευμα nostrum in cœlis est. Hac spe & expectatione sustententent & erigant se omnes pij, qui uarijs malorum generibus, ingentium miseriarum mole premuntur, & in hac rabie petulantium ingeniorum quæ passim uirulentia & odio certant, exercentur, ut hanc uitam quæ est molesta & difficillima peregrinatio, patienter conficiant. Ex hac peregrinatione mo[lesta], hesterno die Martinus Schenck inclytæ hu[ius] reipublicæ Senator, ad æternam Dei & filij

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000332

ipsius Domini nostri Iesu Christi, & omnium beatorum societatem euocatus est. Etsi autem scimus diuina uoluntate acquiescendum esse, cuius consilio & protectione uiuimus et morimur, ac potius gratulari debemus in agnitione filij Dei ad cœlestem uitam emigrantib. qui hoc tristissimo tempore euocantur, ne sint spectatores impendentiũ malorum et mutationũ tristissimarũ, quæ et reipublicæ & Ecclesiæ euenient: tamen reipublicæ causa huius Martini obitum deflemus, cui fideliter inseruiuit, nec tanta sumus inhumanitate, quo minus afficiamur propter domesticam ipsius familiam, & paruos liberos, qui gubernatore & morum inspectore orbati sunt, quo præcipuè egebant in hac matris, quæ relinquitur, animi & corporis infirmitate. Industria Martini et uirtus quæ fuerit multi norunt in hac ipsa Academia, cum ante aliquot annos Collegio nostro fidem et diligentiam suam probaret in obeundo munere, quod Pincernæ, qui œconomo uniuersitatis nostræ adiungitur, committi solet. Relicto isto munere quod in Collegio nostro sustinebat, priuatus uiuere cœpit, sed bi quibus inspectio Ecclesiæ et cura ministerij commendata est, propter fidem & pietatem eum præfecerunt administrationi publici ærarij, ex quo stipendia ministris Ecclesiæ debita, pauperib. eleemosynæ gratuitæ & sumptus ædificiorũ sacrorum distri-

buuntur. Huic officio magna laude & approbatione honestorum, annos circiter nouem præfuit, in quo singulari humanitate et beneficentia ministros Euangelij fideliter suo munere fungentes fouit, et complexus est, familiã quoq; suam ad uenerandum Ecclesiæ ministeriũ et ministros semper hortatus est. Tandẽ his posteriorib. uitæ annis in ordinem Senatorium huius reipublicæ adoptatus est, cui fidelis & utilis fuit. Semper autem amauit Martinus ueram Euangelij doctrinam, studiosè & assiduè legit scripta diuinitus Ecclesiæ tradita, & illustria pietatis testimonia cum in toto uitæ curriculo, tũ imprimis in hoc postremo agone ostendit. Singulari et uerè Christiana patientia sine ullo fremitu & indignatione Deo obtemperauit, in hoc postremo morbo, quem sciebat Dei uoluntate sibi impositum, neq; uli. unquam significationem præbuit, quod aut uitæ longioris cupiditate teneretur aut à migratione abhorreret. Ideoq; cum ordinato & perfecto testamento, quo ultimam uoluntatem suæ familiæ relinquere uoluit, domesticis rebus rectè prospexisset, illustrem suæ fidei confessionem pijs & honestis uiris astantibus edidit & sæpè repetiuit, & animam suam à filio Dei conditam & redemptam eidem commendauit. Hesterno die post horam septimam matutinam, cum iam astantes uidercnt ipsum

cum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000333

cum morte luctari, & ſenſuum uigorem ab eo re-
ceſsiſſe, cœpit corpore aliquantulum eleuato, cum
paulo ante uocem præ infirmitate nullam edere
potuiſſet, magna & firma uoce exclamare & ca-
nere Canticum ſancti ſenis Simeonis: Nunc dimit-
tis ſeruum tuum Domine in pace, & alias quaſ-
dam cantiones à Deo petentes ſalutarem & pla-
cidum exitum ex hac ærumnoſa uita. In hac firma
& conſtanti fide & uera inuocatione Filij Dei
Domini noſtri Ieſu Chriſti *anima ſancta & Deo*
chara à corpore placidiſsimè diſceſsit, quod hodie
uſitatis & pijs ceremonijs terræ, in quam Sancto-
rum exuuiæ reponuntur, mandabitur. Quare hor-
tamur Scholaſticos, ut hodie hora duodecima ante
ædes huius Martini ad funeris ceremonias conue-
niant, in quibus ſinguli uitam ſuam & Eccleſia-
ſticam rempublicam Deo precibus pijs commen-
dent, orantes ne fiat infinita diſtractio, quam nobis
minitatur implacabile odium multorum quod er-
ga hanc Eccleſiam ſemel ſuſceptum deponi non
poteſt. Ac ſimul ardentibus uotis à Deo petant,
ut ipſe ſalutari & pio remedio hæc
mala præſentia tollat. Datæ
die 17. Auguſti, An-
no 1561.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor &c.

NOrunt omnes pij ſine ulla dubitatione,
Principum & gubernatorum incolumi-
tate, fortuna & ſucceſsibus etiam populi
& ſubditorum ſalutem & fœlicitatem contineri,
præſertim cum Dei bonitate Reipub. contingunt
Principes intelligentes et amantes doctrinæ Euan-
gelij, & ut Eſaias nominat, nutricij Eccleſiæ,
eiuſmodi Principum fœcundam & ſingulari be-
neficio Dei, feracem fuiſſe multos iam annos in-
clytam Saxoniæ Domum, pia & grata mente
agnoſcendum eſt. Cunq; illuſtriſsimi Principis ac
Domini, D. *Auguſti Saxoniæ Electoris pietas er-*
ga Patriam, & in fouendis Eccleſijs, & Scholis
harum regionum munificentia & liberalitas, ſint
ante omnium hominum oculos, meritò gratias Deo
agimus, pro dato nobis tali Principe, & ſimul
totius Nobiliſsimæ familiæ Ducum Saxoniæ inco-
lumitatẽ, fortunas, conſilia & actiones omnes Deo
omnipotenti & æterno Patri Domini noſtri Ieſu
Chriſti, ueris uotis ac precibus aſsiduis commenda-
mus.

Itaq;

Itaq; et hoc tempore, quo ab illustriss. Patriæ Patre et Principe sacrum Nuptiale fratris soriss. simi Principis Mauritij Electoris filiæ instituitur in solenni multorum Principum quasi Comitio, toto pectore optamus hanc nouam adfinitatem et Principi nostro, illustriss. Sponsæ, ac toti Saxonicæ Domui bene feliciterq; euenire, et oramus Dominum nostrum Iesum Christum, ut ipse sit in his Nuptijs pronubus, et faciat eas faustas, fœcundas et salutares et familiabus ipsis utriq; nobilissimis, & subditis harum regionum omnibus.

Hæc pia uota nobiscum concipere & nuncupare Deo æquum est omnes, qui Iurisdictioni nostræ subiecti sunt, & in Academia illustriss. Principis nostri Saxoniæ Electoris beneficentia & liberalitate fruuntur.

Maximè omnium autem pietas nostra & obseruantia atq; gratitudo erga Principem optimè de nobis merentem in moribus scholasticorum luceat, quos ut aliâs, ita hoc cum primis tempore, quo Principes aliquot ad sacras nuptias à Domino nostro clementiss, in urbem Lipsicam inuitati, hac iter facturi sunt, conspici uolumus, sobrios, modestos, castos, ac nequaquam dedecorantes ordinem scholasticum apud Principes hospites, quorũ offensionem singulari studio cauere, beneuolentiam uerò erga literas conciliare, omni officio nos decet.

Seuerè

Seuerè igitur prohibemus nocturnas concursationes & tumultus quos crebro sub prætextu & specie exercendæ Musices excitari animaduertimus: Musis addidit sapiens uetustas, Ducem Phœbum, id est, solem, ut diei & lucis ministræ esse intelligerentur. Barbaries est igitur cæca nocte scholasticos ebrios cum Musicis instrumentis circumcursare, & quietem honestorum hominum atq; inuocationem piarum familiarum & hospitum turbare, ineptis uociferationibus, quas conflictibus & pugnis, in quibus multi periculosè uulnerantur, præbere occasiones, compertum est.

Ideo uolumus, ut scholastici & in hospitum seu Principum seu aliorum ingressu & abitu, tam interdiu quàm noctu sint quieti & modesti, nec scandalo effrenis petulantiæ aut uestitu deformi, offendant oculos, aures & animos peregrinorũ, quos honorificè de studijs doctrinæ sentire, Ecclesiæ & toti ordini literario honorificum est atq; utile. Non dubitamus autem bonos, sua sponte facturos quod oportet, ne uitæ dissolutione aut morum turpitudine aut contumeliam Academiæ inurant, aut sibi periculum accersant, irritandis intempestiua tumultuatione aliqua equitib. sed habituros rationem potius uoluntatis diuinæ, quæ seuerè præcipit, ut Ecclesiam honestis moribus ornemus: Sicut scriptum est, Sic luceat lux uestra, ut

stra, ut glorificetur Pater uester, qui est in cœlo. Sed tamen hoc edictum proposuimus, ut scirent uniuersi, se à nobis commonefactos, si qui culpa sua, in aliquam calamitatem inciderint, nequaquam habituros nos approbatores suæ petulantiæ, sed uindices. Nec deerit consilium ad reprimendos contumaces, aut præfecto Principis, aut Magistratui Vrbano. Ac puniet profecto Deus, ne dubitate, eos qui hanc ecclesiam et Academiam, in quam propter excitatam in hac puram Euangelij doctrinam & literarum studia, orbis terrarum oculi conuersi sunt, morum effreni turpitudine & Cyclopica ferocia deformant, et spreto Deo et contemtis tot paternis commonefactionibus nostris, in cordibus piorum Spiritum sanctum mœrore adficiunt & inuocationem Dei impediunt, quod peccatum atrociter à Deo puniri, exempla ostendunt primi mundi puniti Diluuio, & Sodomæ incendio ac flammis cœlestibus deletæ. Ipsis scopulis et arduis Caucasi rupibus duriores sunt, si quos hæc tristia exempla non mouent ad modestiam uitæ & ueram pietatem. Sed tales nimis sero ut Phryges plagis emendati occinēt has lamentationes, quæ recitantur à Salomone Prouer. 5: Cur ego castigationē odi? et cor meum increpationes spreuit? Cur Magistris meis non auscultaui? Cur non ijs aures præbui qui meliora docebant, qui ausus sum

sum omnia mala coram multitudine & Ecclesia &c.

Hanc nimis seram pœnitentiam optamus, ut mediocri gubernatione morum ac uitæ anteuertat adolescentia nostra, nec laxandis petulantiæ frenis, cumulent pœnas publicas & priuatas, quas si qui non sentiunt aut intelligunt ante fores esse, prorsus ἀνοητοὶ sunt καὶ ἀναίσθητοι.

Nec deerit auxilium Dei & successus salutaris emendationis auersuræ iram Dei, & mitigaturæ pœnas in ijs, qui mediocriter annitentur & Deum inuocabunt. Sicut à Nazianzeno piè grauissimeq; dictum est: πὰρ τὸ κατορθούμενον παρὰ θεοῦ ἐστι. δέδοται δὲ καλουμένοις καὶ οὕτω νεύουσι, Id est, non perseuerantibus contumaciter in peccandi proposito.

Oramus autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum custodem Ecclesiæ suæ, ut faciat nos omnes σκεῦη ἐλέους & organa salutaria Ecclesiæ, ut aliqua ipsi grata per nos fiant, & ut clementer pacem tribuat his terris, regat studia & mores nostros, et semen sanctum sibi colligat inter nos, à quo in omni æternitate celebretur. Die 17. Augusti, Anno 1561,

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

DE postremæ et senescentis Ecclesiæ ærumnis, perialis et doloribus, cum multa alia dicta sunt ualde illustria, tum et hæ Prophetiæ querelæ, quæ proprijssimè de ministris Ecclesiarum traditæ sunt, Psalm. 126. Euntes ibunt et flebunt portantes sparsionem seminis. Item, Esaiæ Cap. 33. Ecce uidentes clamabunt foris, Et Angeli pacis flebunt amarè. Hæc si ullo unquam tempore uere de pijs Ecclesiarum doctoribus dicta sunt, profecto de nostris ærumnis, miserijs, et doloribus, uerissimè eas dicere possumus. Adeo enim uarijs et duris aduersationibus premimur, et exercemur, ut si toti in lacrymas solueremur, non satis possemus deplorare nostras miserias, in quibus et nunc uersamur, & paulo post cum posteritate futuri uidemur, nisi Deus singulari clementia nos et Ecclesiam miseram respexerit. Qualis enim et Ecclesiarum et regnorum omnium iam status sit uidetis et intelligitis ipsi. Ac toties de his publicis ærumnis hîc uos commonefecimus, ut propemodũ saxei muri intelligere ac meminisse eas possint. Eriuatas etiam nostras miserias, etiamsi uelletis ignorare,

ignorare, non potestis. Vt igitur omnes et singuli in magnis et ueris doloribus sumus ac cõsenescimus, in partem horum potissimam et maximam sustinet uir reuerendus et clarissimus D. Doctor Paulus Eberus, Pater, Præceptor et Pastor noster charissimus, cui cum incumbat onus grauissimum regendæ et procurandæ Ecclesiæ huius oppidi, prosua sapientia ac pietate considerat et gemitibus assiduis atq; indesinentibus deplorat dilacerationes tristissimas, quas inquieti quidam et uerè in Ecclesia seditiosi homines furentes odijs, ambitione, at alijs cupiditatibus, fecerunt, ac fouent cupidissimè. Ac quod est iustissimum posteritatis causa in angitur, penè ut conficiatur dolore. Iam ad hæc mala nouum et domesticum uulnus accessit extincto filiolo eius Melchiore, quĕ propter ingenij atq; indolis optimæ signa maximè dilexit. Nam cum supra ætatem sese exercebãt in puero documenta multa eaq; plurima, quæ et patri et nobis omnibus spem ingenij et uiri maximi de eo præbebant certissimam. Hic casus quantum ei dolorem ut patri φιλοργοτάτῳ allaturus sit, decet nos considerare, et dolore eius iustissimo simul adfici. Hodie igitur cum hora quarta funus filiolo futurum sit, hortamur uos ut ante ædes eius frequentes ad deductionem funeris conueniatis, et cum obseruantiam uestram erga ipsum, et doloris societatem declaretis,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000337

claretis, Tum ipsius etiam uitã, salutẽ, atq; incolumitatem quæ in assiduitate illa dolorũ et ærumnarum ne hoc priuato uulnere magis adfligatur aut debilitetur, ualde metuendum est, piè Deo precibus & gemitibus commendetis. Et simul cretis filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut miserias publicas & priuata Ecclesiæ uniuersæ & omnibus nobis clementer mitiget. Datæ die 19. Augusti, quæ est dies mortis duorum Imperatorum, quorum excellens fuit uirtus & fœlicitas, Augusti Cæsaris & Friderici III. patris Maximiliani. Anno à partu Virginis 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor &c.

EXempla quotidiana in morbis & interitu multorum ostendunt, nihil esse infirmius aut fragilius humana natura, ac quod magis dolendũ est, pereunt multi in ipso flore ætatis, quando iam usus aliquis eorum in republica aut Ecclesia esse poterat: Cum autem sciamus non tantum ad hanc breuem & fugacem & ærumnosam uitam nos conditos esse, Sed restare aliam patriam, in qua perpetua uita & lætitia fruemur, facilius

lius quidẽ ferimus subinde ex nostro cætu ad æternam & cœlestem Academiam quosdam auocari, sed tamen Ecclesiæ & reipublicæ causa plurimum dolemus, quæ optimis ingenijs ac præsidijs necessariis immatura multorum morte orbantur. Ac adolescentes hortamur, ut propter communem salutem inregenda ualetudine diligentiam mediocrem adhibeant, nec ipsi sibi ante tempus interitum accersant. Decessit autem hac nocte Iuuenis ingenio, doctrina, & uirtute præstans Samuel VVernerus Hamburgensis, qui cum docenda iuuentute in urbe Brema fidem et industriam suam multis probasset, ac iam charus esset plurimis, ne disputationibus infinitis ac concertationum plenis, quæ tunc in ea urbe motæ erant, ante tempus inuolueretur, atq; ut maiori eruditione se instrueret, relicta Brema anno superiore in hanc Academiam se contulit, in qua ita uixit, ut spem de eius studijs ac doctrina omnes conciperent eximiam, ac pietatem quidem cum in reliqua tota, tum præcipuè in hoc ultimo uitæ agone, non obscurè declarauit. Nam toto morbi tempore ardenti inuocatione & fiducia filij Dei Domini nostri Iesu Christi, animam suam Deo commendauit, & tandem cum iam uox eum destitueret, etiam gestum lætitia ostendit, se initia uitæ & lætitiæ æternæ sentire in corde, nec habere ullis alienis curis aut cogitationibus ocupatum.

Etsi autem dolemus hunc iuuenem tàm præstanti, et ut audimus, moderato ingenio præditũ ante tempus nobis et Ecclesiæ, cui operam et studium suum dicarat, esse ereptum: tamen ipsi hanc fœlicitatem gratulamur, quod præreptus multis miserijs, quas secum adfert hæc uita humana, fruitur conspectu filij Dei et consuetudine beatorum Angelorum & hominum in perpetua lætitia & beatitudine. Fiet autem ei funus hodie hora quarta, itaq; scholastici portamur, ut circa id tempus ad deducendum funus in platea consulum ad ædes doctiss. uiri Magistri Petri Vincentij frequentes conueniant, seq; & Ecclesiam ibi pijs precibus Deo commendent, Date die 5. Septembris, Anno 1561.

ALIA.

REdeo ad operas nostras, iam aliquot diebus intermissas, et cras hora octaua, Deo iuuante, pergã interpretari Tragœdiam Euripidis, quæ inscribitur Iphigeneia in Tauris, & sequentibus dieb. continuabimus usitatas prælectiones nostras. Deum precor ut nobis Spiritu sancto suo adsit, ut & docentium labor et discentium studia fructuosa sint in Christo Iesu, per Christum redemptorem nostrum, Amen. 7. Septemb. Anno 1561.

Vitus VVinshemius
Senior D.
RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior *sacræ* Theologiæ Doctor & Professor &c.

IN lectione Euangelij, quod cras, Deo iuuante recitabitur, duæ pompæ commemorantur insignes & memorabiles, quibus uitæ humanæ carnalium tanquam in scena pulcherrima repræsentatur ac spectandum proponitur. Pompa enim prior in qua filius uiduæ mortuus ex urbe Naim effertur, imago est ac repræsentatio miseriarum, quibus hæc infirma natura hominum exposita & obnoxia est. Nam primum in adolescente mortuo potentia mortis depingitur grassantis in uniuerso genere humano, & terribiliter in nos dominantis, sicut inquit Paulus Roma. 5. Per peccatum unius pertransijt mors in omnes, Et regnauit ab Adam usq; ad Mosen, etiam in eos qui non peccarunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Ac dominij et regni pictura non in adolescente solo, sed et in gestatoribus proposita est, Quorum in efferendis exuuijs hominum opera, significatur homines præterquam quod à morte absorbentur ac deuorantur etiam seruos eius & ministros esse quibus uis mancipijs & captiuis miseriores. Mater uero comitans funus oppressa dolore inenarrabili, et haud dubiè

acerbiore ipsa morte, usitatas omnium hominum, & inprimis Ecclesiæ ærumnas, et dolores inenarrabiles repræsentat, de quibus nota sunt cum uocis diuinæ dicta innumerabilia, tum sapientum omnium extra Ecclesiam querelæ. Qualis illa est admodũ Pathetica & Tragica apud Euripidem uox: οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος, οὐδὲ πάθος οὐδὲ ξύμφορα θεήλατος, ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπων φύσις. Et altera apud Herodotum: εἶναι δὲ θνητὸν οὐδένα, οὐδ' ἔσεσθαι τῷ κακὸν ἐξ ἀρχῆς γινομένῳ μὴ συνεμίχθη, τοῖς δὲ μεγίστοις μέγιστα. Significatur idem & in multitudine comitante funus ad sepulturã. Quia & hæc officio illo lugubri eodem se in stadio currere, & ad metam eandem tendere, testatur. Ita nihil in hac pompa læti & iocundi cernitur, Sed plena sunt omnia dolorum & miseriarum horribilium, Ac prorsus est Archetypus multorum dictorum diuinorum. Vt Psalmi 49. Redimendo non redimet frater quenquam, Nec dabit Deo precium redemptionis eius. Quia preciosior est redemptio animæ hominis, ita ut omittere cogatur in æternum, Etiamsi uiuat in seculum, et non uideat interitum. Item, Psal. 103. Homo tanquam fœnum agri est, & tanquam flos efflorescit, Pertransibit Spiritus in illo & non subsistet, nec apparebit amplius locus eius. Altera uero Christi & Apostolorum ingredien-

gredientium urbem, & funeri occurrentium pompa lætior est et gloriosior, ostendens miseriarum, dolorum, & ærumnarũ ἀνθίδοτου efficacissimum, Imò uictorem horum certum & indubitatum, Filium Dei Dominum nostrũ Iesum Christum. Is enim ingrediens urbem Naim, & cernens luctum et dolorẽ matris, mox misericordia commouetur ardentissima, Et quasi occurrens morti alacri atq; intrepido animo accedit ad feretrum, & confirmata matre, ac iussis gestatoribus funeris consistere, attrectans feretrũ, quodammodo manum cum morte conserit, eaq; præhensa uerbo uno quo adolescentem compellat, omnẽ eius potentiam absorbet atq; abolet, & quod in Osea promisit, hic reipsa demonstrat: O mors ero mors tua, O inferne ero pestis tua. Is igitur assertor, liberator et saluator benignissimus prima & præcipua in hoc secundo agmine persona est, ducens in triumpho et spectaculum faciens mortem, Et Epistola ad Hebræos inquit: Abolens ac destruens, eũ qui qui mortis habet imperium, Diabolum. Mors autẽ ipsa in adolescente resuscitato absorpta atq; abolita, secunda quasi persona, & exemplar est lætissimi carminis triumphalis, quod 1. Cor. 15. Paulus morti occinit: Vbi est mors stimulus tuus, ubi est inferne uictoria tua? Absorpta est mors in uictoria, gratia Deo qui dat nobis uictoriam per Iesum Chri-

 stum

ſtum Dominum noſtrum. Chorus uerò diſcipulorum & populi comitantiũ Chriſtum, documentum ac teſtimonium eſt dulciſſimum, habere ſilium Dei uitæ, lætitiæ et uictoriæ ſuæ ſocios, et non nihil eſſe Eccleſiam, etiamſi morte, doloribus et miſeriis triſtiſſimis oppreſſa, et nihil eſſe exiſtimatur, imo ideo cœtu illo ſtipatus occurrit morti, & adoleſcentem mortuum, matrem doloribus mortis oppreſſam, et multitudinem reliquam comitatui ſuo adiungit, ut teſtificetur ſe uiuentẽ ac regnantem in tota æternitate, ſubindè è regno atq; imperio mortis mulcere, & in uitæ ſuæ regnum aſſerere, ſe non ocioſum aut meſſiacem eſſe, ſed miſerrimo generi humano ideo donatum ac propoſitum eſſe, ut opera Diaboli et mortis deſtruat. Hæ dulciſſimæ imagines non tunc tantum cogitandæ ſunt, cum hiſtoriam reſuſcitationis illius legimus aut recordamur, Sed in omni uita atq; inuocatione ſubinde aſpiciendæ et conſiderandæ ſunt, Quoties uel noſtras uel aliorum miſerias, dolores aut funera contuemur. Maximè uerò in funerum ceremonijs hoc faciendum eſt, ubi quodammodo conſpectu mortis in rem præſentem deducimur. Hodiè igitur cum funus futurum ſit hora duodecima, reuerendo et optimo ſeni domino Michaëli Fauſto, hortamur uos, ut ante ædes eius frequentes conueniatis, & in deductione funeris cum has dulciſſimas imagines, de morte, et miſeriis humanis, de cauſis harum, de iudicio futuro, de reſurrectione, de præſentia, & uictoria Filij Dei, & cæteris eius beneficijs cogitetis. Tum hoc etiam animo recolatis, quam rarum bonum ſit mediocre uitæ ſpacium., quale hic optimus ſenex diuturnum adeptus eſt. Natus enim in Francia prope oppidum Miltenberg, egreſſus eſt annus 78. Vixit in miniſterio Euangelij inter ærumnas ac uices uarias annos 43. Et poſtquam propter ſenectæ imbecillitatem præeſſe miniſterio amplius non potuit, in hac Academia annos continuos undecim ſtudijs optimarum doctrinarum impendit. Oſtendit autem pietatem animi accenſam & confirmatam in ipſo à Spiritu ſancto, cum aliâs, tum toto morbi tempore, quo ſubinde repetens & ingeminans hæc dicta: Si Deus pro nobis quis contra nos. Item: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam, In ſuis ſe doloribus & miſeriis erexit, Ac deſiderium & ſpem uitæ melioris non dubiam oſtendit. Nam & nudius tertius à reuerendo domino Paſtore interrogatus, Num ſi Deo ita placeat, ad migrationẽ paratus eſſet, Reſpondit intrepide, Dei beneficio, ſe eſſe paratiſſimum, & uocem Paulinam adiungens, Cupio, inquit, diſſolui & eſſe Chriſto. Inter hæc uota cum tandem uita exceſſerit, non dubitamus de numero

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000341

mero eorum hunc optimum ſenem eſſe, de quibus ſcriptum eſt: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Itaq; ut piam funeris ceremoniam, præſentia veſtra frequentes ornetis, & uos ac uitam veſtram, & Eccleſiæ uniuerſæ ſalutem ac incolumitatem filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto pijs precibus commendetis, iterum uos hortamur. Dabitur pridie eius diei, quo celebratur in Eccleſia recordatio Matthæi Apoſtoli, qui cum in miniſterio Euangelij uixiſſet ac ſeruiuiſſet Chriſto annos 43. Impij regis Aethiopum iuſſu interfectus eſt. Anno nati Chriſti 76. Anno 1561.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS GEORgius Maior ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor S. D.

LVX redit Angelicis iterum ſacrata cæteruis,
Et reſonant uotis omnia templa pijs.
Audires, latè quàm ſæuiat arbiter orci
Mille uijs doctus, mille nocere dolis.
Vtq; imbians prædæ nunc hac nunc cirauat illac,
Subdolaq; ex omni retia parte ſtruat.
Audires etiam qua nos bonitate ſequatur
Caſta miniſterijs turba creata pijs.

Quis

Quis Deus excubias ſeruare ad cæſtra piorum
Mandata uigiles in ſtatione iubet.
Quod latere ex omni Stygios luctentur in hoſtes.
Tartareiq; premant uimq; doloſq; lupi.
Ille Dei ſeruens odio, ſitiensq; cruorem,
Nos ſubitò in Stygias præcipitaret aquas:
Ni dux ille hominum, patriq; ſimilimus Heros
Pro cœtu Michaël ſumeret arma ſuo:
Atq; in credentum medio ſeſe agmine uertens,
Eriperet Stygio colla ſubacta iugo.
Hæc poſtquàm reputat cæſtis Eccleſia uotis,
Noſtra tibi grates pectora Chriſte ferant:
Qui nos præcipiti iactatos turbine rerum,
Spiritibus munis ad latus omne tuis:
Et gens illa quidem puro fulgore coruſcans.
Dotibus exuperat cuncta creata ſuis.
Namq; Deo aſſiſtens bonitatis fonte potitur,
Semper & autoris pendet ab ore ſui.
Hunc circa uolitat, mandataq; ſancta faceſſit,
Et pia coniuncta carmina uoce canit.
Cumq; ſciant Chriſtum demiſſum ex arce parentis
Sponte humeros noſtris ſuppoſuiſſe malis:
Virtutis tantæ ſumunt exemplar ab ipſo,
Quaq; homines poſſunt parte iuuare iuuant.
Sordeq; cùm careant, nos multa ſorde grauatos
Non horrent armis aſſeruiſſe ſuis.

Si mo-

Si modò dedamus tibi pectora nostra volentes
Ad meritum uersi Christe benigne tuum.
Vitemusq; uias, & causas sponte cadendi,
Diuinam & precibus sollicitemus opem.
Tum uerò gaudent nobis habitare propinqui,
Atq; ministerio nos reiuuare suo.
Et sacra iura fouent, & firmant uincula legum,
Et pulsa, pacis semina, lite, ferunt.
Circumeunt latus omne orbis, rabidoq; furore
Arma ducũ in Christi dogmata mox premunt.
Nec concepta sinunt succedere uota Tyrannis
Qui lacerant summo dedita membra Deo.
Nempe fidem uerbis faciunt exempla priorum,
Testis & hæc ætas plurima signa tenet.
Agmina Sennaherib Solymas cùm ducit in oras,
Et sanctum armata gente Sionа petit:
Inq; Deum fremitus & inania concipit ausa,
Nec putat euentu posse carere minas:
En magnus Michaël, cœliq; exercitus illo
Auspice per noctem castra inimica petunt.
Cumq; ipsis ducibus sternunt ignobile uulgus,
Et testes cladis uix superesse sinunt.
Gens pia sic asserta fuit, paruumq; Tyrannus
Post spacium nati concidit ipse manu.
Cùm fuit à Syrijs uates obsessus Elisa,
Auxilium huic cœlo flammea turba tulit.

Argue-

Argueret Daniel cùm numina uana Deorum,
Obijcitur Lybicis præda parata feris.
Angelica tamen ille mane protectus abiuit,
Et rabies uati parcere iussa fuit.
Sic quoq; seruantur pueri Babylonis in ora,
Cùm tenuit uires lucida flamma suas.
Ergo quòd oppressos medio in discrimine seruant,
Custodes cœtus quis neget esse pijs?
Quodq; tot eripitur seruata Ecclesia damnis,
Horum opus est, ductu maxime Christe tuo.
Ergo tibi grates agimus quòd cœlitus addis
Præsidium populis qui tua iussa colunt.
Elle procul Satanæ fraudes, sæuosq; furores,
Spiritibusq; tuis agmina nostra tege.
Ecclesia hodie mecum casta cum mente precetur,
Quæ colit Aonias gens studiosa Deas.
Atq; ministerio dignum declaret honorem,
Debitaq; ante ARAS munera sacra ferat.
Moribus & castis cœtus imitetur Olympi,
Omnia & æterno sint operata Deo.

M. Iohannes Purgoldus
Isennacensis

VVITEBERGÆ
EXCVSA AB HAEREdibus Georgij Rhaw.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-60-quod/start.htm?image=00000343